Officia Propria

Archidioeces. Aquensis a S. R. C. approbata ac de mandato Illustrissimi et Reverendissimi Augustini Forcade Archiepiscopi Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis edita. Pars Hiemalis.

1012






Tornaci Nerviorum, Sumptibus et Typis Societatis S. Joannis Evangelistae, Desclée, Lefebvre et Soc. Pont. Edit. — M.DCCC.LXXXIV.

Kalendarium.

Aquen.

ET in Kalendario perpetuo ac Proprio Officiorum et Missarum, quae anno 1853 a sa. me. Pio Papa IX. in usum Archidioeceseos Aquen. approbata fuere, nonnulla insererentur Sanctorum Festa ibidem a Fidelibus avita pietate cultorum, atque insimul additamenta et variationes, quae volventibus annis in iisdem Kalendario et Proprio locum habuerunt, ad accuratiorem formam redigerentur; Rmus Dnus Theodorus Augustinus Forcade Archiepiscopus Aquen. Kalendarium ipsum et Proprium reformare aggressus fuit, coadjuvante presbyterorum in rebus liturgicis peritorum coetu, cui ejusmodi munus in synodo Dioecesana novissime celebrata demandatum fuerat. Haec autem omnia sic noviter concinnata atque ad normam Rubricarum ac Decretorum disposita, Sanctissimo Domino nostro LEONI PAPAE XIII. ipsemet Rmus Archiepiscopus demississime subjecit, expostulans ut cuncta suprema auctoritate sua approbare dignaretur.

Voluit vero idem Sanctissimus Dominus noster hujusce Kalendarii et Proprii examen Sacrae Rituum Congregationi committere, quae post exquisitum votum in scriptis unius ex consultoribus ipsius Sacrae Congregationis, cunctis rite expensis, praefatum Kalendarium cum Proprio a se emendatum atque ordinatum, prouti in superiori exemplari prostat, probari posse censuit. Quam sacrae Rituum Congregationis sententiam, referente infrascripto secretario, Sanctitas Sua ratam habens, concessit ut idem Kalendarium et Proprium a clero totius Archidioeceseos Aquen. tum saeculari tum regulari, Kalendario Dioecesano utente, in horis canonicis persolvendis sacroque celebrando in posterum servetur : verum sub conditione duplex omnium authenticum exemplar transmittendi ad eamdem sacram Congregationem postquam ea fuerint typis cusa, contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 26 Aprilis 1883. —

D. Cardinalis Bartolinius S. R. C. Praefectus

(L.S.) LAURENTIUS SALVATI S. R. C. *Secret.*

Concordat cum originali

✠ Augustinus Archiep. Aquen.
Arelaten. et Ebredunen.

Kalendarium PERPETUUM AD USUM CLERI CIVITATIS ATQUE INTEGRAE ARCHIDIOECESIS Aquensis.

November.

27 *Verani* Episc. Conf. (d. a. 13 hujus) *dupl.* 1
28
29 Vigilia.—*Comm.* S. Saturnini Mart.
30 ANDREAE Ap. *dupl. 2. cl.*

December.

1
2 Bibianae Virg. et Mart. *semid.*
3 Francisci Xaverii Conf. *dupl.*
4 Petri Chrysologi Ep. Conf.et Doct. *dupl.—Com.* S. Barbarae Virg. Mart.
5 Sabbae Abb. *simpl.*
6 Nicolai Ep. Conf. *dupl.*
7 Ambrosi Ep. Conf. et Doct.*dupl.—Com.* Vigil. in Missa.
8 IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V. *dup. 1. cl.* cum Oct.
9 De Octava, *semid.*
10 *Translatio almae Domus Lauretanae, dupl. maj.—Com.* S. Melchiadis Pap. Mart.

11 Pap. Damasi Conf. *semid.—Com.* Oct.
12 De Octava, *semid.*
13 Luciae Virg. Mart. *dupl.—Com.* Oct.
14 De Octava, *semid.*
15 Octava Immacul. Conceptionis B. M. V. *dupl.*
16 Eusebii Ep. Mart. *semid.*
17 *Lazari* Ep. et Mart. *dupl. maj.* 2
18 *Exspectatio Partus* B. M. V. *dupl. maj.*
19
20 Vigilia.
21 THOMAE Ap. *dupl. 2. cl.*
22
23
24 Vigilia.
25 NATIVITAS D. N. J. C. *dupl. 1. cl. cum Oct.*
26 STEPHANI Protomart. *dupl. 2. cl. cum Oct.—Com. Omnium SS. Mart.* et Oct. Nativit. 4
27 JOANNIS Ap. et Evang. *dupl. 2. cl. cum Oct.—Comm.* Octavar.
28 INNOCENTIUM MM. *dupl. 2. cl. cum Oct.—Comm.* Octavar.
29 Thomae Cantuar. Ep. Mart. *dupl.—Comm.* Octavar.
30 De Dominica infra Octavam Nativit. *vel* de Octava, *semid. Comm.* Octavar.
31 Silvestri Pap. Conf. *dupl.—Comm.* Octavar.

Januarius.

1 CIRCUMCISIO DOMINI N. J. C. *dupl. 2. cl.*
2 Octava S. Stephani Protomartyris, *dupl.—Com.* Octavar.
3 Octava S. Joannis Apost. et Evang. *dupl.—Com.* Oct.
4 Octava SS. Innocentium Mart. *dupl.*
5 Vigil. Epiph. Domini, *semid.—Com.* S. Telesphori P. M.
6 EPIPHANIA D. N. J. C. *dupl. 1. cl. cum* Oct.
7, 8, 9, 10 De Octava, *semid.*
11 De Octava, *semid.—Comm.* S. Hygini Papae Mart.
12 De Octava, *semid.* vel de Dom. infra Oct. *semid.—Com.* Oct.
13 Octava Epiphaniae D. N. J. C. *dupl.*
14 Hilarii Ep. Conf. et Doct. *dupl.—Com.* S. Felicis Mart.
15 Pauli primi Eremitae, Conf. *dupl.—Com.* S. Mauri Abbatis.
16 *Honorati* Abb. Lirinen. ac Episc. Arelat. Conf. *dupl.* 5
17 Antonii Abb. *dupl.*
18 Cathedra S. Petri Ap. Romae, *dupl. maj.—Com.* S. Pauli Apost. S. Priscae Virg. Mart.
19 Canuti Regis Mart. *semid. ad libitum.—Com.* SS. Marii et Soc. MM
20 Fabiani Papae et Sebastiani Mart. *dupl.*
21 Agnetis Virg. Mart. *dupl.*
22 Vincentii et Anastasii Mart. *semid.*
23 *Desponsatio B. M. V. dupl. maj.—Com.* S. Joseph Conf. Sp. B. M. V. ac Emerentianae Virg. Mart.
24 Timothei Ep. Mart. *dupl.*
25 Conversio S. Pauli Ap. *dupl. maj.—Com.* S. Petri Ap.
26 Polycarpi Ep. Mart. *semid.*
27 Joannis Chrysostomi Ep. Conf. et Doct. *dupl.*
28 *Caesariae* Virg. *dupl.—Com.* S. Agnetis secundo. 6
29 Francisci Salesii Ep. Conf. et Doct. *dupl.*
30 Martinae Virg. Mart. *semid.*
31 Petri Nolasci Conf. *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Domin. II. post Epiph. FESTUM SS. NOMINIS JESU, *dupl. 2. cl.—Com.* Dom.
Feria III. post Dom. Septuag. Orationis D. N. J. C. in Monte Olivarum, *dupl. maj.*
Feria III. post Dom. Sexag. Commem. Passionis D. N. J. C. *dupl. maj.*

Kalendarium.

Februarius.

1 Ignatii Ep. Mart. *dupl.*
2 Purificatio B. M. V. *dupl. 2. cl.*
3 Blasii Ep. Mart. *simpl.*
4 *B. Joannae Valesiae* Vid. *dupl.*
5 Agathae Virg. Mart. *dupl.*
6 *Pauli* Ep. Conf. *dupl.— Comm.* S. Dorotheae Virg. Mart.
7 Romualdi Abb. *dupl.*
8 Joannis de Matha Conf. *dupl.*
9 Cyrilli Alexandrini Episc. Conf. et Doct. *dupl. — Com.* S. Apolloniae Virg. Mart.
10 Scholasticae Virg. *dupl.*
11 Titi Ep.Conf. (d. a. ex 6 hujus) *dupl.*
12 Andreae Corsini Ep. Conf. (d. a. ex 4 huj.) *dupl.*
13 Marcelli Pap. Mart. (d. a. ex 16 Januarii) *semid.*
14 Raymundi de Pennafort Conf. (d. a. ex 23 Januarii) *semid.*- *Com.* S. Valentini Mart.
15 Faustini et Jovitae MM. *simpl.*
16
17 *Theuderii* Abb. *dupl.* 10
18 Simeonis Ep. Mart. *simpl.*
19
20
21
22 Cathedra S. Petri Ap. Antiochiae, *dupl. maj.—Comm.* S. Pauli Ap.
23 Petri Damiani Ep. Conf. et Doct. *dupl. — Com.* Vigiliae (nisi annus fuerit bissextilis).
24 vel 25 Mathiae Ap. *dupl. 2. cl.*
25 vel 26
26 vel 27
27 vel 28
28 vel 29

In anno bissext. Februarius habet dies 29.

FESTA MOBILIA.

Feria VI. post Cineres. Sacr. Coronae Spineae D. N. J. C *dupl. maj.—Com.* Fer.

Martius.

1
2
3
4 Casimiri Conf. *semid.—Com.* S. Lucii Pap. Mart.
5
6
7 Thomae de Aquino Conf. et Doct. *dupl. — Com.* SS. Perpetuae et Felicitatis MM.
8 Joannis de Deo, Conf. *dupl.*
9 Franciscae Romanae Vid. *dupl.*
10 Quadraginta Martyrum, *semid.*
11
12 Gregorii Pap. Conf. et Doct. *dupl.*
13 *Heldradi* Abb. *dupl.* 15

Imprimatur.
Tornaci, die 14. Januarii 1884.
G. Bouvry, Vic. Gen.



✠ Officia Propria
Archidioecesis Aquensis.

Pars Hiemalis.

DOMIN. I. ADVENT.
(*Aquis tantum.*)
Com. Oct. S. Mitrii Mart. urbis Aquensis Patroni.

Ad j. vesperas,

Antiphona.


Audeo in passiónibus meis pro vobis, adímpleo ea quæ desunt passiónũ Christi in carne mea pro Ecclésia. ℣. Si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala. ℟. Quóniam tu mecum es, Dómine. **Oratio.**


ide, Dómine, infirmitátem nostram : et quia sine te non póssumus áliquid quasi ex nobis, beáti Mítrii Mártyris intercessióne suppóne júgiter manum tuam; ne nos inférni terror dejíciat, mundánus error emólliat. Per Dóminum.

Ad laudes,

Aña. Oculus Dei respéxit illum in bono, eréxit eum ab humilitáte ipsíus, et exaltávit caput ejus. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi. *Oratio ut supra.*

Ad ij. vesperas,

Aña. Hoc modo vita decéssit, univérsæ genti memóriam mortis suæ ad exémplum virtútis et fortitúdinis derelínquens. ℣. Dispérsit. *et Oratio ut sup.*

DIE XXVII. NOVEMB.
S. Verani
Episc. Confess. Duplex. Occurr. in Domin. I. Adventus, in utrisq. Vesp. et

3

Laudibus fit ejus Commem. Añæ et ℣. de Comm. Conf. Pont.

Oratio.

PRopitiáre, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis, per beáti Veráni Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum.

FESTA DECEMBRIS.

DIE X. DECEMBRIS.

Translationis almæ domus Lauretanæ B. Mariæ Virginis.

Omnia ut in Supplemento pro aliq. locis, eadem die.

DIE XVII. DECEMBR.

S. Lazari

Episc. et Mart. Dupl. maj. Omnia de Communi unius Mart. Pont. præter seq.

Oratio.

DEus, qui beátum Lázarum, Christi discípulum, quatriduánum mórtuum suscitátum, pontifício et martyrio decorásti : concéde nobis, ejus méritis, a peccátis resúrgere, et vita ætérna gaudére. Per eúmdem.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

LAzarus e Bethánia, clarus génere, sed virtúte nobílior, Martham et Maríam soróres hábuit. His Christum Jesum hospítio frequénter excipiéntibus, eúmdem páriter cordis hospítio excépit Lázarus, et a suo vicissim excéptus hóspite, inter amícos adscríptus est. Cóntigit autem, absénte Christo, Lázarum grávius infirmári; de cujus valetúdine sollícitæ soróres misérunt, qui hóspiti suo de amíci perículo nuntiáret. Quo audíto, Jesus dum ad Lázarum veníre differt, inter moras ille diem suum últimum óbiit. Ubi vero Christus accéssit, et amícum mórtuum vidit, ad hoc spectáculum et sorórum dolórem ínfremens, fusis lácrymis, quatriduánum et jam fœténtem de monuménto, magna voce inclámans, suscitávit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

HOc prodígio cum Christi virtus et doctrína manifèstius cunctis clarèscerent, id ægris óculis excipiéntes Judæi, post Stéphani martyrium, Lázaro ejúsque soróribus parant exítium; et ne tam stupéndi miráculi testes usquam conspiceréntur, una cum Marcélla, Maximíno, aliísque Christiánis, in vetústam navem, sine velo, sine remígio, sine viático, impósitos, vastíssimo mari commíttunt, ut omnes vel inédia, vel naufrágium certum absúmeret Sed navis, Deo adguber-

nánte, salvis ómnibus, Massíliam appúlsa est : ubi Massiliénsium Epíscopus creátus Lázarus, verbi prædicatióne et vitæ cœléstis exémplis, plúrimos ad Christum convértit.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

Cum autem annos círciter trigínta tenéllum gregem evangélicæ doctrínæ pábulo nutriísset, tentus tandem ab infidélibus, procónsuli sístitur : a quo vel idólis sacrificáre, vel mori compúlsus, respóndit amícum se habére, cujus poténtia fúerat semel a morte revocátus in vitam, et pro quo mortem subíre dénuo non recúset. Pectínibus itaque férreis lacerátus, ignita étiam loríca circúmdatus, et crate férrea tostus, cum superári non posset, jussus est sagíttis confígi; sed illæsus persevérans, ad últimum cápite truncátus, consummáto martyrio, migrávit ad Christum, anno salútis octogésimo.

℟. Stola jucunditátis.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* xj.

In illo témpore : Erat quidam languens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ, et Marthæ soróris ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. xlix. *in Joannem.*

In superióri lectióne meminístis quod Dóminus éxiens de mánibus eórum qui lapidáre illum volúerant, discéssit trans Jordánem ubi Joánnes baptizábat : ibi ergo Dómino constitúto, infirmabátur in Bethánia Lázarus, quod castéllum erat próximum Hierosólymis. María autem erat quæ unxit Dóminum unguénto, et extérsit pedes ejus capíllis suis, cujus frater Lázarus infirmabátur. Misérunt ergo soróres ad eum, dicéntes. Jam intellígimus quo misérunt, ubi erat Jesus, quóniam absens erat, trans Jordánem scílicet. Misérunt ad Dóminum, nuntiántes quod ægrotáret frater eárum, ut, si dignarétur, veníret, et eum ab ægritúdine liberáret. Ille dístulit sanáre, ut posset resuscitáre.

℟. Jesus autem, elevátis sursum óculis, dixit : * Pater, grátias ago tibi, quóniam audísti me : ego autem sciébam quia semper me audis. ℣. Hæc cum dixísset, voce magna clamávit : Lázare, veni foras. — Pater.

Lectio viij.

Quid ergo nuntiavérunt soróres ejus? Dómine, ecce quem amas, infirmátur. Non dixérunt : Veni. Amánti enim

tantúmmodo nuntiándum fuit. Non ausæ sunt dícere : Veni et sana; non ausæ sunt dícere : Ibi jube, et hic fiet; cur enim non et istæ, si fides illíus centuriónis inde laudátur? Ait enim : Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus; nihil horum istæ, sed tantúmmodo : Dómine, ecce quem amas, infirmátur; súfficit enim ut nóveris; non enim amas et déseris.

℟. Venit turba multa ex Judæis, non propter Jesum tantum; sed ut Lázarum vidérent, quem suscitávit a mórtuis : * Cogitavérunt autem príncipes sacerdótum, ut et Lázarum interfícerent. ℣. Quia multi propter illum abíbant ex Judæis, et credébant in Jesum. — Cogitavérunt. Glória Patri. Cogitavérunt.

Lectio ix.

SEd dicet áliquis : Quómodo per Lázarum peccátor significabátur, et a Dómino sic amabátur? Audiat eum dicéntem : Non veni vocáre justos, sed peccatóres ad pœniténtiam; si enim peccatóres Deus non amáret, de cœlo ad terram non descénderet. Audiens autem Jesus dixit eis : Infírmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei. Talis glorificátio ipsíus non ipsum auxit, sed nobis prófuit; hoc est ergo quod ait : Non est ad mortem, quia et ipsa mors non erat ad mortem, sed pótius ad miráculum, quo facto créderent hómines in Christum, et vitárent veram mortem. Sane vidéte quemádmodum tamquam ex oblíquo Dóminus Deum se dixit, propter quosdam qui negant Fílium Deum esse.

Te Deum laudámus.

DIE XVIII. DECEMB.

Exspectationis partus B. Mariæ V.

Omnia ut in Supplem. pro aliq. locis, eadem die.

DIE XXVI. DECEMBR.

Pro Comm. omnium SS. Martyrum.

In I. vesperis,

Aña. Isti sunt sancti quos elégit Dóminus in caritáte non ficta : dedit illis glóriam sempitérnam.

℣. Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei.
℟. Et delecténtur in lætítia.

Oratio.

DEus, qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum : réspice ad preces humilitátis nostræ; ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum.

Ad laudes,

Aña. Sancti tui, Dómine, semper benedícant te, et glóriam regni tui dicant.

℣. Mirábilis Deus in sanctis suis. ℟. In sanctis ejus laudáte Deum.
Oratio ut supra.

Ad ii. vesperas,

Aña. Dico autem vobis amícis meis : Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere.
℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dñum est merces eórum.
Oratio ut supra.

FESTA JANUARII.

DIE XVI. JANUARII.

S. Honorati

Abbatis Lirinensis, Episc. Arelatensis. Duplex.
Omnia de Comm. Confess. Pontificis, præter seq.

Oratio.

Lætétur semper Ecclésia tua, Dómine, beáti Honoráti Confessóris tui atque Pontíficis intercessióne votíva; ut cujus patrocíniis gloriátur, subsídia percípiat. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. Fidélis sermo. *de Comm. j. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Honorátus illústri et consulári génere ortus, adoléscens adhuc catechúmenus, ita se inter fídei rudiménta formávit, ut illum paréntibus a christiánæ vitæ institúto avértere conántibus, domo patérna et bonis relíctis, susceptóque baptísmate, monásticam vitam sub Caprásio Eremíta proféssus sit. Cum quo, atque una cum senióre fratre suo Venántio, navigatiónem in divérsa mundi loca, tum præcípue in Ægypti solitúdines, patrum ibi commorántium invisendórum grátia, suscépit At Venántio in ea peregrinatióne Methónæ in Achája mórtuo, Honorátus in Gálliam revérsus, erémi dulcédine et Leóntii Forojuliénsis Epíscopi vicínia illéctus, Lerínam ingréditur. Demum a Leóntio Présbyter ordinátus, Lirinénsis monastérii fundaménta jecit. Ibíque doctrína et exémplo tot viros efformávit, ut exínde Lerína efféćta sit velut offícina et seminárium Sanctórum.
℟. Invéni David.

Lectio v.

Anno Incarnatiónis Domínicæ vigésimo sexto supra quadringentésimum, Theodósio Augústo duodécimum, et Valentiniáno Augústo íterum consúlibus, Lirinénsi erémo, ad capesséndam Ecclésiam Arelaténsem, adscítus est. Cui, in eo múnere, prima concórdiæ cura fuit, et præcípuus labor, cives, jam ántea de assuméndo præsule stúdiis dissidéntes, mútuo amóre connéctere. Pacátis inde rebus, se totum caritáti, quæ vir-

tútum ómnium est mater, addíxit, quam miris obséquiis dudum excolúerat. Flóruit ergo sub illo Christi Ecclésia, sicut monastérium ante florúerat. Crevit grátiis, decrévit metállis. Omnem namque ímpiæ simóniæ labem domo sua éxpulit; et divítias, quæ de mammóna iniquitátis congéstæ fúerant, dignis honóribus deputávit, hoc solum reserváto quod ministério suffícere videbátur.
℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Riguit in eo tanta laus caritátis, ut de illo sanctus Hilárius in episcopátu succéssor díxerit, quod si, arbítrio suo, cáritas humána forma expriménda esset, Honoráti vultu pingi debére viderétur. Ultimum ítaque ad finem, dolóribus longæ ægritúdinis reluctántibus in festo Epiphániæ, in Ecclésia sua sermónem hábuit, a quo nono post die, suprémo somno excéptus, in mortis quiétem tránsiit, sine ullo, ut sese habent extréma, luctámine. Nullas diffíciles óbitus moras sensit. Angélicis choris ánima illa sancta, generósa, sincéra, ab omni contáctu mundi incontamináta suscípitur. Multórum intérea váriis visiónibus somnus incútitur; quarum tamen una fácies erat, quod sancto illi occúrrerent offícia sanctórum. Hilárius ejus consanguíneus, comes fidíssimus, atque succéssor, illi suprémum fúneris honórem persólvit. Ejus ossa Lerínam transláta sunt. Præfuit Ecclésiæ Arelaténsi tempóribus Theodósii junióris, et Valentiáni, Imperatórum, cum Ecclésiam régeret Cœlestínus, Póntifex máximus.
℟. Iste est.

In iij. Noct. Homil. S. Hieronymi Presb. Grandis fidúcia. *ut in Comm. Abb. j. loco.*
℟. *vij.* Amávit eum Dñus.

DIE XXIII. JANUARII.

Desponsat. B. M. V.

Ut in Supplem. pro aliquibus locis, eadem die.

DIE XXVIII. JANUAR.

S. Cæsariæ *Virginis.*

Omnia de Communi Virg. præter seq.

Orat. Exáudi nos. *de Comm.* *Deinde fit Comm. S. Joannis Chrysostomi et S. Agnetis secundo.*

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Cæsária Virgo, Cæsárii Arelaténsis Epíscopi soror, a téneris annis monastério Massiliénsi inclúditur educánda, ut ipsa, quam Dóminus aliárum régimini præordináverat, ibi dísceret quod docéret, et prius esset discípula quam magístra. Dum vero

Cæsárius illi monastérium præparat, quidquid in eo cœptum fúerat, a Gothis in urbe per Francos et Burgundiónes obséssis, vi et incéndio mísere dírutum est; solúta vero obsidióne, inchoátæ fábricæ primórdia própriis súmptibus, cura et labóre magnífice prosecútus, Ecclésiam, claustrum, et cellas virgínibus ædificávit: ac decénnio, postquam in Epíscopum assúmptus est, felíciter consummátum opus séptimo Kaléndas Septémbris dedicávit. Illuc, Massília Cæsáriam adscítam, primum cum duábus aut tribus soróribus intromíttit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Vox ad illárum famam convéniunt vírginum multitúdines, facultátibus quoque et paréntibus renuntiántes. Réspuunt mortálium flores falláces páriter et cadúcos. Cæsárii patris, Cæsáriæ matris éxpetunt grémium; quátenus cum eísdem, accénsis lampádibus, cœléstis regni jánuam præstoléntur; et felíciter ingréssæ, Christi perpétuis mereántur ampléxibus inhærére, ita retrúsæ, ut usque in diem tránsitus eárum, non líceat cancéllis egrédi monastérii. Oratióni, pœniténtiæ et labóri simul incumbébant. Deo psallébant in hymnis et cánticis, jejunábant, piæ lectióni erant instántes. Intérea tamen lítteras discébant, et libros divínos scriptitábant. Jactis ítaque sanctæ régulæ fundaméntis. Cæsária, miráculis clara, paucis post annis. Idibus Januárii migrávit ad Christum. Usque ádeo sanctitátis ejus glória totum orbem impléverat, ut, ex illo monastério, quam plúrimæ vírginum sacræ famíliæ, régulam sanctæ Cæsáriæ profiténtes, emanárint. Inter quas máxime præcélluit illa, quam sancta Radegúndis, quondam Clotárii regis uxor, mutáta veste, in urbe Pictavórum instítuit: Congregatióni enim suæ régulam sanctæ Cæsáriæ Arelaténsis indíxit. ℟. Dilexísti.

Lectio vj.

Cæsáriæ vero defúnctæ succéssit áltera Cæsária, mater illa ducentárum vírginum, quas inibi Deo serviéntes vidit Cæsárius, ántequam vita discéderet. Trigésimo étenim anno, post sui monastérii institutiónem, tam parvis inítiis ortum, divína favénte grátia, in tantum culmen illud suspéxit evéctum, quod non cénsibus tantum aut prædiis, sed recte piéque vivéndi norma et exémplis felíciter locupletávit. Tanta ei de hac congregatióne cura fuit, ut die tértio ante óbitum, in monastérium, famulántium mánibus, gestári volúerit; quo

Cæsáriam matrem, ceterásque vírgines invíseret, consolarétur, illis benedíceret, atque ad ætérnæ vitæ præmia, ut verus pastor et pater plenus diérum hortarétur : illas cómmonens ut régulam, quam ante áliquot annos ipsis constitúerat, fidéliter custodírent. Testaménto illas successóribus Epíscopis comméndat et súbjicit.

℟. Afferéntur.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem vírginibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Cæsárii Epíscopi. *Serm.* lxxvj.

IN lectióne evangélica quæ nobis de decem virgínibus recitáta est, fratres dilectíssimi, dictum est quod omnes vírgines ornavérunt lámpades suas, et illæ fátuæ habuérunt áliquid ólei, sed parum fuit, ut eis suffícere omníno non posset, dénique statim exstíngui cœpérunt. Unde quantum póssumus, cum Dei adjutório, labóre debémus ut, quia in óleo misericórdia vel cáritas intellígitur, tantum reponámus in vasis animárum nostrárum quantum nobis suffíciat in ætérnum. Plena ánimæ lucérna opus est ut per caritátis óleum lumen nostrum lúceat in ætérnum. Cui Deus dedit largiórem substántiam, quantum potest laxet manus ad eleemósynam, non credat quod ei possit suffícere parum, sed consíderet unusquísque quantum débeat pro his quæ mala cogitávit, mala locútus, vel mala operátus est ; atténdat multitúdinem peccatórum et singulórum prétia diligénter appéndat et tunc agnóscat quantas enim eleemósynas opórteat exercére qui, etiámsi totum demus, nisi præponderáverit Dei misericórdia, redímere cuncta peccáta non póssumus.

℟. Hæc est virgo.

Lectio viij.

QUod autem dixérunt vírgines fátuæ sapiéntibus : Date nobis de óleo vestro, et illæ respondérunt : ne forte non suffíciat nobis et vobis, hoc æstimo humíliter dictum quia tantus terror et tanta exanimátio erit in die judícii ut étiam illi qui óleum misericórdiæ se intélligunt abundántius præparásse, métuant ne eis possit ad ómnia peccáta rediménda suffícere. Illud vero quod dictum est : ite pótius ad vendéntes et émite vobis, potest hoc de paupéribus intélligi.

Ipsi sunt negotiatóres qui óleum animárum lampádibus necessárium vendunt : per ipsos enim hoc negótium Christus exercére consuévit : in ipsis enim áccipit terréna repensatúrus ætérna. Quid est autem óleum in vasis habére nisi intus in consciéntia ópera bona recóndere? Et illæ vírgines quæ óleum habuérunt in vasis suis, omne opus bonum intus in consciéntiam posuérunt quia hoc non pro laude, sed pro misericórdia divína fecérunt.

℟. Média nocte.

Lectio ix. de S. Agnete secundo, ut in Brev. et ejus Commem. in Laud.

FESTA FEBRUARII.

DIE IV. FEBRUARII.

B. Joannæ Valesiæ

Viduæ

Ut in Suppl. pro aliquibus locis, eadem die.

DIE VI. FEBRUARII.

S. Pauli

Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

In Hymno. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*

Oratio. Da quæsumus.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PAulus, Rhemis, honéstis paréntibus natus, ab incunábulis virtútum ómnium spécimen dedit. Castitátem ádeo cóluit ut étiam in matrimónio, quod cum nóbili puélla jussu paréntum iníerat, virginitátem illibátam servárit. Wándalis Gálliam vastántibus, in Galloprovínciam prope montem Macérium, diœcésis Avenionénsis, una cum matre et úxore se cóntulit, ibíque campos exercébat.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Ecclésia Tricastinénsi, beáti Torquáti, óbitu viduáta pastóre, electóres in ejus locum quemdam nómine Paulum sufficiéndum esse divínitus, ut fertur, móniti sunt. Quæritur circumquáque Paulus, qui, tandem in agro invéntus prope dictum montem, oblátam dignitátem recusávit. Et infígens terræ virgam áridam quam manu tenébat, dixit se Epíscopum fore consecrándum cum virga hæc fólia florésque emítteret : quæ cum insperátos flores prótinus dedísset, tunc Paulus vocatiónem divínam agnóscens, relícta uxóre in Arelaténsium sanctimoniálium monastério ad civitátem Tricastinénsem accéssit, ubi summa ómnium veneratióne ac lætítia excéptus episcopátum suscépit. Póstera nocte, quam in lácrymis et oratióne pervigilávit, ab Angelo de peccatórum suórum vénia cértior factus est. Exínde pastoráli sollicitúdini incúmbens, ver-

7

bum Dei prædicáre, mœréntes consolári, dissidéntes ad concórdiam addúcere, páuperes eleemósynis juváre et virtútum ómnium exémplar esse non déstitit.
℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Cum e concílio Valentíno rediísset Judæus quidam nómine Jónathas qui beáto Torquáto centum sólidos mútuo déderat et ab eódem solutiónem accéperat, eámdem pecúniam de consílio archidiáconi a Paulo postulávit, quasi eam non accepísset. Sed Paulus, utriúsque mentem assecútus, Deum ut veritátem aperíret eníxe rogávit: mox sanctíssimæ Trinitátis invocáto nómine ad beáti Torquáti túmulum procédens et báculo pastoráli locum cápiti respondéntem percútiens, Torquátum interpéllat an pecúniam mútuo sibi a Judæo datam reddidísset? Statim respónsum fuit datam pecúniam Judæum recepísse. Quo miráculo permótus Jónathas, facti pœnitens, christiánæ milítiæ nomen dedit et baptizátus est a Paulo, qui levítam a dæmone vexátum liberávit. Dénique Paulus postquam Ecclésiam Tricastinénsem quadragínta círciter annis rexísset sanctitáte et miráculis clarus migrávit ad Dóminum Kaléndis Februárii, anno quadringentésimo duodécimo. Corpus ejus in ecclésia Cathedráli religióse servátum est usque dum furéntes hærétici sanctórum relíquias, igni devóverint. Virga quæ in die ejus electiónis flóruit diu serváta est in ecclésia quæ prope montem Macérium sub ejus invocatióne primum dedicáta fúerat. Tricastíni vero in hujus electiónis memóriam, quotánnis in processióne Kalendárum Februárii báculum cum flóribus déferunt et paréntis óptimi nomen in observántiæ et clientélæ signum civitáti suæ dedérunt.
℟. Iste est qui.
In iij. Noct. Homil. Léctio sancti Evangélii, fratres. *de Communi j. loco.*

DIE XI. FEBRUARII.
S. Titi
Episc. et Conf.

Ut in Brev., die j. libera post IV. Jan. seu VI. Febr.

DIE XVII. FEBRUAR.
S. Theuderii
Abbatis. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter seq.
In Hymno. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*

Oratio.

Deus, qui beáto Theudério Abbáti in via perfectiónis evangélicæ incédere et álios dedúcere tribuísti: ejus intercessióne gressus nostros dírige secúndum elóquium tuum; ut viam mandatórum tuó-

rum dilatáto corde currámus. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

THeudérius, nóbili génere in vico Assísia Viennénsis diœcésis ortus, a púero cœpit ómnia mundi gáudia respúere, et toto corde ad Deum solum téndere. Post exáctam in angélica pietáte adolescéntiam, erogáto paupéribus hereditátis vénditæ prétio, Lirinénsem erémum petébat, cum divi Cæsárii précibus óbsequens, Areláte súbstitit Sacerdósque consecrátus, Ecclésiæ tanti Pontíficis aliquámdiu servíre acquiévit. Sed cum movénte Spíritu supérno ut inter concíves eremíticam vitam excóleret, Viénnam inde remeávit, duóque monastéria ab urbe paulum díssita construxit. Státuit et tértium sub colle Rupeáno, natális Assísiæ confíni : quam domum propinquórum facultátibus dotátam, et Deíparæ Vírgini dicátam, ipse regíminis sapiéntia et sanctitátis fama célebrem réddidit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

EO témpore consuetúdinis erat apud Viennénses unum de plúribus eléctum et sanctióri vita commendátum, in remóto infra urbem loco constitúere, qui contemplatióni desérviens, vota pópuli Deo familiárius allegáret. Cum autem Philíppus Antístes virum huic ministério parem quæreret, gavísus est Theudérium in diœcési se reperísse. Venerábilem ígitur Abbátem accérsit, congregatóque clero et omni plebe eum públicæ salútis intercessórem instítuit. Hic grátiæ Dei se totum commíttens, sibi delégit locum apud basílicam sancti Lauréntii Mártyris, ubi diu noctúque pœniténtiæ et oratióni vacávit; et quia úndique ad eum pópuli confluébant, ipse sub secréto quantum póterat se occúltans, per exíguam fenéstram adveniéntibus mónita salútis dabat. ℟. Amávit.

Lectio vj.

COntúlerat autem ei Spíritus Dómini sapiéntiam ut sciret quid salúbre síngulis respondéret. Quis vúlnere diáboli percússus ad eum venit, quin sanus recésserit? Quis peccatórum póndere oppréssus, quin de divína misericórdia secúrior et lætior exíerit? Quis sæculi pressúra tristis, ejus hortátu ad spem ætérni gáudii ánimum non eréxerit? Dóminus servum suum miraculórum dono clarificávit; plurésque malígnis spiríticus vexáti, et váriis languóribus deténti, ejus oratiónibus sanabántur. Postquam duódecim annos in hoc loco sibi dulcíssimo vixísset, vir

Dei aliquántulum córpore languéscens consummátus méritis ad Christum migrávit, circa annum quingentésimum octogésimum. Corpus ejus ad monastérium, unde vivus fúerat accersítus, solémni pompa delátum, miráculis tum in itínere, tum in sepúlcro effúlsit.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xix.

In illo témpore : Dixit Jesus adolescénti : si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus, et habébis thesáurum in cœlo; et veni, séquere me. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Antequam Jesus adolescénti certámen et labórem osténderet, brávium præ óculis pósuit, dicens : Si vis perféctus esse, ac tum infert : Vende ómnia quæ habes, et da paupéribus. Et mox íterum præmia incúlcat; et habébis thesáurum in cœlo; et veni, séquere me. Magna enim retribútio est Dóminum sequi. Et habébis, inquit, thesáurum in cœlo. Nam quóniam magna illi cura de pecúniis erat, et quandóquidem ipsi cunctis denudári rebus consílium dabat, ut osténdat non amissúrum bona sua, sed tanto plura majóraque inventúrum, quantum cœlum terra præstabílius est, restitutiónis præstántiam thesáurum appellávit, et simul stabilitátem atque incorruptibilitátem præmii, ut fíeri póterat, per res humánas expréssit.

℟. Iste est qui.

Lectio viij.

Non ergo satis est pecúniam spérnere; verum étiam opórtet páuperes nutríre, et ante ómnia Christum sequi, id est, ómnia præstáre quæ ab ipso jubéntur, paratúmque semper esse tam labóres subíre, quam omne genus mortis sufférre. Si quis enim, inquit, veníre post me velit, ábneget semetípsum, tollátque crucem suam, et sequátur me. Hæc cum audísset adoléscens, ábiit tristis. Quod non absque causa illi accidísse significávit Evangelísta, dicens : Habébat enim multas possessiónes. Non eódem quippe modo detinéntur qui pauca póssident, et qui magna rerum cópia submergúntur; tunc enim violéntior fit ipsórum cupíditas. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Nec unquam prædicáre cessábo quod accéssio divitiárum majórem accéndit flammam; et eos qui póssident, paupérióres reddit, quandóquidem eos in plúribus constítuit cupiditátibus, efficítque ut] indigéntiam magis sén-

tiant. Pérspice ígitur quanta vis sit talis afféctus. Cum magna dives iste lætítia Christum adiísset, ita suffóssus atque óbrutus fuit, ut nec respondére quidem potúerit, sed tristis ac mœstítia pressus decésserit. Quid ígitur, Christus? Diffícile inquit, in regnum cœlórum dívites intrábunt. Quibus verbis, non pecúniam, sed pecúnia deténtos carpit. Cur autem discípulis ádeo paupéribus, ut nihil prorsus habérent, hæc dicit? Sane ut eos erudíret ne pudóri paupertátem sibi dúcerent et quasi respóndeat cur nihil illos habére permíserit.

Te Deum laudámus.

DIE XIII. MARTII.
S. Heldradi

Abbatis. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. præter seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Heldrádum Abbátem piis opéribus, signis et virtútibus in Ecclésia tua clarére fecísti: præsta, quæsumus; ut ejus méritis, et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. Justus si morte. *de eodem Communi.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Heldrádus, natióne Gallus nóbili génere in Província ortus, ab ineúnte ætáte pietátis opéribus mire déditus amplas facultátes sibi a paréntibus relíctas, partim pro Ecclésiis ædificándis, partim pro hóspitum receptióne, pauperúmque sustentatióne impéndit. Mox ad religiósum statum, Deo affiánte, vocátus, Gálliam, Hispániam et Itáliam peragrávit arctióris vitæ álíquo in cœnóbio inveniéndæ studiósus. In subalpínis ad radíces Montis Cinísii prope óppidum Novalícii áderat monastériū quingentórum monachórum, sub régula sancti Patris Benedícti Dómino famulántium, quorum austeritáte et perfectióne illéctus Heldrádus monástico hábitu índui efflagitávit, et ab ejúsdem cœnóbii Abbáte lætánter suscéptus est. Defúncto post septem annos Hugóne Cároli Magni fílio ejúsdem Monastérii Abbáte, unánimi ómnium consénsu ei subrogátus est Heldrádus, qui précibus exorátus réstitit, exémplis incitátus, vi ferme tractus rénuit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Efflóruit in sancto viro virtútum ómnium compléxio, præcípue cástitas, humílitas, benígnitas, zelus reguláris disciplínæ exímius, sapiéntia ac prudéntia insígnis. Novum ínterim monastérium in valle prope Brigántium cónstrui debébat, et jam pium opus ad optátum

finem appropinquábat, cum serpéntium magno número ínibi reptántium infestatiónem mónachi diútius ferre non valéntes ad sanctum Abbátem pro remédio confugérunt, qui ad prædíctum locum véniens, et serpéntibus in unum congregátis, férula, quam manu tenébat præeúntem se sequi præcípiens, eósque in cóncavum locum glomerátim addúcens, illis inde égredi vétuit. Quarto die ántequam beátus vir e vita decéderet, mónachis in unum convocátis óbitum suum jam imminéntem denuntiávit, eósque ad exáctam sanctæ régulæ observántiam, ad perfectiónis stúdium, ac ad fratérnam caritátem mire incéndit.

℞. Amávit eum.

Lectio vj.

Die vero discéssus sui instánte, elevátis in cœlum óculis, et resúmptis parúmper víribus Viáticum Domínicæ Communiónis expétiit, religiosésque suscépit, et sic inter discipulórum manus, lácrymas et suspíria ánimam Deo réddidit, tértio Idus Mártii, anno reparátæ salútis octingentésimo septuagésimo quinto. Præfuit sanctus Abbas monastério Novaliciénsi annis trigínta, ibidémque sepúltus est. Innúmera pene fuérunt mirácula, quibus Dóminus hujus beáti Patris sanctitátem ómnibus testátam esse vóluit. Inter ália ejus intercessióne patráta máxime enituérunt, immánis pestis représsa; pública discórdia sedáta, in próximo vitæ discrímine constitúti navigántes naufrágio erépti; serpens ingréssus in os púeri dormiéntis ejéctus; múlier ejus festum víolans in manu vulneráta, ac mox pœnitens sanáta; mens sana furióso réddita; óculus amíssus restaurátus; peccátrix a Novaliciénsis templi ingréssu prohíbita, post peccatórum exomologésim expedíte in ipsum ingréssa; mutis et surdis loquéla, ac audítus : claudis gressus; mulíeri aquis mersæ, et jam exstínctæ, ac fœténti vita restitúta.

℞. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* xix.

In illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis. *Declam. de Colloq. Simonis cum Jesu.*

Nota ádmodum quæstio est, quemádmodum Petrus, cum nil fere ex ómnibus habuísse sciátur, tam fiduciáliter gloriétur : sese ómnia reliquísse. Unde

Sanctórum quíspiam, multum, inquit, deséruit, qui voluntátem habéndi relíquit. Et post pauca : A sequéntibus ergo tanta relícta sunt, quanta a non sequéntibus desiderári potuérunt. Fidélis sermo sed fórsitan clausus et ipse est. Numquid enim volúntas habéndi tam multa compléctitur, ut reliquísse illam sit ómnia deseruísse. Quis hóminum ómnia desideráre possit, nedum piscátor ipse pauper, et módicus? Sed quid cuíque sufficere possit, diligéntius vestigáto, et fácile est inveníre ómnia desiderántem. Neque enim pónere est concupiscéntiæ modum, donec videátur impléta, donec adépta sit, quibus váleat esse conténta.
℟. Iste est qui.

Lectio viij.

Quid prosunt vobis hæc? non sunt naturáles cibi, magis famem hæc próvocant, quam exstínguunt. Ad imáginem Dei facta ánima rationális céteris ómnibus occupári potest, repléri omníno non potest. Capácem Dei, quidquid Deo minus est, non implébit. Inde est, quod naturáli quidem desidério summum quivis probátur appétere bonum, nullum nisi adépto eo réquiem habitúrus. Céterum errant míseri non inveniéntes viam, et ut scriptum est, ámbulant ímpii in circúitu; dum minóra quæque bona quæréntes, illud semper desíderant, quod sibi vicínius nec dum vidéntur adépti. ℟. Sint lumbi.
Lectio ix. de Hom. Fer. occ.





Typis Societat. S. Joannis Ev., DESCLÉE, LEFEBVRE et Soc. Tornaci.

Officia Propria

Archidioeces. Aquensis a S. R. C. approbata ac de mandato Illustrissimi et Reverendissimi Augustini Forcade Archiepiscopi Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis edita. Pars Verna.






Tornaci Nerviorum, Sumptibus et Typis Societatis S. Joannis Evangelistae. Desclée, Lefebvre et Soc. Pont. Edit. — m.dccc.lxxxiv.

Kalendarium PERPETUUM AD USUM CLERI CIVITATIS ATQUE INTEGRAE ARCHIDIOECESIS Aquensis.

Februarius.

7 Romualdi Abb. *dupl.*
8 Joannis de Matha Conf. *dupl.*
9 Cyrilli Alexandrini Episc. Conf. et Doct. *dupl.* — *Comm.* S. Apolloniae Virg. Mart.
10 Scholasticae Virg. *dupl.*
11 Titi Ep. Conf.(d. a. ex 6 hujus.) *dupl.*
12 Andreae Corsini Ep. Conf. (d. a. ex 4 huj.) *dupl.*
13 Marcelli Pap. Mart. (d. a. ex 16 Januarii) *semid.*
14 Raymundi de Pennafort Conf. (d. a. ex 23 Januarii) *semid.* — *Com.* S. Valentini Mart.
15 Faustini et Jovitae MM. *simpl.*
16
17 *Theuderii* Abb. *dupl.* 1
18 Simeonis Ep. Mart. *simpl.*
19
20
21
22 Cathedra S. Petri Ap. Antiochiae, *dupl. maj.* — *Comm.* S. Pauli Ap.
23 Petri Damiani Ep. Conf. et Doct. *dupl.* — *Com.* Vigiliae (nisi annus fuerit bissextilis).
24 vel 25 MATHIAE Ap. *dupl. 2. cl.*
25 vel 26
26 vel 27
27 vel 28
28 vel 29

In anno bissext. Februarius habet dies 29.

FESTA MOBILIA.

Feria VI. post Dom. I. Quadrages. Lanceae et Clavorum D. N. J. C. *dupl. maj.*—*Com.* Fer.
Feria VI. post Dom. II. Quadrag. Sac. Sindonis D. N. J. C. *dupl. maj.* — *Com.* Fer.
Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Sacror. Quinque Vulnerum D. N. J. C. *dupl. maj.* — *Com.* Fer.

Martius.

1
2
3
4 Casimiri Conf. *semid.*—*Com.* S. Lucii Pap. Mart.
5
6
7 Thomae de Aquino Conf. et Doct. *dupl.*—*Com.* SS. Perpetuae et Felicitatis MM.
8 Joannis de Deo Conf. *dupl.*
9 Franciscae Romanae Vid. *dupl.*
10 Quadraginta Martyrum, *semid.*
11
12 Gregorii Pap. Conf. et Doct. *dupl.*
13 *Heldradi* Abb. *dupl.* 3
14
15
16

17 Patritii Ep. Conf. *dupl.*
18 *Gabrielis* Archangeli, *dupl. maj.*
19 JOSEPH Conf. Sponsi B. M. V. *dupl. 1. cl.*
20 Cyrilli Hierosolymit. Ep. Conf. et Doct. (d. a. ex 18 huj.) *dupl.*
21 Benedicti Abbatis, *dupl. maj.*
22
23
24
25 ANNUNTIATIO B. M. V. *dupl. 2. cl.*
26
27
28
29
30 *Reguli* Ep. Conf. *dupl.* 6
31

FESTA MOBILIA.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. *Pretiosiss. Sanguinis* D. N. J. C. *dupl. maj.—Com.* Fer.

Feria VI. post Dom. Passionis. *Septem. Dolorum* B. M. V. *dupl. maj.—Com.* Fer.

Aprilis.

1
2 Francisci de Paula, Conf. *dupl.*
3
4 Isidori Ep. Conf. et Doct. *dupl.*
5 Vincentii Ferrerii Conf. *dupl.*
6
7
8
9
10
11 Leonis Pap. Conf. et Doct. *dupl.*
12
13 Hermenegildi Mart. *semid.*
14 Justini Mart. *dupl.—Com.* SS. Tiburtii, Valeriani et Maximi MM.
15
16
17 Aniceti Pap. Mart. *simpl.*
18
19
20 *Marcellini* Ep. Conf. *dupl.* 7
21 Anselmi Ep. Conf. et Doct. *dupl.*
22 Soteris et Caji Pontif. MM. *semid.*
23 Georgii Mart. *semid.*
24 Fidelis a Sigmaringa Mart. *dupl.*
25 MARCI Evangelistae, *dupl. 2. cl.*
26 *B. M. V. a Bono Consilio, dupl. maj.* 9
27 Cleti et Marcellini Pontif. MM. (d. a. ex heri) *semid.*
28 Pauli a Cruce Conf. *dupl. Com.* S. Vitalis Mart.
29 Petri Mart. *dupl.*
30 Catharinae Senensis Virg. *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Domin. III. post Pasch. PATROCINIUM S. JOSEPH Conf. *dupl. 2. cl.—Com.* Dom.

Domin. IV. post Pasch. *B. M. V. Matris Gratiae, dupl. maj.—Com.* Dom. 18

Maius.

1 PHILIPPI ET JACOBI Apostol. *dupl. 2. cl.*
2 Athanasii Ep. Conf. et Doct. *dupl.*
3 INVENTIO S. CRUCIS, *dupl. 2. cl.—Com.* SS. Alexandri et Soc. MM. ac Juvenalis Ep. Conf.

4 Monicae Vid. *dupl.*
5 *Hilarii* Ep. et Conf. *dupl.* 13
6 Joannis ante portam Latinam, *dupl. maj.*
7 Stanislai Ep. Mart. *dupl.*
8 Apparitio S. Michaelis Archangeli, *dupl. maj.*
9 Gregorii Nazianz. Ep. Conf. et Doct. *dupl.*
10 Antonini Ep. Conf. *dupl. — Com.* SS. Gordiani et Epimachi MM.
11 *Francisci de Hieronymo* Conf. *dupl.*
12 Nerei et Soc. MM. *semid.*
13 Pii V. Pap. Conf. (d. a. ex 5 hujus.) *dupl.*
14 Bonifacii Mart. *simpl.*
15 *Isidori Agricolae* Conf. *dupl.*
16 *Joannis Nepomuceni* Mart. *dupl.*
17 Paschalis Baylon Conf. *dupl.*
18 Venantii Mart. *dupl.*
19 Petri Coelestini Pap. Conf. *dupl. — Com.* S. Pudentianae Virg.
20 Bernardini Senen. Conf. *semid.*
21 *Florentini* Abb. Conf. *dupl.* 14
22 Ubaldi Ep. Conf. (d. a. ex 16 huj.) *semid.*
23
24 *B. M. V. tit. Auxilium Christianorum, dup. maj.—Com. S. Servuli* Mart. 15
25 *Mariae Jacobi et Mariae Salome* Viduar. *dupl. maj.—Com.* S. Urbani Pap. Mart. 16
26 Philippi Nerii Conf. *dupl.—Com.* S. Eleutherii Pap. Mart.
27 Mariae Magd. de Pazzis Virg. *semid. — Com.* S. Joannis Pap. Mart.
28 Augustini Episc. Cantuariensis Conf. *dupl.*
29 Gregorii VII. Pap. Conf. (d. a. ex 25 huj.) *dupl.*
30 Felicis Pap. Mart. *simplex.*
31 Angelae Merici Virg. *dupl.—Com.* S. Petronillae Virg.

FESTA MOBILIA.

Domin. infra Octav. Ascensionis. S. MAXIMINI, *primi Episc. Aquensis* et praecipui totius Archidioeceseos Patroni, *dupl. 1. cl. cum Octava* usque ad seq. Fer. VI. — *Com.* Dom. 24

Junius.

1
2 Marcellini, Petri et Erasmi MM. *simpl.*
3
4 Francisci Caracciolo Conf. *dupl.*
5 Bonifacii Ep. Mart. *dupl.*
6 Norberti Ep. Conf. *dupl.*
7
8
9 Primi et Feliciani MM. *simpl.*
10 Margaritae Reginae Scotiae, Vid. *semid.*
11 Barnabae Ap. *dupl. maj.*
12 Joannis a S. Facundo Conf. *dupl. — Com.* SS. Basilidis et Soc. MM.
13 Antonii de Padua Conf. *dupl.*
14 Basilii Ep. Conf. et Doct. *dupl.*
15 Viti, Modesti atque Crescentiae MM. *simpl.*
16 *Aureliani* Ep. Conf. *dupl.* 33
17 *Joannis Francisci Regis* Conf. (d. a. ex heri) *dupl.* 33
18 Marci et Marcelliani MM. *simpl.*
19 Julianae de Falconeriis Virg. *dupl.—Com.* SS. Gervasii et Soc. MM.

Imprimatur.
Tornaci, die 14. Januarii 1884.
G. BOUVRY, Vic. Gen.



Officia Propria Archidioecesis Aquensis.

Pars Verna.

DIE XI. FEBRUARII.

S. Titi

Episc. et Conf.

Ut in Brev., die j. libera post IV. Jan. seu VI. Febr.

DIE XVII. FEBRUAR.

S. Theuderii

Abbatis. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter seq.

In Hymno. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*

Oratio.

DEus, qui beáto Theudério Abbáti in via perfectiónis evangélicæ incédere et álios dedúcere tribuísti : ejus intercessióne gressus nostros dírige secúndum elóquium tuum; ut viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. Justus si morte. *de Comm. j. loco. Extra Quadrag. de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



THeudérius, nóbili génere in vico Assísia Viennénsis diœcésis ortus, a púero cœpit ómnia mundi gáudia respúere, et toto corde ad Deum solum téndere. Post exáctam in angélica pietáte adolescéntiam, erogáto paupéribus hereditátis vénditæ prétio, Lirinénsem erémum petébat, cum divi Cæsárii précibus óbsequens, Areláte súbstitit Sacerdósque consecrátus, Ecclésiæ tanti Pontíficis aliquámdiu servíre acquiévit. Sed cum movénte Spíritu supérno ut inter concíves eremíticam

vitam excóleret, Viénnam inde remeávit, duóque monastéria ab urbe paulum díssita construxit. Státuit et tértium sub colle Rupeáno, natális Assísiæ confíni : quam domum propinquórum facultátibus dotátam, et Deíparæ Vírgini dicátam, ipse regíminis sapiéntia et sanctitátis fama célebrem réddidit. ℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Eo témpore consuetúdinis erat apud Viennénses unum de plúribus eléctum et sanctióri vita commendátum, in remóto infra urbem loco constitúere, qui contemplatióni desérviens, vota pópuli Deo familiárius allegáret. Cum autem Philíppus Antístes virum huic ministério parem quæreret, gavísus est Theudérium in diœcési se reperísse. Venerábilem ígitur Abbátem accérsit, congregatóque clero et omni plebe eum públicæ salútis intercessórem instítuit. Hic grátiæ Dei se totum commíttens, sibi delégit locum apud basílicam sancti Lauréntii Mártyris, ubi diu noctúque pœniténtiæ et oratióni vacávit; et quia úndique ad eum pópuli confluébant, ipse sub secréto quantum póterat se occúltans, per exíguam fenéstram adveniéntibus mónita salútis dabat.
℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Contúlerat autem ei Spíritus Dómini sapiéntiam ut sciret quid salúbre síngulis respondéret. Quis vúlnere diáboli percússus ad eum venit, quin sanus recésserit? Quis peccatórum póndere oppréssus, quin de divína misericórdia secúrior et lætior exíerit? Quis sæculi pressúra tristis, ejus hortátu ad spem ætérni gáudii ánimum non eréxerit? Dóminus servum suum miraculórum dono clarificávit; plurésque malígnis spirítibus vexáti, et váriis languóribus deténti, ejus oratiónibus sanabántur. Postquam duódecim annos in hoc loco sibi dulcíssimo vixísset, vir Dei aliquántulum córpore languéscens consummátus méritis ad Christum migrávit, circa annum quingentésimum octogésimum. Corpus ejus ad monastérium, unde vivus fúerat accersítus, solémni pompa delátum, miráculis tum in itínere, tum in sepúlcro effúlsit.
℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xix.

In illo témpore : Dixit Jesus adolescénti : si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus, et habébis thesáurum in cœlo; et veni, séquere me. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

ANtequam Jesus adolescénti certámen et labórem osténderet, brávium præ óculis pósuit, dicens : Si vis perféctus esse, ac tum infert : Vende ómnia quæ habes, et da paupéribus. Et mox íterum præmia incúlcat : et habébis thesáurum in cœlo; et veni, séquere me. Magna enim retribútio est Dóminum sequi. Et habébis, inquit, thesáurum in cœlo. Nam quóniam magna illi cura de pecúniis erat, et quandóquidem ipsi cunctis denudári rebus consílium dabat, ut osténdat non amissúrum bona sua, sed tanto plura majóraque inventúrum, quantum cœlum terra præstabílius est, restitutiónis præstántiam thesáurum appellávit, et simul stabilitátem atque incorruptibilitátem præmii, ut fíeri póterat, per res humánas expréssit. ℟. Iste est.

Lectio viij.

NOn ergo satis est pecúniam spérnere; verum étiam opórtet páuperes nutríre, et ante ómnia Christum sequi id est, ómnia præstáre quæ ab ipso jubéntur, parátumque semper esse tam labóres subíre, quam omne genus mortis sufférre. Si quis enim, inquit, veníre post me velit, ábneget semetípsum, tollátque crucem suam, et sequátur me. Hæc cum audísset adoléscens, ábiit tristis. Quod non absque causa illi accidísse significávit Evangelísta, dicens : Habébat enim multas possessiónes Non eódem quippe modo detinéntur qui pauca póssident, et qui magna rerum cópia submergúntur; tunc enim violéntior fit ipsórum cupíditas. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix. de Homil. Feriæ.

FESTA MARTII.

DIE XIII. MARTII.

S. Heldradi

Abbatis. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter seq.

Oratio.



DEus, qui beátum Heldrádum Abbátem piis opéribus, signis et virtútibus in Ecclésia tua claróre fecísti : præsta, quæsumus; ut ejus méritis, et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. Justus si morte. *de Communi j. loco. Extra Quadrag. de Script. occurr. In secundo Nocturno.*

Lectio iv.



HEldrádus, natióne Gallus nóbili génere in Província ortus, ab ineúnte ætáte pietátis opéribus mire déditus amplas facultátes sibi a paréntibus relíctas, partim pro Ecclésiis ædificándis, partim pro hóspitum receptióne, pauperúmque

sustentatióne impéndit. Mox ad religiósum statum, Deo afflánte, vocátus, Gálliam, Hispániam et Itáliam peragrávit arctióris vitæ áliquo in cœnóbio inveniéndæ studiósus. In subalpínis ad radíces Montis Cinísii prope óppidum Novalícii áderat monastérium quingentórũ monachórum, sub régula sancti Patris Benedícti Dómino famulántium, quorum austeritáte et perfectióne illéctus Heldrádus monástico hábitu indui efflagitávit, et ab ejúsdem cœnóbii Abbáte lætánter suscéptus est. Defúncto post septem annos Hugóne Cároli Magni fílio ejúsdem Monastérii Abbáte, unánimi ómnium consénsu ei subrogátus est Heldrádus, qui précibus exorátus réstitit, exémplis incitátus, vi ferme tractus rénuit. ℟. Honéstum.

Lectio v.

Efflóruit in sancto viro virtútum ómnium compléxio, præcípue cástitas, humílitas, benígnitas, zelus reguláris disciplínæ exímius, sapiéntia ac prudéntia insígnis. Novum ínterim monastérium in valle prope Brigántium cónstrui debébat, et jam pium opus ad optátum finem appropinquábat, cum serpéntium magno número íníbi reptántium infestatiónem mónachi diútius ferre non valéntes ad sanctum Abbátem pro remédio confugérunt, qui ad prædíctum locum véniens, et serpéntibus in unum congregátis, férula, quam manu tenébat præeúntem se sequi præcípiens, eósque in cóncavum locum glomerátim addúcens, illis inde égredi vétuit. Quarto die ántequam beátus vir e vita decéderet, mónachis in unum convocátis óbitum suum jam imminéntem denuntiávit, eósque ad exáctam sanctæ régulæ observántiam, ad perfectiónis stúdium, ac ad fratérnam caritátem mire incéndit. ℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Die vero discéssus sui instánte, elevátis in cœlum óculis, et resúmptis parúmper víribus Viáticum Domínicæ Communiónis expétiit, religioséque suscépit, et sic inter discipulórum manus, lácrymas et suspíria ánimam Deo réddidit, tértio Idus Mártii, anno reparátæ salútis octingentésimo septuagésimo quinto. Præfuit sanctus Abbas monastério Novaliciénsi annis trigínta, ibidémque sepúltus est. Innúmera pene fuérunt mirácula, quibus Dóminus hujus beáti Patris sanctitátem ómnibus testátam esse vóluit. Inter ália ejus intercessióne patráta máxime enituérunt, immánis pestis représsa; pública discórdia sedáta, in próximo vitæ discrímine constitúti navigántes naufrágio

erépti; serpens ingréssus in os púeri dormiéntis ejéctus; múlier ejus festum víolans in manu vulneráta, ac mox pœnitens sanáta; mens sana furióso réddita; óculus amíssus restaurátus; peccátrix a Novaliciénsis templi ingréssu prohíbita, post peccatórum exomologésim expedíte in ipsum ingréssa; mutis et surdis loquéla, ac audítus : claudis gressus; mulieri aquis mersæ, et jam exstínctæ, ac fœténti vita restitúta. ℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xix.

In illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Declam. de Colloq. Simonis cum Jesu.

Nota ádmodum quæstio est, quemádmodum Petrus, cum nil fere ex ómnibus habuisse sciátur, tam fiduciáliter gloriétur : sese ómnia reliquísse. Unde Sanctórum quispiam, multum, inquit, deséruit, qui voluntátem habéndi relíquit. Et post pauca : A sequéntibus ergo tanta relícta sunt, quanta a non sequéntibus desiderári potuérunt. Fidélis sermo sed fórsitan clausus et ipse est. Numquid enim volúntas habéndi tam multa compléctitur, ut reliquísse illam sit ómnia deseruísse. Quis hóminum ómnia desideráre possit, ne dum piscátor ipse pauper, et módicus? Sed quid cuíque suffícere possit, diligéntius vestigáto, et fácile est inveníre ómnia desiderántem. Neque enim pónere est concupiscéntiæ modum, donec videátur impléta, donec adépta sit, quibus váleat esse conténta. ℟. Iste est qui.

Lectio viij.

Quid prosunt vobis hæc? non sunt naturáles cibi, magis famem hæc próvocant, quam exstínguunt. Ad imáginem Dei facta ánima rationális céteris ómnibus occupári potest, repléri omníno non potest. Capácem Dei, quidquid Deo minus est, non implébit. Inde est, quod naturáli quidem desidério summum quivis probátur appétere bonum, nullum nisi adépto eo réquiem habitúrus. Céterum errant míseri non inveniéntes viam, et ut scriptum est, ámbulant ímpii in circúitu; dum minóra quæque bona quæréntes, illud semper desíderant, quod sibi vicínius nec dum vidéntur adépti.
℟. Sint lumbi.

Lectio ix. de Homil. Feriæ occurr. Extra Quadrag. erit sequens.

Lectio ix.

UTinam, si fieri posset, cétera ómnia obtinuísset unus, eodémque procul dúbio, et ipsum, quod sibi solum deésse vidéret, summum útique bonum, desidério quæsitúrus, quo cétera quoque semper éxpetit, non adépta. Vis præveníre? íncipe transilíre. Alióquin præripiéris miser in desidério terrenórum, et a summo bono eo lóngius inveniéris, quo te ámplius déderis cadúcis rebus, et transitóriis appeténdis. In circúitu síquidem ámbulas, et quod prope erat in corde, et in ore tuo, si corde créderes, et ore confiteréris, terga vertens, declínas, et elongáris ab eo. Anfractuósa quippe via est et inambulábis, faciliúsque pervénies, spretis ómnibus, quam adéptis.

Te Deum laudámus.

DIE XVIII. MARTII.

S. Gabrielis

Archangeli.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis, eadem die.

DIE XXX. MARTII.

S. Reguli

Arelatensis Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

In Hymno Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*

Oratio.

DEus, qui beátum Régulum, Confessórem atque Pontíficem, Evangélicæ prædicatiónis glória decorásti : præsta nobis, quæsumus; ut quos fidéles donásti esse doctrínis, meritórum imitatóres éffici mereámur. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. in Quadrag. Fidélis sermo. *Extra Quadrag. de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ARelaténsis Ecclésiæ vetus et a multis scriptóribus laudáta tradítio est, Régulum, natióne Græcum, cum sanctis Dionysio, Rústico et Eleuthério, et áliis, in Gállias, ad prædicándum Christi Evangélium ab Apostólica sede diréctum fuísse; eóque témpore quo beátus Dionysius Parisiénsem præsulátum gessit, apud Arelaténses Epíscopum fuísse, nec ab illa diœcési recess sse, donec inter Missárum solémnia de felíci sanctórum Dionysii ac Sociórum agóne, qui illo die complétus fúerat, divína revelatióne admónitus est. Relícto autem, qui pópulum Arelaténsem régeret, Epíscopo Felicíssimo, Lutétiam Parisiórum, mox Sylvanéctum se cóntulit. Cujus pópulum præcónio salutári et multis miráculis ad Evangélicæ veritátis

agnitiónem cultúmque perdúxit. Novéllas plantatiónes verbo et ópere indesinénter irrigávit, quoúsque tandem præmio cœlésti méruit a Dómino donári, tértio Kaléndas Aprílis, quo die Areláte et Sylvanécti, ubi sepúltus est, festívitas ejus celebrátur.
℟. Invéni David.
Sermo S. Máximi Epíscopi. *Ex Hom.* lix. *de S. Euseb.* 2.

Lectio v.

BEáti Patris Réguli mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus : qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit : qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi unus cum vígili hoste conflíctus? ℟. Pósui adjutóriū.

Lectio vj.

QUantis hic cæcis a via veritátis errántibus, et de summa jam in profúndum rupe pendéntibus amíssum réddidit visum, et illum, quo Christus viderétur reparávit intúitum? Quantórum áuribus surdis, et infidelitátis obturatióne damnátis, ad percipiéndam vocem cœléstium mandatórum, pretiósum infúdit audítum, ut vocánti Deo ad misericórdiam respondérent per obediéntiam? Quantos intrínsecus vulnerátos, angélici oris arte et oratiónum, ab infirmitáte curávit?
℟. Iste est qui.
In iij. Noct. Homil. S. Hilarii Episc. Ut ignorántiam illam. *de Comm. ij. loco. In Quadrag. ix. Lect. de Homil. Feriæ.*

FESTA APRILIS.

DIE XX. APRILIS.

S. Marcellini

primi Ebredunen. Episc. Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pontif. præter sequentia.

Oratio.

DEus qui nos Unigéniti tui resurrectióne vivíficas, et beáti Confessóris tui atque Pontíficis Marcellíni festivitáte lætíficas : ejus précibus concéde, ut fidem quam prædicávit ópere exsequéntes, beátæ Resurrectiónis grátiam cónsequi mereámur. Per Dóminum.
Lect. j. Noct. de Script. occ.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MArcellínus in Africa piis et illústribus paréntibus natus, cum adoléscens sacris lítteris studiósius insísteret, divíno Spíritu admónitus est ut Gál-

lias sancta sollicitúdine visitáret atque pópulos gentilitátis mersos ténebris ad fídei lumen addúceret. Vincéntium et Domnínum sibi sócios elégit; et cum eis ex Africæ portu inconsúltis paréntibus solvens, felíciter Romam advénit, sedénte Eusébio Pontífice, et Diocletiáno imperánte. Póntifex humaníssime accéptos consílium divínitus immíssum exséqui præcláre hortátur et ad Eusébium Vercellénsem antístitem mandat a quo in suscépto ópere dírigi possint. Hic præságo spíritu multa eis advérsa denúntiat et ad ea fórtiter ferénda egrégie animátos dimíttit. Viam ígitur prosequéntes, divínæ fídei sémina ubíque spárgere jam incípiunt, tandémque superátis Alpibus pervéniunt Ebredúnum. Erat tunc misérrimus christianórum hujus civitátis status : corrúperant pene omnes sinceritátem veræ religiónis, quæ ab ipsis Nerónis tempóribus, per sanctos Nazárium et Celsum invécta fúerat.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Porro Marcellínus oratiónis locum primum éxstruit juxta muros urbis et ibi cum sóciis ad incéptum opus eníxius se præparat. Deus quidem evangelizántium verbo tantam virtútem cóntulit ut in dies crescénte fidélium número, novam ecclésiam ædificári necésse fúerit; ad ejus consecratiónem rogátus est Eusébius Vercellénsis. Hic assisténte sibi Emiliáno Valentinénsi, Marcellínum licet reluctántem Epíscopum solémni ritu ordinávit. Mox Marcellínus, de finitimárum étiam géntium salúte sollícitus, Diniénses Vincéntio et Domníno excoléndos commísit. Supérerat autem in urbe Ebredunénsi Ethnicus, quem ad épulas una cum áliis vocátum blandis ad fidem verbis cœpit allícere. Cumque is áliquod signum quæreret, ex púeri mánibus vítreus calix décidens dissíluit, cujus extémplo vir sanctus colléctas partes in íntegrum restítuit, eóque miráculo Ethnicum ad baptísmum addúxit. Venérunt intérea ab imperatóre legáti et Marcellínus cuípiam ex illis forte occúrrit. Is autem flagéllo quod manu tenébat in sancti caput sævíre ausus est, cum, ulciscénte Deo, cítius a dæmone obséssus horrendúmque in modum stridens in terram dejícitur At sancti Præsulis oratióne sanátus suáve Christi jugum elégit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Jam ad ovíle Christi, non modo in urbe sed vicínis locis tanta erat multitúdinis accéssio ut omnes, projécta ante

Marcellíni pedes pecúnia, novum templum postulárent, quod sexto décimo ab urbe lápide propter distántes pópulos ædificátum est. Ad ejus solémnia celebránda sanctus Póntifex, innumerábili comitánte turba, procédens, ad flúvium abundántibus plúviis veheménter auctum pervénit, ibíque necessário sisténdum fuísset nisi Marcellínus divíno fretus præsídio antíquum renovásset Jordánis prodígium. Excitáto enim ad fidúciam pópulo, non prius ab oratióne déstitit quam revolútæ sursum tuméntes undæ, univérsæ multitúdini siccum iter præbuíssent. Tanti miráculi fama in finítimas regiónes perláta ingéntem paganórum cópiam ad fidem addúxit. Dénique Marcellínus non minus virtútum splendóre quam miraculórum glória illústris et máxima parte Alpium maritimárum ad Christum convérsa, obdormívit in Dómino Idibus Aprílis : ejus tamen exséquiæ octávo tantum post die, qui ei sacer est, a vicínis Epíscopis celebrátæ sunt. ℟. Iste est. *In iij. Noct. Homil.* Léctio sancti Evangélii, fratres. *de Communi j. loco.*

DIE XXVI. APRILIS.

B.M.V. de Bono Consil.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. præter sequentia.

Oratio.

Bonórum ómnium largítor Deus, qui Genitrícis diléctì Fílii tui speciósam imáginem mira apparitióne clarificáre voluísti : concéde quæsumus ; ut ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, ad cœléstem pátriam felíciter perducámur. Per eúmdē.

Ad matutinum,

Hymnus.

Claude festívo, pia gens, honóre,
Dum Genestáni veneráris ædem,
Qua Dei magnæ Genitrícis alma
Splendet imágo.
Hæc ubi mira spécie repénte
Obtulit sese pópulis vidéndam,
Multa mox secum bona ferre nostras
Visa per oras.
Ipsa tunc ægris áderat, moléstos
Córporis morbos, animíque pellens,
Longe et ærúmnas Látio imminéntes
Ipsa fugábat.
Virgo, quæ magnis decoráta signis
Nunc quoque effúlges, míseris juvámen
Affer, et fusis pátiens cliéntū
Annue votis.
Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui super cœli sólio corúscans,

Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus et unus. Amen.

In primo Nocturno.

De libro Proverbiórum.

Lectio j. *Cap.* ij. *b*

SI intráverit sapiéntia cor tuum, et sciéntia ánimæ tuæ placúerit : consílium custódiet te, et prudéntia servábit te, ut eruáris a via mala, et ab hómine, qui pervérsa lóquitur : qui relínquunt iter rectum, et ámbulant per vias tenebrósas : qui lætántur cum malefécerint, et exsúltant in rebus péssimis quorum viæ pervérsæ sunt, et infámes gressus eórum.
℟. Sancta et immaculáta.

Lectio ij. *Cap.* iij. *c*

FIli mi, ne éffluant hæc ab óculis tuis : Custódi legem atque consílium : et erit vita ánimæ tuæ, et grátia fáucibus tuis : tunc ambulábis fiduciáliter in via tua, et pes tuus non impínget : si dormíeris, non timébis : quiésces, et suávis erit somnus tuus : ne páveas repentíno terróre, et irruéntes tibi poténtias impiórum. Dñus enim in látere tuo, et custódiet pedem tuum, ne capiáris. ℟. Congratulámini.

Lectio iij. *Cap.* viij. *b*

EGO sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum : arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt : per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo : et qui mane vígilant ad me, invénient me. ℟. Beáta es.

In secundo Nocturno.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

In Natali sancti Joannis Baptistæ.

Lectio iv.

HOminem concépit Elísabeth, hóminem María : sed Elísabeth solum hóminem, María Deum et hóminem. Mira res est, quómodo potúerit concípere creatúra Creatórem. Quid est ergo intelligéndum, fratres mei, nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola matre qui fecit primum hóminem sine patre et matre? Primus ille noster casus fuit, quando fémina, per quam mórtui sumus, in corde concépit venéna serpéntis. Persuásit enim serpens peccátum, et admíssus est male suádens. Si primus noster casus fuit, cum fémina concépit corde venéna serpéntis; non mirándum, quod salus nostra facta est, cum fémina concépit in útero carnem Omnipoténtis. Utér-

quececíderat sexus, utérque fúerat reparándus. Per mulíerem in intéritum missi erámus: per mulíerem nobis réddita est salus.

℟. Sicut cedrus.

De Sermóne sancti Fulgéntii Epíscopi. *De Laud. Mariæ ex partu Salvatoris.* Lectio v.

Quóniam diábolus per serpéntem Hevæ locútus, per Hevæ aures mundo íntulit mortem: Deus per Angelum ad Maríam pértulit verbum, et cunctis sæculis vitam effúdit. Angelus sermónem ejécit, et Christum Virgo concépit. Hoc splendóre concípitur Dei Fílius: hac mundítia generátur. De cœlis médicus tránsiens per Vírginem, post tránsitum suum illæsam fecit Vírginem permanére. Qui enim disrúpta córporum membra in áliis póterat integráre tangéndo, quanto magis in sua matre, quod invénit íntegrum, pótuit non violáre nascéndo? Crevit enim ejus partu intégritas córporis pótius, quam decrévit, et virgínitas ampliáta est pótius quam fugáta.

℟. Quæ est ista.

Lectio vj.

MAría quam præclaríssimis tribus bonis sublimétur, auscúlta: salutatiónis angélicæ, benedictiónis divínæ, et plenitúdinis grátiæ. Sic enim eam légitur salutásse: Ave María, grátia plena, benedícta inter mulíeres. Et ut nihil non sublíme esset in hac sanctíssima Vírgine, quam Angelus grátia plenam salutávit, non sine divíno consílio factum est, ut ejus étiam imágines summo essent in honóre, et prodígiis miraculísque claréscerent. Quas inter ea tribus ab hinc sæculis præcípuo honóre cólitur quæ, Paulo secúndo sedénte, mirabíliter apparuísse in paríete ecclésiæ Patrum órdinis Eremitárum sancti Augustíni in óppido Genestáni, Prænestínæ diœcésis, ex pontifíciis diplomátibus et suppáribus monuméntis comprobátur. Quibus permótus Pius Papa sextus præfátis ejúsdem óppidi cœnobítis Offícium próprium concéssit séptimo Kaléndas Máias, ipso scílicet apparitiónis die recitándum: ac deínde illud, die quæ immediáte subséquitur pro ejus recitatióne in pósterum assignáta, ad univérsum prædíctum órdinem sub ritu dúplicis majóris exténdit.

℟. Ornátam monílibus.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* j.

Liber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Thomæ Epíscopi. *In Conc.* ij. *Nativ. B. M. V.*


Ogitánti mihi, ac diu hæsitánti quid causæ sit quod, cum Evangelístæ de Joánne Baptísta et áliis Apóstolis tam longum fecére tractátum, de Vírgine María, quæ vita et dignitáte omnes antecédit, ita summátim percúrrant históriam : Cur, inquam, non tráditum est memóriæ quómodo concépta, quómodo nata, quómodo nutríta; quibus móribus decoráta, quibus virtútibus ornáta; quid cum Fílio in humánis égerit, quómodo cum illo conversáta sit, quómodo post ejus Ascensiónem cum Apóstolis víxerit? Magna erant hæc, et memorátu digna, et quæ cum summa devotióne a fidélibus legeréntur, a pópulis amplecteréntur. Quis enim dúbitat, quin in ejus nativitáte et pueritia mira multa contígerint, et puélla hæc in téneris annis stupéndum sæculis virtútum ómnium monuméntum exstíterit? ℟. Felix namque.

Lectio viij.


Æc mihi hæsitánti, cur de áctibus Vírginis, sicut de áctibus Pauli, non est compósitus liber, nihil áliud occúrrit (accusáre enim Evangelístas negligéntiæ, sicut ímpium, ita et temerárium júdico), quam ita placuísse Spirítui sancto, ejúsque providéntia Evangelístas siluísse : proptérea quia Vírginis glória, sicut in Psalmis légitur, omnis intus erat, et magis cogitári póterat, quam descríbi; sufficítque ad ejus plenam históriam, quia de illa natus est Jesus. Quid ámplius quæris? Quid ultra requíris in Vírgine? Súfficit tibi, quia Mater Dei est. ℟. Beátam me dicent.

Lectio ix.


on eam Spíritus sanctus lítteris descrípsit, sed tibi eam ánimo depingéndam relíquit, ut intélligas nihil illi grátiæ, aut perfectiónis, aut glóriæ, quam ánimus in pura creatúra concípere possit, defuísse : imo re-ípsa intelléctum omnem superásse. Ubi ergo totum erat, pars scribénda non fuit, ne putáres quod scriptum non fúerat, eídem fórsitan defuísse. Si ancíllas suas et minístras domus suæ potentíssimus Dóminus ita mirífice decorávit, ita donis et grátiis venustávit : qualem, exístimas, cóndidit Matrem suam, únicam Sponsam suam, quam sibi ex ómnibus adamávit? Omnibus eam Altíssimus præpósuit non solum virgíneis, sed étiam angélicis choris, quia Mater ejus est, et Matrem Dei decet omnis celsitúdo. Quidquid ígitur de Vírgine scire aut intellígere cupis, totum in hoc

cláuditur brevilóquio : De qua natus est Jesus. Hæc longa et pleníssima história ejus est. Te Deum.

FESTA MAII.

DIE V. MAII.

S. Hilarii

Arelaten. Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Comm Conf. Pont. præter seq.

Oratio. Exáudi nos. *de Communi ij. loco.*

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Hilárius, quem jam adúltum Honorátus suis cohortatiónibus, précibus et lácrymis Christo genúerat, post ipsum e monastério Lirinénsi ad clavum Arelaténsis Ecclésiæ assúmptus est. Vir in scriptúris doctus, paupertátis amátor, et erga ínopum provisiónem non solum mentis pietáte, sed et córporis sui labóre sollícitus fuit : nam pro reficiéndis paupéribus étiam rusticatiónem contra vires suas homo génere clarus exércuit ; sed nec in spirituálibus quidquam neglexit ex his quæ ad munus suum pertinérent : in docéndo enim grátiam hábuit, et absque personárum acceptióne ómnibus castigátum opus prædicatiónis ingéssit. Grátia ejus non ex opéribus modo vel ex verbis, sed étiam ex scriptis dignóscitur; symboli expositiónem ambiéndam, homilías in totíus anni festivitátibus expedítas, epístolas pene innúmeras, vitam prædecessóris sui Honoráti, et versus fontis ardéntis conscrípsit. ℟. Invéni David.

Lectio v.

Cum primum speculatóris suscépit offícium, in seipso monstrávit, quemádmodum sacer ordo Clericórum contémneret mundum, corpus despíceret, et vítia superáret; fatigabátur labóribus, mánuum quoque opéribus vexabátur; sanctis páginis inhærébat; jejúniis, ac vigíliis stúdium commodábat : uníus túnicæ tégmine conténtus, æstátis ardórem, et híemis rigórem tolerábat : iter pédibus conficiébat. In omni actu, in omni loco, quidquid ad proféctum animárum pertinére póterat, álacer inquírere, strénuus exercére, solers consuéverat consummáre. Casus infirmitatésque suórum, própria vúlnera reputábat. Cibum sine lectióne non sumébat, et istam in civitátes Gálliæ prímitus introdúxit consuetúdinem. Tanta parcitáte vitam sustentábat, ut raro sæculárium áliquem invitáret. Lino lanáve numquam vestítus, nudis plerúmque pédibus incéssit. Oratióni, ac jejúniis júgiter mancipátus, cilícii asperitáte exilitátem tenuáti cór

poris macerábat. Campi lapídei spátia in vigília Resurrectiónis Domínicæ péragrans, pastóres síngulos ibi commorántes unda sacri baptísmatis regenerátos recte vivere dócuit. ℟. Pósui.

Lectio vj.

PRæfuit synodo Regénsi, in qua sancítum est ut, remóto Armentário, ália legítima fíeret Ebredunénsis Epíscopi ordinátio. Præfuit concíliis Arausicáno et Vasénsi, in quibus multa sunt utíliter constitúta. Præfuit et synodo in diœcési Vesontionénsi congregátæ in qua, præsénte quoque sancto Germáno, Antissiodorénsium Epíscopo, causa Chelidónii, Vesontionénsis Epíscopi, est examináta. Post multos álios labóres strénue exantlátos, óbiit Areláte tértio Nonas Maii, Astério et Protógene consúlibus, anno ætátis suæ quadragésimo octávo, reparátæ salútis quadringentésimo quadragésimo nono, sub Leóne primo Pontífice, Valentiáno tértio, et Theodósio secúndo imperatóribus. Sepúltus est in crypta sancti Honoráti, antecessóris sui. ℟. Iste est. *In iij. Noct. Homil.* Ut ignorántiam illam. *de Communi ij. loco.*

DIE XI. MAII.

S. Francisci de Hieronymo

Confessoris.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, eadem die.

DIE XV. MAII.

S. Isidori Agricolæ

Confessoris.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, eadem die.

DIE XVI. MAII.

S. Joannis Nepomuceni

Martyris.

Omnia ut in Supplem. pro aliq. locis, eadem die. j. loco.

DIE XXI. MAII.

S. Florentini

Abbatis. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontificis, præter seq.

Oratio. Intercéssio. *de Communi Abbat.*

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FLorentínus Mónachus, doctrína et sanctitáte claríssimus, primus præféctus est Abbas monastério régio Arelaténsi, quod, témpore Vigílii, summi Pontíficis, Childebértus primus, Francórum rex, ædificávit. Cum vixísset annos círciter septuagínta, præfuissétque illi cœnóbio annos quinque, et menses tótidem, migrávit ad Christum prídie Idus Aprílis, anno duodécimo post consulátum Basílii Junióris. Ejus corpus, anno quinto supra trigésimum post ánimæ tránsitum, multa et insígnia mirácula édidit. Ex

eo autem cœnóbio jamdúdum advéctum. Constantínus Abbas illud honóris ergo in Ecclésia sanctæ Crucis, quæ sita est in antíquo subúrbio Arelaténsi, collocávit, et sepúlcro marmóreo cóndidit.
℟. Honéstum.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

L. 10. *cap.* xvj. *in cap.* xij. *Job.*

Lectio v.

Deridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimírum prudéntia usu a juvénibus scitur, hæc a púeris prétio díscitur: hanc qui sciunt, céteros despiciéndo supérbiunt: hanc qui nésciunt, subjécti et tímidi in áliis mirántur: quia ab eis hæc éadem duplicitátis iníquitas nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adépta temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere: cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere: cum virtútis possibílitas deest, quidquid ex plére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre. ℟. Amávit.

Lectio vj.

At contra, sapiéntia justórum est: nil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre, bona gratis exhibére, mala libéntius toleráre, quam fácere: nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridétur: quia ab hujus mundi sapiéntibus, puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocénter ágitur, ab eis proculdúbio stultum putátur: et quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quam mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, posséssa relínquere, rapiénti non resístere, percutiénti álteram maxíllam præbére?
℟. Iste homo.

In iij. Noct. Hom. Grandis fidúcia. *de Comm. Abb. j. loco.*

DIE XXIV. MAII.

B. M. V. *titulo* **Auxilium Christianorum.**

Omnia ut in Supplem. pro aliq. locis, eadem die.

EADEM DIE.

Pro Commem. **S. Servuli** *Martyris.*

Aña. Lux perpétua. ℣. Sancti et justi. ℟. Vos elégit Deus.

Oratio.

SAncti Sérvuli Mártyris tui mérita nos, Dómine, pretiósa tueántur, in quibus majestátis ópera prædicántes, præsens capiámus adjutórium et futúrum. Per Dóminum.

In Laudibus, Aña. Fíliæ Jerúsalem. ℣. Pretiósa. ℟. Mors sanctórum ejus.

DIE XXV. MAII.

SS. Mariæ Jacobi et Mariæ Salome

Viduarum. Duplex majus. Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart. præter seq.

Oratio.

DA nobis, Dómine Jesu Christe, sanctárum Maríæ Jacóbi et Maríæ Salóme piis patrocíniis adjuvári : quæ tibi, tam vivénti quam mórtuo, studuérunt devótis obséquiis famulári. Qui vivis et regnas.

Lectiones j. Noct. Mulíerem fortem. *de Communi.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MAría Jacóbi et María Salóme primæ numerántur in Evangélio inter sanctas mulíeres quæ sequebántur Jesum, ministrántes ei. María Jacóbi, quam sanctus Joánnes Maríam Cléophæ cognóminat Jacóbi Minóris et Joseph mater fuit; María Salóme Jacóbum et Joánnem ex Zebedæo génuit, quos videns Jesus secus mare rétia lavántes ad se vocávit. Sanctæ quoque mulíeres Christo adhæsérunt, prædicánti regnum Dei ministravérunt, et postquam comprehénsus est a Judæis, ipsæ, Apóstolis fugiéntibus, fórtiter eum prosecútæ sunt. Sed et pendéntem in cruce non dereliquérunt, stabántque juxta crucem Jesu, Matris ejus dolorosíssimæ solátium. Sepúlto Dómino, emérunt arómata ut úngerent eum, et valde mane una sabbatórum venérunt ad monuméntum. Et inveniéntes revolútum lápidem sepulcrúmque vácuum, dum cúrrerent nuntiáre Apóstolis quod Jesus surrexísset a mórtuis, occúrrens ipse appáruit eis; sicque Domínicæ resurrectiónis testes primæ fuérunt. ℟. Propter veritátem.

Lectio v.

A Christo in cœlum ascendénte, una cum discípulis benedíctæ, et perseverántes in oratióne cum Apóstolis, María Matre Jesu et frátribus ejus, exspectavérunt advéntum Spíritus sancti. Deínde igne cœlésti accénsæ, dulcíssimo gavísæ sunt consórtio beátæ Maríæ Vírginis, felíces ejus propínquæ, et fidéles sóciæ, ab illa edóctæ cœléstes illas virtútes quibus regiónem

nostram illustrárunt. Orta enim brevi Judæórum persecutióne, cum Martha, María Magdaléna, Lázaro, Maxímino, multísque áliis comprehénsæ, in navem sine velo ac remígio imponúntur, vastissimóque mari ad certum naufrágium committúntur; sed navis, Deo gubernánte, ad Províncíæ plagam felíciter appúlsa est. Céteris ad várias regiónes proféctis, María Jacóbi et María Salóme ad austrálem plagam Insulæ inter Rhódani óstia consisténtes ásperam quidem sed meditatiónibus suávem, abscondítámque cum Christo in Deo vitam duxérunt. María Jacóbi prior defúncta est; paulo post María Salóme ad Christum simíliter evolávit, et magno cum incolárum fletu quos ad christiános mores efformáverant, prope sorórem sepúlta fuit. Quos tamen per vitam caros habúerant, órphanos post mortem non dereliquérunt. Sæpe enim in privátis et públicis discrimínibus íncolis adfuérunt : unde super eárum túmulum in modum arcis ecclésia exstrúcta fuit sub título beátæ Maríæ de Mari, quæ et sacra córpora et íncolas ab incursiónibus piratárũ tuerétur.

℟. Dilexísti. **Lectio vj.**

ILlárum sacræ relíquiæ támdiu sub humo jacuére, donec anno millésimo quadringentésimo quadragésimo octávo a Renáto, rege Sicíliæ et Jerúsalem, ac Províncíæ cómite, annuénte Nicoláo quinto, summo Pontífice, diligentíssime conquisítæ, ante majus altáre supra dictæ ecclésiæ seórsim fuérunt repértæ, suavíssimum odórem fragrántes. Itaque, præsénte rege cum aula spléndida, adstántibus trédecim Epíscopis, multísque Abbátibus, Theólogis, Cléricis et Cívibus, Petrus Cardinális de Fuxo, Nicolái Quinti a látere Legátus in comitátu Avenionénsi, et ab eo speciáliter commíssus, auctoritáte Apostólica pronuntiávit córpora sanctárum Maríæ Jacóbi et Maríæ Salóme in præfáta ecclésia reáliter jacére, éaque, e terra magno apparátu et pompa eláta, in gémina capsa cupréssina solémni ritu compósuit. Quæ plúries deínde recógnita, tandem, anno millésimo octingentésimo trigésimo nono, in exploratióne reliquiárum districtus Areaténsis, jussu Joséphi, Archiepíscopi Aquénsis perácta, panno sérico rubri colóris, singulátim prius involúta, sigillóque archiepiscopáli obsignáta, ex capsis veterióribus in novas arcas transláta fuérunt. Quam Christo et Deo diléctæ fúerint, testántur et frequens vicinórum populórum quotánnis ad illárum relíquias venerándas concúrsus, et

ubérrimæ grátiæ, quæ ex sacris pignóribus emanáre vidéntur. ℟. Fallax grátia. *In iij. Noct. Homil.* Cœlórum regnum, fratres. *de Communi.*

FESTA MOBILIA.

DOMINICA IV.
POST PASCHA.

B. M. V. Matris Gratiæ.
Duplex majus.

Omnia ut in festis B. M. V. præter sequentia.

℣. Exsultábimus et lætábimur in te, allelúia. ℟. Mémores úberum tuórum super vinum, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater Jesu ibi; et deficiénte vino dicit ad eum: Vinum non habent. Dicit minístris: Quodcúmque díxerit vobis fácite, allelúia.

Oratio.

DEus qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti; concéde ut quam Grátiæ Matrem accépimus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Joseph, Aña. Exsúrgens Joseph a somno fecit sicut præcépit ei Angelus Dómini et accépit cónjugem suam, allelúia. ℣. Constítuit eum dóminum domus suæ, allelúia. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ, allelúia.

Oratio.

SAnctíssimæ Genitrícis tuæ sponsi, quæsumus Dómine, méritis adjuvémur; ut quod possibílitas nostra non óbtinet ejus nobis intercessióne donétur.

Pro Commem. Dominicæ, Aña. Vado ad eum qui misit me: et nemo ex vobis intérrogat me: Quo vadis? allelúia, allelúia.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Oratio.

DEus qui fidélium mentes uníus éfficis voluntátis: da pópulis tuis id amáre quod præcipis, id desideráre quod promíttis; ut inter mundánas varietátes ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gáudia. Per Dóminum nostrum.

Lect. j. Noct. Ego sapiéntia.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardíni Senénsis. *Serm.* lj. *in fer.* vj. *post Dom. Olivarum.*

Lectio iv.

CUm vidísset Jesus matrem et discípulum quem diligébat, óculis et vultu ánnuens de Joánne dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus; deínde dicit discípulo: Ecce mater tua. Mutátur matérnitas et filiátio auctoritáte verbórum Christi in cruce pendéntis, proptérea natúra transit in grátiam et grátia nobílitat profécto

natúram, non quod una in álteram commutétur, sed quia natúra ex grátia perfícitur. Mala múlier Eva corruptióne natúræ, bona múlier María, mater grátiæ; datur mater grátiæ pro matre natúræ : manet tamen mater natúra, manet étiam mater ex grátia; est mater Eva cunctórum per tradúcem natúræ, est et Virgo María mater ómnium amántium Christum per infusiónem invisíbilis grátiæ. Prótinus unus et idem homo est per natúram, Christiánus vero per grátiam et per unam hóminis fílius, per álteram fílius Dei appellátur. Vóluit ígitur Christus in cruce pendens ántequam morerétur per ómnia præosténdere caritátem et quantum dignitátis humánæ natúræ contúlerat, ut firma spes esset remeatiónis ad Patrem; quin si vélimus, ipse vult nos ex utróque ejus parénte tam ex ætérno quam ex ea quæ fuit ex témpore suos per grátiam esse germános, ut una cum ipso nobis sempitérna sit heréditas. Mira generátio filiórum Dei, sed in his mirabílius est quod grátia non exstínguit natúram et natúra non confúndit ínsitam grátiam; utriúsque jura servántur in hómine, natúræ scílicet in qua natus est, et grátiæ in qua renátus est. Igitur de libídine natum in filiatiónem posse íngredi honestátis nullátenus dubitémus ac per hoc immutábili edícto innúitur quod sub foméntis et erudiméntis vívere obligámur secúndæ Matris, prima non abólita, sed submíssa, quia nemo cum ínvenit grátiam désinit esse homo, sed rétinens quod per natúram accépit, qualitáte mentis et córporis supra hóminem per grátiam vivit. Quamóbrem ex illa hora, qua scílicet Christus matri natúræ áddidit matrem grátiæ, discípulus matrem Vírginem in suam ánimo reverénti et inclináto suscépit. Ex his ígitur maniféste apparére potest, fidélis ánima, quod insatiábilis amor dulcis Jesu, qui omnímode tuam operátur salútem, tuis compátiens lápsibus in recommandatióne matérna tibi medicínam provídit et apud justítiam suam efficácem tibi constítuit Advocátam.

℟. Quómodo descéndit imber et nix de cœlo et illuc ultra non revértitur, sed inébriat terram et infúndit eam et germináre eam facit et dat semen serénti et panem comedénti, * Sic erit verbum meum quod egrediétur de ore meo, allelúia. ℣. Non revertétur ad me vácuum sed fáciet quæcúmque vólui et prosperábitur in his ad quæ misi illud; quia in lætítia egrediémini et in pace deducémini. — Sic erit.

Sermo sancti Ansélmi Epíscopi. *Ex orat. ad beatam Virginem.*

Lectio v.

Ergo, o Dómina, mater es justificatiónis et justificatórum, Génitrix es reconciliatiónis et reconciliatórum, Parens es salútis et salvatórum. O beáta fidúcia, o tutum refúgium! Mater Dei est mater nostra. Deus noster factus est per Maríam frater noster. Qui fecit ut ipse per matérnam generatiónem párticeps esset natúræ nostræ et nos per vitæ restitutiónem essémus fílii matris ejus, ipse nos invítat ut confiteámur nos fratres ejus! Qua ígitur certitúdine debémus speráre, quo étiam affé́ctu hunc Fratrem et hanc Matrem amáre debémus, qua familiaritáte nos illis committémus, qua securitáte ad illos confugiémus, qua dulcédine confugiéntes suscipiémur : Bona Mater póstulet et ímpetret quod éxpedit nobis : ipsa roget Fílium pro fíliis, Unigénitum pro adoptátis, Dóminum pro servis. Bonus Fílius áudiat Matrem pro frátribus, Unigénitus pro his quos adoptávit, Dóminus pro his quos liberávit. Magne Dómine, tu noster major Frater; magna Dómina, tu nostra mélior Mater. Venerétur ígitur vos, sicut digni estis, mens mea; amet vos, sicut æquum est, cor meum; díligat vos, sicut sibi éxpedit, ánima mea; sérviat vobis, sicut debet, caro mea et in hoc consummétur vita mea ut in ætérnum psallat substántia mea : Benedíctus Dóminus in ætérnum : fiat, fiat.

℟. Leva in circúitu óculos tuos et vide : Omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi; * Fílii tui de longe vénient et fíliæ tuæ de látere surgent, allelúia. ℣. Tunc vidébis et áfflues et mirábitur et dilatábitur cor tuum. — Fílii tui.

Ex Benedícto Papa XIV *In decreto pro Congreg. B. M. V.*

Lectio vj.

Sicut omnípotens Deus hanc felicíssimam Vírginem eléctam ex míllibus et ad ineffábilem divínæ Maternitátis dignitátem, Angelo nuntiánte, evéctam, grátiæ suæ donis abundántius præ céteris ómnibus puris creatúris replévit, ac splendidíssimis glóriæ corónis super ália ómnia mánuum suárum ópera decorávit; sic étiam cathólica Ecclésia sancti Spíritus magistério edócta, eámdem et tamquam Dómini ac Redemptóris sui Paréntem cœlíque ac terræ Regínam impensíssimis obséquiis cólere et tamquam amantíssimam matrem extréma Sponsi sui moriéntis voce sibi relíctam, filiális pietátis affé́ctu prósequi stu-

diosíssime semper profésssa est. Ad ejus opem in públicis calamitátibus et perturbatiónibus, quæcúmque infernórum hóstium vi excitátæ fuérunt, véluti ad tutíssimum salútis portum confúgere consuévit, ejúsque potíssimum virtúte cunctas hæreses in univérso mundo exstínctas et debellátas esse fatétur. Hæc enim est speciosíssima Esther quam ádeosuprémus regnum Rex adamávit, ut ad salútem pópuli sui non tam dimídiam regni sui partem, quam totum quodámmodo impériũ suum et potestátem cum ea communicásse videátur : hæc fortis illa Judith, cui Deus Israel de ómnibus inimícisterræ suævictóriam reportáre concéssit. Hanc ipsa Ecclésia, concórdibus Patrum senténtiis, a fíliis suis ómnibus in peculiáribus eórum necessitátibus atque perículis cum fidúcia adeúndam suádet, tamquam advocátam apud suũ Deíque Unigénitum Fílium loquéntem pro nobis bona : hanc prædicatmysticam arcam fœderis, in qua reconciliatiónis nostræ impléta sunt sacraménta, quam Deus respíciens, pacti sui recordábitur et misericórdiæmemor erit. Ipsa estcœléstis véluti rivus per quem gratiárum ómnium atque donórum fluénta in miserórum mortálium sinum deducúntur : ipsa est áurea cœli porta, per quam in sempitérnæ beatitúdinis réquiem aliquándo intráre confídimus.

℟. Lauda Deum tuum Sion : quóniam confortávit seras portárum tuárum : * Benedíxit fíliis tuis in te, qui pósuit fines tuos pacem et ádipe fruménti sátiat te, allelúia. ℣. Sicut lætántium ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix. — Benedíxit. Glória. Benedíxit.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 1. 26.

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ cui nomen Názareth ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph de domo David et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis *Sermo* ij. *in fest Pentecostes.*

MIssus est cóluber tortuósus a diábolo ut venénum per aures mulíeris in ipsíus mentem transfúnderet etsic refúnderet in totíus posteritátis oríginem. Missus est ínterim Gábriel Angelus a Deo ut verbum Patris per aurem Vírginis in ventrem et mentem ipsíus eructáret, ut eádem via intráret antídotum qua venénum intráverat. Vere ví-

dimus glóriam ejus glóriam quasi unigéniti a Patre ; quia totum patérnum est quod de corde Patris Christus áttulit nobis, ut nihil in Fílio Dei nisi dulce nisi patérnum humáni géneris trepidátio suspicétur. A planta pedis usque ad vérticem non erat in nobis sánitas : errarávimus ab útero : in útero damnáti ántequam nati quia de peccáto et in peccáto concépti.

℟. Misit Deus Fílium suum factum ex muliere, factum sub lege ut eos qui sub lege erant redímeret. * Ut adoptiónem filiórum reciperémus, allelúia. ℣. Qui sanctíficat et qui sanctificántur ex uno omnes, propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre. — Ut adoptiónem.

Lectio viij.

Christus ergo ibi primum medícinam appósuit, ubi primus vúlneri patébat locus et substantialiter útero Vírginis illápsus de Spíritu sancto concéptus est ut conceptiónem nostram mundáret : quam spíritus malus, si non fécerat, tamen inféeerat : ut non esset étiam in útero vita ipsíus otiósa, dum novem ménsibus purgat vulnus antíquum, scrutans, ut dícitur, usque ad imum putrédinem viruléntam, ut sánitas sempitérna succéderet. Et tunc jam operabátur salútem in médio terræ in útero vidélicet Vírginis Maríæ quæ mirábili proprietáte terræ médium appellátur. Ad illam enim sicut ad médium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negótium sæculórum respíciunt et qui in cœlo hábitant et qui in inférno, et qui nos præcessérunt et nos qui sumus et qui sequéntur, et nati natórum et qui nascéntur ab illis. Illi qui sunt in cœlo ut resarciántur, et qui in inférno ut eripiántur : qui sequúntur, ut glorificéntur. Eo beátam te dicent omnes generatiónes, Génitrix Dei Dómina mundi, Regína cœlórum ; omnes, inquam, generatiónes. Sunt enim generatiónes cœli et terræ : Pater spiríttuum, ait Apóstolus, ex quo omnis patérnitas in cœlo et in terra nominátur. Ex hoc ergo beátam te dicunt omnes generatiónes, quæ ómnibus generatiónibus vitam et glóriã genuísti. In te enim Angeli lætítiam, justi grátiam, peccatóres véniam invéniunt in ætérnum. Mérito in te respíciunt óculi totíus creatúræ, quia in te et per te et de te benígna manus Omnipoténtis quidquid creáverat recreávit.

℟. Porta cœli et stella maris es, Virgo María, Regis ætérni mater ; gratos nos redde Fílio tuo, * Quia omnis virtus et decor et glória ex te respléndet, allelúia.

℣. Tu véniæ vena, tu Grátiæ mater, tu spes mundi : exáudi fílios tuos clamántes ad te. — Quia. Glória. Quia. *Pro Dominica, Bened.* Per evangélica dicta.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio ix. *Cap.* xvj.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vado ad eum qui misit me : et nemo ex vobis intérrogat me : Quo vadis? Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi. *Tract.* xciv. *in Joannem, initio.*

Cum Dóminus Jesus prædixísset discípulis suis persecutiónes, quas passúri erant post ejus abscéssum, subjúnxit atque ait : Hæc autem vobis ab inítio non dixi, quia vobíscum eram : nunc autem vado ad eum, qui me misit. Ubi primum vidéndum est, utrum eis futúras non prædíxerit ante passiónes. Sed álii tres Evangelístæ satis eum prædixísse ista demónstrant, ántequam ventum esset ad cœnam : qua peracta, secúndum Joánnem ista locútus est, ubi ait : Hæc autem vobis ab inítio non dixi, quia vobíscum eram.

Te Deum laudámus.

Ad laudes,

℣. Beáta quæ credidísti, allelúia. ℟. Quóniam perficiéntur quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúia.

Ad Bened. Aña. Cum vidísset Jesus matrem et discípulum stantem quem diligébat dicit matri suæ : Ecce fílius tuus : deínde dicit discípulo : Ecce mater tua ; et ex illa hora accépit eam discípulus in sua, allelúia.

Oratio.

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde ut, quam Grátiæ Matrem accépimus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Joseph, Aña. Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta ut putabátur fílius Joseph, allelúia.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam, allelúia. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium, allelúia.

Oratio.

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsi, quæsumus Dómine, méritis adjuvémur ; ut quod possibílitas nostra non óbtinet ejus nobis intercessióne donétur.

Pro Commem. Dominicæ, Aña. Vado ad eum qui misit me : et nemo ex vobis intérrogat me : Quo vadis? allelúia, allelúia.

℣. In resurrectióne tua Christe, allelúia. ℟. Cœli et terra lætántur, allelúia.

Oratio.

Deus, qui fidélium mentes uníus éfficis voluntátis : da pópulis tuis id amáre quod præcipis, id desideráre quod promíttis; ut inter mundánas varietátes ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gáudia. Per Dóminum.

Ad vesperas,

℣. Converténtur sedéntes in umbra ejus, allelúia. ℟. Vivent trítico et germinábunt quasi vínea, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Revérsi sunt discípuli Jerosólymam a monte qui vocátur Olivéti et cum introíssent in cœnáculum, omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne cum muliéribus et María matre Jesu et frátribus ejus, allelúia.

Oratio. Deus qui humáno géneri. *ut supra*, 23.

Et fit Commem. S. Joseph, Aña. Ecce fidélis servus et prudens quem constítuit Dñus super famíliam suam.

℣. Glória et divítiæ in doejus. ℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Oratio. Sanctíssimæ. *supra. Postea fit Commem. Dominicæ, Aña.* Vado ad eum qui misit me : sed quia hæc locútus sum vobis, tristítia implévit cor vestrum, allelúia.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Oratio. Deus, qui fidélium.

DOMIN. INFRA OCTAV. ASCENSIONIS.

S. Maximini

Christi discipuli, primi Aquensis Episcopi et Patroni totius Diœcesis, Duplex j. classis cum Octava.

Ad i. vesperas,

Aña. Parávit. *cum reliquis de Laud. Psalm.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi, Psalm.* Laudáte Dóminum, omnes Gentes.

Capitulum. Mementóte. *et Hymnus.* Heu nuda. *ut infra in Laudibus.*

℣. Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, allelúia. ℟. Evangelizántium bona, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Ecce super montes pedes evangelizántis. Célebra, Juda, festivitátes tuas, quia non adjíciet ultra, ut pertránseat in te Bélial, allelúia.

Oratio.

Deus, qui nos in ténebris et in umbra mortis sedéntes, beáti Maximíni Confessóris tui atque Pontíficis prædicatióne illumináre dignátus es : da nobis hujus intercessióne, et fidem, quam eo docénte suscépimus, illibátam serváre, et in te solo speráre, et a tua nunquam caritáte disjúngi. Per Dóminum.

Deinde fit Comm. Domin. Aña. Cum vénerit Paráclitus, quem ego mittam vo-

bis Spíritum veritátis, qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me, allelúia.
℣. Dóminus in cœlo, allelúia. ℟. Parávit sedem suam, allelúia. **Oratio.**
Omnípotens sempitérne Deus, fac nos tibi semper et devótam gérere voluntátem, et majestáti tuæ sincéro corde servíre. Per Dóminum.
Ad Complet. et ad Horas, Hymni terminantur cum ℣. Jesu, tibi sit glória,
Qui victor in cœlum redis.

Ad matutinum,

Invit. Dóminum messis, mitténtem operários in messem suam, * Veníte, adorémus, allelúia.
Ps Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Quæ dies terris tibi sacra, Præsul,
Hæc redit nobis quoque, Maximíne :
Tu bonus nostros, tua nos propágo,
Excipe cantus.

Nostra gens per te modo christiána
Se tibi debet, tibi cessit error;
Luce lustrásti pópulos sub alta
Nocte jacéntes.

Dæmonum cultus, simulácra divum
Sacra cum fanis, et adhuc madéntes
Sórdido, vili pécudū cruóre,
Díruis aras.

Cáritas urget, male contumáces
Increpas audax, hóminem Deúmque,
Prædicas Christum, nece qui piávit
Crímina mundi.

Impias mentes tenet obstinátus
Error, et densis frúitur ténebris;
Fers diem : vulsis melióra spinis
Sémina mandas.

Laus tibi, magne Dominátor orbis :
Quos tu creásti, memor usque serva,
Quem fides veri studiósa trinum
Credit et unum. Amen.

In primo Nocturno,

Aña. Pósui vos ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat, allelúia.
Ps. Beátus vir. Quare fremuérunt. Dómine, quid multiplicáti sunt. *de Communi Conf. Pontif.*
℣. Converténtur ad Dóminum, allelúia. ℟. Omnes fines terræ, allelúia.
De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. *Cap.* j.

Grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne; mémores óperis fídei vestræ, et labóris, et caritátis, et sustinéntiæ spei Dómini

25

nostri Jesu Christi, ante Deum et patrem nostrum : sciéntes, fratres diléсti a Deo, electiónem vestram : quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos. Et vos imitatóres nostri facti estis, et Dómini, excipiéntes verbum in tribulatióne multa, cum gáudio Spíritus sancti : ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus.

℟. Hæc est gens quæ non audívit vocem meam : périit fides, et abláta est de ore eórum, * Quia fecérunt fílii Juda malum in óculis meis, allelúia. ℣. Auferétur a vobis regnum Dei, et dábitur genti faciénti fructus ejus. — Quia fecérunt.

Lectio ij. *Cap.* j. *et* ij.

In omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, proféсta est, ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annúntiant qualem intróitum habuérimus ad vos; et quómodo convérsi estis ad Deum a simulácris, servíre Deo vivo et vero, et exspectáre Fílium ejus de cœlis (quem suscitávit ex mórtuis) Jesum, qui erípuit nos ab ira ventúra. Nam ipsi scitis, fratres, intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit.

℟. Egrédere de terra tua, et de cognatióne tua, et veni in terram quam monstrábo tibi : * Faciámque te in gentem magnam; benedícam tibi et magnificábo nomen tuum, allelúia. ℣. Festína, et exi velóciter de Jerúsalem, quóniam non recípient testimónium tuum de me; vade quóniam ego in natiónes longe te mittam. — Faciámque.

Lectio iij. *Cap.* ij.

Fidúciam habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo; sed sicut probáti sumus a Deo ut crederétur nobis Evangélium : ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis : neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est; nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse ut Christi Apóstoli; sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras.

℟. Numquid apértæ tibi sunt portæ mortis, et óstia tenebrósa vidísti? * Quis

conclúsit óstiis mare, quando erumpébat, quasi de vulva procédens, allelúia. ℣. Imperávit ventis et mari, et facta est tranquíllitas magna. Qualis est hic, quia venti et mare obédiunt ei? — Quis conclúsit. Glória. Quis conclúsit.

In secundo Nocturno,

Aña. Mihi data est grátia in Géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, allelúia.

Ps. Cum invocárem. Verba mea. Dómine Dóminus noster. *de Comm. Conf. Pont.*

℣. Elégit vos Deus primítias in salútem, allelúia. ℟. In sanctificatióne spíritus et in fide veritátis, allelúia.

Lectio iv.

POst sancti Stéphani necem, sæviénte Judæórum in Christiános persecutióne, Discípuli omnes in várias mundi partes ad Christi Evangélium disseminándum dispérsi sunt. Hoc omnes in partes verbi Dei divulgándi inítium fuit : nam nisi ab illíus cæde pópulus Judæórum in discípulos sævísset, fórsitan Evangélii grátia in univérsum orbem sérius propagáta fuísset : tunc vero agitáti a Judæis, et extrémas étiam regiónes peragrántes, úndique per Mysteriórum doctrínam dæmonem exturbárunt. Hoc modo non solum Samaría verbum recépit, sed Asia, Africa et Európa Christum agnóvit, et omnes Gentes sermo percúrrens ad fidem addúxit.

℟. Vocans ab Oriénte et de terra longínqua virum voluntátis meæ, prope feci justítiam meam, salus mea non morábitur. * Audíte duro corde qui longe estis a justítia, allelúia. ℣. Hic erat potens in scriptúris, et fervens spíritu loquebátur, et docébat diligénter ea quæ sunt Jesu. — Audíte.

Lectio v.

VErum majóri ódio in Lázarum, Maximínum, Magdalénam, Martham, Joseph ab Arimathía, nóbilem decurriónem, et quosdam álios quam in réliquos fidéles exarsérunt Judæi. Nam Jerosólymis pulsos, navi impósitos, sine velo ac remígio in certum perículum mari credidérunt. Qui, divína dirigénte Providéntia, Massíliam felíciter appulérunt, ipsorúmque miráculis et prædicatióne, primum Massiliénses, mox Aquénses, et finitímæ Gentes in Christum credidérunt. Lázarus Massiliénsis, Maximínus Aquénsis Ecclésiæ Epíscopus creátur : Joseph ab Arimathía ex Gállia in Británniam navigásse, prædicándi Evangélii causa, dícitur. Sanctus ergo Maximínus quadragínta fere

annis Aquénsem rexit Ecclésiam, quam vitæ sanctitáte, prædicatiónis et miraculórum luce collústrans obdormívit in Dómino, sexto Idus Júnii.

℟. Ut aperíres óculos cæcórum, et edúceres de conclusióne vinctum, de domo cárceris sedéntes in ténebris, * Ego Dóminus vocávi te in justítia, et servávi te, et dedi te in lucem Géntium, allelúia. ℣. Constítuam te minístrum et testem eórum quæ vidísti, ut Gentes ad quas mitto te, accípiant remissiónem peccatórum. — Ego Dóminus.

Lectio vj.

Primum corpus ejus extra et prope mœnia civitátis, subter ædículam Salvatóris, ubi primos christiános pietátis causa aggregáre consuéverat, honoríﬁce cónditum est. Nono vero sæculo, Galloprovínciam Saracénis devastántibus, sacrum depósitum ad agrum Rhodánum, juxta viam Auréliam, décimo octávo ab urbe lápide, cum céteris sanctórum relíquiis ibídem quiescéntibus ﬁdéles transtulére. Pace réddita, in tanti Præsulis memóriam, super ejus túmulum ædiﬁcáta est Ecclésia. Cum autem pretiósa pígnora in humo jacérent ignóta. Cárolus Andegavénsis princeps Salernitánus, canónicus sancti Salvatóris, póstea Sicíliæ rex, comésque Provínciæ, priscórum incolárum traditióne fretus, summa pietáte perquisívit; quibus invéntis, eódem in loco admirábilis fábricæ templum, prióre díruto, ædiﬁcávit, ibíque recolénda, adstánte Prælatórum, Abbátum et Prócerum coróna, reverénter depósuit. Os rotúndum cápitis necnon maxíllam inferiórem penes se rétinens, iis metropolitánam basílicam locupletávit. Quas quidem sacras Protopastóris relíquias in prædícta basílica honoríﬁce religioséque asservátas, labénte décimo octávo sæculo, quidam sacérdos, ex impiórum mánibus, non sine nutu divíno, abrípuit, diúque domi servávit. Anno autem vigésimo supra millésimo octingentésimo, Petro Ferdinándo, Archiepíscopo Aquénsi, fuérunt restitútæ. Eas esse genuínas, servátis juxta canónicas régulas servándis, cértior factus Antístes, in arca ærea inauráta depósitas, ad basílicam Salvatóris, comitánte Clero et pópulo, solémniter tránstulit.

℟. Ducam cæcos in viam quam nésciunt, et in sémitis quas ignoravérunt ambuláre eos fáciam : * Ponam ténebras coram eis in lucem et prava in recta, allelúia. ℣. Eúntes docéte omnes Gentes, baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti.—Ponam té-

nebras. Glória Patri. Ponam ténebras.

In tertio Nocturno,

Aña. Surdi, audíte, et cæci intuémini ad vidéndum, allelúia.

Ps. Dómine, quis habitábit. Dómine, in virtúte tua. Dómini est terra. *de Comm. Confess. Pontif.*

℣. Mirificávit Dóminus, allelúia. ℟. Sanctum suum, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* x.

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos; et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ. *Homilia* xvij. *in Evangelium.*

Dominus et Salvátor noster, fratres caríssimi, aliquándo nos sermónibus, aliquándo vero opéribus ádmonet. Ipsa étenim facta ejus præcépta sunt; quia dum áliquid tácitus facit, quid ágere debeámus innotéscit. Ecce enim binos in prædicatiónem discípulos mittit; quia duo sunt præcépta caritátis, Dei vidélicet amor, et próximi : et minus quam inter duos, cáritas habéri non potest. Nemo enim própríe ad semetípsum habére caritátem dícitur : sed diléctio in álterum tendit, ut cáritas esse possit.

℟. Laudáte cœli, et exsúltet terra, jubiláte montes laudem : * Quia consolátus est Dóminus pópulum suũ, allelúia. ℣. Erátis sine Christo, promissiónis spem non habéntes et sine Deo in hoc mundo, nunc autem in Christo Jesu facti estis prope. — Quia consolátus est.

Lectio viij.

Ecce enim binos ad prædicándum discípulos Dóminus mittit : quátenus hoc nobis tácitus ínnuat, quia qui caritátem erga álterum non habet, prædicatiónis offícium suscípere nullátenus debet. Bene autem dícitur, quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Prædicatóres enim suos Dóminus séquitur : quia prædicátio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitáculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis præcúrrunt : atque per hoc véritas in mente suscípitur.

℟. Locútus est ómnia verba quæ díxerat Dóminus, et fecit signa. * Et crédidit pópulus, audierúntque quod visitásset illos Dóminus, et proni adoravérunt, allelúia. ℣. Grátias ágimus Deo, quia intróitus noster ad vos non inánis fuit. — Et crédidit. Glória Patri. Et crédidit.

Pro Dominica, Bened. Per evangélica dicta.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio ix. *Cap.* xv. *d*

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum vénerit Paráclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spíritum veritátis, qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me. Et réliqua.

Homilía S. Augustíni Epíscopi. *Tract.* xcij. *in Joann.*

Dominus Jesus in sermóne, quem locútus est discípulis suis post cœnam, próximus passióni, tamquam itúrus, et relictúrus eos præséntia corporáli, cum ómnibus autem suis usque in consummatiónem sæculi futúrus præséntia spiritáli, exhortátus est eos ad perferéndas persecutiónes impiórum, quos mundi nómine nuncupávit : ex quo tamen mundo étiam ipsos discípulos se elegísse dixit : ut scirent se Dei grátia esse, quod sunt; suis autem vítiis fuísse, quod fuérunt.

Te Deum laudámus.

Ad laudes,

et per Horas, Añæ.

1. Parávit Dóminus * bráchium sanctum suum in óculis ómnium Géntium, et vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri, allelúia.
Psalm. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.*

2. Ecce levábo * ad Gentes manum meam, et ad pópulos exaltábo signum meum, allelúia.

3. Imitatóres * nostri facti estis, et Dómini, ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus, allelúia.

4. Si quis vobis * evangelizáverit præter id quod accepístis, anathéma sit, allelúia.

5. Nocte ac die * operántes, prædicávimus in vobis Evangélium Dei, allelúia.

Capitulum. *Hebr.* xiij.

Fratres, Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei; quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

Heu nuda clavo, núdaque rémige,
Quo, cymba, tendis? En dóciles tamen,
Mirum! secas fluctus, silétque
Aura sacrum veneráta pondus.
Beáta pinus, quæ tibi créditum
Fers Maximínum, lábere náufragi
Secúra ponti, dum minístrat
Vela fides, pietásque clavum!
Quæ te tenébit, flúctibus et Deo
Amáta tellus? Præsul Aquénsibus
Accédit oris Maximínus,
Hicque fidem docet et tuétur.

Santi perénnem cui mémores boni
Laudem precámur, Cónditor ómnium,
Quas nóvimus per Maximínum [Amen.
Æthéreas habitémus ædes.

℣. Dedit nobis Dóminus pastórem juxta cor suum, allelúia. ℟. Et pavit nos sciéntia et doctrína, allelúia.

Ad Bened. Aña. Hic est vir qui de terra longínqua a Dómino vocátus est, cui dedit arcána secretórum suórum, ut pópulo qui ambulábat in ténebris, lucem afférret magnam, allelúia. **Oratio.**

Deus, qui nos in ténebris et in umbra mortis sedéntes beáti Maximíni Confessóris tui atque Pontíficis prædicatióne illumináre dignátus es: da nobis, hujus intercessióne, et fidem, quam eo docénte suscépimus, illibátam serváre, et in te solo speráre, et a tua nunquam caritáte disjúngi. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. Domin. *Aña.* Cum vénerit Paráclitus, quem ego mittam vobis Spíritum veritátis, qui a Patre procédit, ille testimóniũ perhibébit de me, allelúia.

℣. Dóminus in cœlo, allelúia. ℟. Parávit sedem suam, allelúia. **Oratio.**

Omnípotens sempitérne Deus, fac nos tibi semper et devótam gérere voluntátem, et majestáti tuæ sincéro corde servíre. Per Dóminum.

Ad primam,

Aña. Parávit Dóminus.
In ℟. br. ℣. Qui scandis super sídera.

Ad tertiam,

Aña. Ecce levábo.
Capit. Fratres, Mementóte. *ut supra ad Laudes.*

℟. *br.* Converténtur ad Dóminum, * Allelúia, allelúia. Converténtur. ℣. Omnes fines terræ. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Converténtur.

℣. Elégit vos Deus primítias in salútem, allelúia. ℟. In sanctificatióne spíritus et in fide veritátis, allelúia.

Ad sextam,

Aña. Imitatóres.

Capitulum. I. *Thess.* ij.

Fidúciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos Evangélium Dei, in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo.

℟. *br.* Elégit vos Deus primítias in salútem, * Allelúia, allelúia. Elégit. ℣. In sanctificatióne spíritus et in fide veritátis. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Elégit.

℣. Mirificávit Dñus, allelúia.
℟. Sanctum suum, allelúia.

Ad nonam,

Aña. Nocte ac die.

Capitulum. I. *Thess.* ij.

Facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desi-

derántes vos, cúpide volebámus trádere vobis, non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras.
℟. *br.* Mirificávit Dóminus, * Allelúia, allelúia. Mirificávit. ℣. Sanctum suum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Mirificávit.
℣. Dedit Dóminus pastórem juxta cor suum, allelúia.
℟. Et pavit nos sciéntia et doctrína, allelúia.

In ij. vesperis,

Añæ de Laudibus. Psalmi ut in ij. Vesp. Conf. Pont. Capit. Hymn. ℣. *de Laud. Ad Magnif. Aña.* Hic est fratrum amátor et pópuli, hic est qui multum orat pro pópulo et univérsa civitáte, allelúia. *Oratio.* Deus, qui nos. *ut supra*, 31.

Deinde fit Commem. Dominicæ, Aña. Hæc locútus sum vobis, ut cum vénerit hora eórum, reminiscámini quia ego dixi vobis, allelúia. ℣. Dóminus. *Oratio.* Omnípotens. *ut supra.*

Diebus infra Octav. Ascens., fit Commem. de Octava S. Maximini ad Laud. et Vesp. Feria vj. post Octav. Ascens. fit Commem. Octavæ S. Maximini ad Laudes, de qua nihil fit amplius.

FESTA JUNII.

DIE XVI. JUNII.

S. Aureliani

Arelaten. Ep. et Conf.


Oratio.

Da quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Aureliáni Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

DIE XVII. JUNII.

S. Joannis Francisci Regis, *Confess.* **Oratio.**

Deus, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres beátum Joánnem Francíscum Confessórem tuum mirábili caritáte et invícta patiéntia decorásti : concéde propítius, ut ejus exémplis instrúcti, et intercessiónibus adjúti, ætérnæ vitæ præmia consequámur. Per Dóminum nostrum.



3

o

Officia Propria

Archidioeces. Aquensis a S. R. C. approbata ac de mandato Illustrissimi et Reverendissimi Augustini Forcade Archiepiscopi Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis edita. Pars Æstiva.







Tornaci Nerviorum, Sumptibus et Typis Societatis S. Joannis Evangelistae. Desclée, Lefebvre et Soc. Pont. Edit.— m.dccc.lxxxiv.

29

Kalendarium PERPETUUM AD USUM CLERI CIVITATIS ATQUE INTEGRAE ARCHIDIOECESIS **Aquensis.**

Maius.

17 Paschalis Baylon Conf. *dupl.*
18 Venantii Mart. *dupl.*
19 Petri Coelestini Pap. Conf. *dupl.* — *Com.* S. Pudentianae Virg.
20 Bernardini Senen. Conf. *semid.*
21 *Florentini* Abb. Conf. *dupl.* 1
22 Ubaldi Ep. Conf. (d. a. ex 16 huj.) *semid.*
23
24 *B. M. V. tit. Auxilium Christianorum, duplex majus.* — *Commem. S. Servuli* Mart. 2
25 *Mariae Jacobi et Mariae Salome* Viduar. *dupl. maj.* — *Com.* S. Urbani Pap. Mart. 2
26 Philippi Nerii Conf. *dupl.*—*Com.* S. Eleutherii Pap. Mart.
27 Mariae Magd. de Pazzis Virg. *semid.*—*Com.* S. Joannis Pap. Mart.
28 Augustini Episc. Cantuariensis Conf. *dupl.*
29 Gregorii VII. Pap. Conf. (d. a. ex 25 huj.) *dupl.*
30 Felicis Pap. Mart. *simplex.*
31 Angelae Merici Virg. *dupl.*—*Com.* S. Petronillae Virg.

FESTA MOBILIA.

Feria VI. post Octav. SSmi Corporis Christi, SACRATISSIMI CORDIS JESU, *dupl. 2. cl.*

Junius.

1
2 Marcellini, Petri et Erasmi, MM. *simpl.*
3
4 Francisci Caracciolo Conf. *dupl.*
5 Bonifacii Ep. Mart. *dupl.*
6 Norberti Ep. Conf. *dupl.*
7
8
9 Primi et Feliciani MM. *simpl.*
10 Margaritae Reginae Scotiae, Vid. *semid.*
11 Barnabae, Ap. *dupl. maj.*
12 Joannis a S Facundo Conf. *dupl.*—*Com.* SS. Basilidis et Soc. MM.
13 Antonii de Padua Conf. *dupl.*
14 Basilii Ep. Conf. et Doct. *dupl.*
15 Viti, Modesti atque Crescentiae MM. *simpl.*
16 *Aureliani* Ep. Conf. *dupl.* 4
17 *Joannis Francisci Regis* Conf. (d. a. ex heri) *dupl.*
18 Marci et Marcelliani MM. *simpl.*
19 Julianae de Falconeriis Virg. *dupl.*—*Com.* SS. Gervasii et Soc. MM.
20 Silverii Pap. Mart. *simpl.*
21 Aloysii Gonzagae Conf. *dupl.*
22 *Consortiae et Tulliae* Virg. *dupl.*—*Com.* S. Paulini Ep. Conf. 6
23 Vigilia.
24 NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTAE, *dupl. 1. cl. cum Oct.*
25 Guillelmi Abb. *dupl.*—*Com.* Oct.
26 Joannis et Pauli Mart. *dupl.*—*Com.* Oct.
27 De Octava, *semid.*
28 Leonis II. Pap. Conf. *semid.*—*Com.* Oct. et Vigiliae.
29 PETRI ET PAULI Apostolor. *dupl. 1. cl. cum. Oct.*—*Com.* Omn. SS. Apostolorum. 7
30 Commemoratio S. Pauli Ap. *dupl. maj.*—*Commem.* S. Petri Ap. et Oct. S. Joannis.

Kalendarium.

Julius.

1 Octava S. Joannis Bapt. *dupl.* — *Com.* Oct. SS. Petri et Pauli.
2 VISITATIO B. M. V. *dupl. 2. cl.* — *Com.* SS. Processi et Soc. MM.
3 *Irenaei* Ep. Mart. *dupl.*—*Com.* Oct.
4 De Octava, *semid.*
5 Cyrilli et Methodii Pont. Conf. *dupl.*—*Com.* Oct.
6 Octava SS. Petri et Pauli Apostolorum. *dupl.*
7
8 Elisabeth Reginae Portugalliae, Vid. *semid.*
9 *Prodigiorum* B. M. V. *dupl. maj.* 8
10 Septem Fratrum ac Ruffinae et Secundae Virgin. MM.
11 Pii I. Pap. Mart. *simpl*
12 Joannis Gualberti Abb. *dupl.*—*Com.* SS. Naboris et Felicis MM.
13 Anacleti Pap. Mart. *semid.*
14 Bonaventurae Ep. Conf. et Doct. *dupl.*
15 Henrici Imperat. Conf. *semid.*
16 B. M. V. de Monte Carmelo, *dupl. maj.*
17 Alexii Conf. *semid.*
18 Camilli de Lellis Conf. *dupl.* — *Com.* SS. Symphorosae et filior. MM.
19 Vincentii a Paulo Conf. *dupl.*
20 Hieronymi Aemiliani Conf. *dupl.* — *Com.* S. Margaritae Virg. Mart.
21 *Victoris et Soc.* Mart. *dupl.*—*Com.* S. Praxedis Virg. 8
22 MARIAE MAGDALENAE Poenitentis, *dupl. 2. cl.*
23 Apollinaris Ep. Mart. *dupl.*—*Com.* S. Liborii Ep. Conf.
24 *Veronicae de Julianis* Virg *dupl.* — *Com.* Vigiliae et S. Christinae Virg. Mart.
25 JACOBI Ap. *dupl. 2. cl.*—*Com.* S. Christophori Mart.
26 ANNAE Matris B. M. V. *dupl. 2. cl.*
27 Pantaleonis Mart. *simpl.*
28 Nazarii et Soc. MM. ac Innocentii Pap. Conf. *semid.*
29 MARTHAE Virg. *dupl. 2. cl.*—*Com.* SS. Felicis et Soc. MM. 10
30 *Cypriani* Ep. Conf. *dupl.*—*Com.* SS. Abdon et Sennen MM. 10
31 Ignatii Conf. *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Domin. I. Julii. PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C. *dupl. 2. cl.*—*Com.* Dom.
Domin. II. Julii, vel, ea impedita, Domin. sequenti. *SS. Episcoporum Aquensium et Arelatensium*, *dupl. maj.* — *Com.* Domin. 13

Augustus.

1 Petri ad Vincula, *dupl. maj.* — *Com.* S. Pauli Apost. et SS. Machabeorum MM.
2 Alphonsi Mariae de Ligorio Episc. Conf. et Doct. *dupl.* — *Com.* S. Stephani Pap. Mart.
3 Inventio S. Stephani Protomart. *semid.*
4 Dominici Conf. *dupl. maj.* — *Com.* Oct.
5 Dedicat. B. M. V. ad nives, *dupl. maj.*
6 TRANSFIGURATIO D. N. J. C. *Metropolit. Ecclesiae Aquen. Titularis.* In civit. *dupl. 1. cl. cum Oct.* Alibi *dupl. maj.* et *Comm.* SS. Xysti et Soc. Martyrum.
7 Cajetani Conf. *dupl.*—*Com.* S. Donati Ep. Mart.
8 Cyriaci, Largi et Smaragdi MM. *semid.*
9 Vigilia.—*Comm.* S. Romani Mart.
10 LAURENTII Mart. *dupl. 2. cl. cum Oct.*
11 *Rusticulae* Virg. *dupl.*—*Com.* Oct. ac SS. Tiburtii ac Suzannae MM. 18
12 Clarae Virg. *dupl.* —*Com.* Oct.
13 De Octava S. Laurentii, *semid.*—*Com.* SS. Hippolyti et Cassiani MM.— In civit. Aquen. Octava Transfig. D. N. J. C. *dupl. Com.* Oct. S. Laurentii ac SS. Hippolyti et Cassiani MM.
14 De Octava S. Laurentii, *semid.*—*Com.* Vigil. ac S. Eusebii Conf.
15 ASSUMPTIO B. M V. *dupl. 1. cl. cum Oct.*
16 *Rochi* Conf. *dupl.* —*Com.* Octavar. Assumption. et S. Laurentii.
17 Octava S. Laurentii, Mart. *dupl.*—*Com.* Oct. Assumpt.

Kalendarium.


18 *Philumenae* Virg. Mart. (d. a. ex 11 huj.) *dupl.* — *Com.* Oct. ac S. Agapiti Mart.
19 *Ludovici* Ep. Conf. *dupl.*—*Com.* Oct. 21
20 Bernardi Abb. et Doct. *dupl.*—*Com.* Oct.
21 Joannae Franciscae Fremiot de Chantal Vid. *dupl.* —*Com.* Octav.
22 Octava Assumptionis B. M. V. *dupl.* —*Com.* SS. Timothei et Soc. MM.
23 *Sidonii* Ep. et Conf. *dupl.*—*Com.* Vigiliae. 23
24 BARTHOLOMAEI Ap. *dupl. 2. cl.*
25 Ludovici Francorum Regis, Conf. *dupl. maj.*
26 Zephirini Pap. Mart. *simpl.*
27 *Caesarii* Ep. Conf. *dupl. maj.* 25
28 Augustini Ep. Conf. et Doct. *dupl.* — *Com.* S. Hermetis Mart.
29 Decollatio S. Joannis Baptistae, *dupl. maj.*—*Com.* S. Sabinae Mart.
30 Rosae Limanae Virg. *dupl.*—*Com.* SS. Felicis et Adaucti MM.
31 Raymundi Nonnati Conf. *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Domin. infra Oct. Assumpt. B. M. V. S. JOACHIM Patris ejusdem B. M. V. *dupl. 2. cl.*—*Com.* Dom.
Domin. post Oct. Assumpt. B. M. V. *Purissimi Cordis B. M. V. dupl. maj.*—*Com.* Dom.

September.

1 Philippi Benitii Conf. (d. a. ex 23 Aug.) *dupl.* — *Com.* S. Ægidii Abb. ac SS. XII. Fratrum MM.
2 Stephani Reg. Hungariae Conf. *semid.*
3 Hyacinthi Conf. (d. a. ex 16 Aug.) *dupl.*



Imprimatur.

Tornaci, die 19. Januarii 1884.

G. BOUVRY, Vic. Gen.



Officia Propria Archidioecesis Aquensis.

Pars Æstiva.

DIE XXI. MAII.

S. Florentini

Abbatis. Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontificis, præter seq.

Oratio. Intercéssio nos. *de Comm. Abbat.*

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FLorentínus Mónachus, doctrína et sanctitáte claríssimus, primus præféctus est Abbas monastério régio Arelaténsi, quod, témpore Vigílii, summi Pontíficis, Childebértus primus, Francórum rex, ædificávit. Cum vixísset annos círciter septuagínta, præfuissétque illi cœnóbio annos quinque, et menses tótidem, migrávit ad Christum prídie Idus Aprílis, anno duodécimo post consulátum Basílii Junióris. Ejus corpus, anno quinto supra trigésimum post ánimæ tránsitum, multa et insígnia mirácula édidit. Ex eo autem cœnóbio jamdúdum advéctum, Constantínus Abbas illud honóris ergo in Ecclésia sanctæ Crucis, quæ sita est in antíquo subúrbio Arelaténsi, collocávit, et sepúlcro marmóreo cóndidit. ℟. Honéstum.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

L. 10. *cap.* xvj. *in cap.* xij. *Job.*

Lectio v.

DEridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ

falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimírum prudéntia usu a juvénibus scitur, hæc a púeris prétio díscitur : hanc qui sciunt, céteros despiciéndo supérbiunt : hanc qui nésciunt, subjécti et tímidi in áliis mirántur : quia ab eis hæc eádem duplicitátis iníquitas nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adépta temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere : cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere : cum virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℞. Amávit. **Lectio vj.**

At contra, sapiéntia justórum est : nil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre, bona gratis exhibére, mala libéntius toleráre, quam fácere : nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridétur : quia ab hujus mundi sapiéntibus, puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocénter ágitur, ab eis proculdúbio stultum putátur : et quid quid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quam mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, posséssa relínquere, rapiénti non resístere, percutiénti álteram maxíllam præbére?

℞. Iste homo.

In iij. Noct. Homil. Grandis fidúcia. *de Comm. Abb. j. loco.*

DIE XXIV. MAII.

B.M.V. titulo Auxilium Christianorum.

Omnia ut in Supplem. pro aliq. locis, eadem die.

EADEM DIE.

Pro Commemoratione S. Servuli *Martyris.*

Aña. Iste sanctus. ℣. Glória et honóre. ℞. Et constituísti. **Oratio.**

Sancti Sérvuli Mártyris tui mérita Dñe, pretiósa nos tueántur, in quibus majestátis ópera prædicántes, præsens capiámus adjutórium et futúrum. Per Dóminum.

In Laudibus, Aña. Qui odit. ℣. Justus.

DIE XXVIII. MAII.

SS. Mariæ Jacobi et Mariæ Salome

Viduarum. Duplex majus. Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart. præter seq.

Oratio.

Da nobis, Dómine Jesu Christe, sanctárum Maríæ Jacóbi et Maríæ Salóme piis patrocíniis adjuvári : quæ tibi, tam vivénti quam mórtuo, studuérunt devótis obséquiis famulári. Qui vivis.

Lect. j. Noct. Mulíerem fortem. *de Comm. j. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

María Jacóbi et María Salóme primæ numeránțur in Evangélio inter sanctas mulíeres quæ sequebántur Jesum, ministrántes ei. María Jacóbi, quam sanctus Joánnes Maríam Cléophæ cognóminat Jacóbi Minóris et Joseph mater fuit; María Salóme Jacóbum et Joánnem ex Zebedæo génuit, quos videns Jesus secus mare rétia lavántes ad se vocávit. Sanctæ quoque mulíeres Christo adhæsérunt, prædicánti regnum Dei ministravérunt, et postquam comprehénsus est a Judæis, ipsæ, Apóstolis fugiéntibus, fórtiter eum prosecútæ sunt. Sed et pendéntem in cruce non dereliquérunt, stabántque juxta crucem Jesu, Matris ejus dolorosíssimæ solátium. Sepúlto Dómino, emérunt arómata ut úngerent eum, et valde mane una sabbatórum venérunt ad monuméntum. Et inveniéntes revolútum lápidem sepulcrúmque vácuum, dum cúrrerent nuntiáre Apóstolis quod Jesus surrexísset a mórtuis, occúrrens ipse appáruit eis; sicque Domínicæ resurrectiónis testes primæ fuérunt.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

A Christo in cœlum ascendénte, una cum discípulis benedíctæ, et perseverántes in oratióne cum Apóstolis, María Matre Jesu et frátribus ejus, exspectavérunt advéntum Spíritus sancti. Deínde igne cœlésti accénsæ, dulcíssimo gavísæ sunt consórtio beátæ Maríæ Vírginis, felíces ejus propínquæ, et fidéles sóciæ, ab illa edóctæ cœléstes illas virtútes quibus regiónem nostram illustrárunt. Orta enim brevi Judæórum persecutióne, cum Martha, María Magdaléna, Lázaro, Maximíno, multísque áliis comprehénsæ, in navem sine velo ac remígio imponúntur, vatissimóque mari ad certum naufrágium committúntur; sed navis, Deo gubernánte, ad Provínciæ plagam felíciter appúlsa est. Céteris ad várias regiónes proféctis, María Jacóbi et María Salóme ad austrálem plagam Insulæ inter Rhódani óstia consisténtes ásperam quidem sed meditatiónibus suávem, absconditámque cum Christo in Deo vitam duxérunt. María Jacóbi prior

defúncta est; paulo post María Salóme ad Christum simíliter evolávit, et magno cum incolárum fletu quos ad christiános mores efformáverant, prope sorórem sepúlta fuit. Quos tamen per vitam caros habúerant, órphanos post mortem non dereliquérunt. Sæpe enim in privátis et públicis discrimínibus íncolis adfuérunt : unde super eárum túmulum in modum arcis Ecclésia exstrúcta fuit sub título beátæ Maríæ de Mari, quæ et sacra córpora et íncolas ab incursiónibus piratárum tuerétur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

Illárum sacræ relíquiæ támdiu sub humo jacuére, donec anno millésimo quadringentésimo quadragésimo octávo a Renáto, rege Sicíliæ et Jerúsalem, ac Províncíæ cómite, annuénte Nicoláo quinto, summo Pontífice, diligentíssime conquisítæ, ante majus altáre supra dictæ Ecclésiæ seórsim fuérunt repértæ, suavíssimum odórem fragrántes. Itaque, præsénte rege cum aula spléndida, adstántibus trédecim Epíscopis, multísque Abbátibus, Theólogis, Cléricis et Cívibus, Petrus Cardinális de Fuxo, Nicolái Quinti a látere Legátus in comitátu Avenionénsi, et ab eo speciáliter commíssus, auctoritáte Apostólica pronuntiávit córpora sanctárum Maríæ Jocóbi et Maríæ Salóme in præfáta Ecclésia reáliter jacére, éaque, e terra magno apparátu et pompa eláta, in gémina capsa cupréssina solémni ritu compósuit. Quæ plúries deínde recógnita, tandem, anno millésimo octingentésimo trigésimo nono, in exploratióne reliquiárum districtus Arelaténsis, jussu Joséphi, Archiepíscopi Aquénsis perácta, panno sérico rubri colóris, singulátim prius involúta, sigilóque archiepiscopáli obsignáta, ex capsis veterióribus in novas arcas transláta fuérunt. Quam Christo et Deo diléctæ fúerint, testántur et frequens vicinórum populórum quotánnis ad illárum relíquias venerándas concúrsus, et ubérrimæ grátiæ, quæ ex sacris pignóribus emanáre vidéntur.

℟. Fallax grátia.

In iij. Noct. Homil. S. Gregorii Papae. Cœlórum Regnum. *de Comm. non Virginum.*

FESTA JUNII.

DIE XVI. JUNII.

S. Aureliani *Arelat. Episc. et Conf. Duplex.*

Omnia de Comm. Confess. Pont. præter seq.

Oratio. Da quæsumus. *j. loco.*

Lect. j. Noct. de Script. occ

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Urélius, sive Aureliánus, in Episcopátu Arelaténsi succéssit Auxánio. Cláruit tempóribus Vigílii Papæ, et Childebérti primi, Francórum regis. Qualis vir, quantúsque fúerit, quis zelus ipsíus, quæ apud reges et Epíscopos auctóritas, pastorális vigilántia, vigor et disciplína, ac dénique céteræ virtútes tanto cúlmine dignæ, in hoc Antístite enitúerint, Epístolæ Vigílii et Gregórii, summórum Pontíficum, fácile índicant. Vigílius illi, peténte Childebérto, vices suas delegávit, et pállium impertítus est. Intérfuit Concílio Aurelianénsi quinto, quod sub eódem Vigílio celebrátum est, anno Childebérti regis trigésimo octávo, Incarnatiónis Dómini quingentésimo quadragésimo nono. ℟. Invéni David.

Lectio v.

Nno autem sequénti, Vigílius Constantinópoli degens, cum ex Aureliáni lítteris didicísset, in occidénte nonnúllos esse, qui témere vulgárent Chalcedonénse Concílium ab illo impugnári, scripsit eídem Aureliáno : nihil se pénitus admisísse, quod Decessórum suórum constitútis, vel sanctæ, quæ una eadémque est, fídei quátuor Synodórum, id est, Nicénæ, Constantinopolitánæ, Ephesínæ, atque Chalcedonénsis, inveniátur esse contrárium ; aut quod ad personárum injúriam pertíneat, quæ definitióni ejúsdem sanctæ fídei subscripsérunt, vel sanctórum Prædecessórum suórum Cœlestíni, Xysti, Leónis, aliorúmque, præcedéntium atque sequéntium definítis reperiátur advérsum, sed a se ómnibus prædíctis Synodis unam veneratiónem, unámque fídei credulitátem indubitabíliter exhibéri, et omnes eos qui supra scriptas quátuor Synodos in rectitúdine fídei non sequebántur, vel unam ex ipsis, vel omnem in fide reprobábat, aut reprobáre, aut injuriáre, vel repudiáre nitebántur, a se damnári. ℟. Pósui.

Lectio vj.

ortátus est étiam, quem Apostólicæ Sedis vicárium constitúerat, eúmdem Aureliánum, ut, lítteris quas ad illum dirigébat accéptis, univérsos Galliárum Epíscopos monéret, ne falsis scriptis, aut mendácibus verbis, aut núntiis, quálibet ratióne turbaréntur : oráret dénique gloriósum regem Childebértum, quátenus in tanta rerum necessitáte, circa Ecclésiam Dei sollicitúdinem suam, Christiána devotióne persólveret, scriberétque ad regem Gothó-

rum, Tótilam, recens Romam ingréssum, ne se in Románæ Ecclésiæ damnum, quippe velut aliénæ legis immiscéret, et áliquid fáceret, aut fíeri quálibet ratióne permítteret, unde Cathólica posset Ecclésia perturbári. Tótila, mutáto consílio, Aureliáni précibus exorátus, ab urbis direptióne déstitit. Aureliánus vero cum Ecclésiam Arelaténsem pie rexísset, óbiit Lugdúni, décimo sexto Kaléndas Júlii.
℟. Iste est qui.
In iij. Noct. Homil. Léctio sancti Evangélii, fratres. *de Communi, j. loco.*

DIE XVII. JUNII.
S. Joannis Francisci Regis *Confessoris.*
Ut in Supplem. pro aliq. locis. die XVI. hujus.
In iij. Noct. Homil. Sancti Evangélii, fratres. *de Comm. j. loco.*

DIE XXII. JUNII.
SS. Consortiæ *et* **Tulliæ** *Virg. Duplex.*
Omnia de Comm. Virg. præter seq.

IN UTRISQUE VESPERIS,
Ad Magnif. et ad Benedictus in Laud.
Aña. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.
℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Oratio.

Exáudi nos, Deus salutáris noster; ut sicut de beatórum Consórtiæ et Túlliæ Vírginum tuárum festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dñum.
Lect. j. Noct. de Script. occ.
In secundo Nocturno

Lectio iv.

Consórtia et Túllia patrem habuérunt sanctum Euchérium, virum dignitátis senatóriæ qui honóres et divítias spernens relícta uxóre et filiábus, in speлúncam Deo soli vacatúrus se recépit, in qua támdiu delítuit donec, reveláante ángelo, ad pontificálem cathédram Lugdunénsem licet totis víribus relúctans raperétur. Mater eárum beáta Galla paris nobilitátis et pietátis fémina quæ et ipsa mundo valedícens in specum e quo sponsus vi ablátus fúerat secéssit ibíque vitam usque ad mortem duxit angélicam. Tálibus ortæ paréntibus virtútes christiánas cum vita hausérunt Consórtia et Túllia nihílque antíquius habuérunt quam ut spretis vanitátibus sæculi ad cœléstia anhelárent. ℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Dum adhuc pater in speлúncam dégeret, Túllia méritis plénior quam diébus ad cœléstem sponsum migrávit,

virginitátis et caritátis prǽmium receptúra. Post mortem vero, inter sómnia Gallæ matri lugénti appárens in veste cándida et chlámyde áurea his eam consolabátur : cur me amissam luges quam Dóminus in sanctárum Vírginum consórtium introdúxit? Tu quoque ad Dóminum me secutúram scito : præparávit enim corónam, quóniam implésti mandáta ejus. Meus étiam génitor pontificáli cáthedra sublimátus post me véniet et erit magnus in conspéctu Dei, Porro soror mea Consórtia manébit in virginitáte pro qua multa passúra est donec ipsa quoque corónam vitæ percípiat. His consoláta Galla nóluit fíliam ámplius flere et Dóminum benedicébat cum viro suo Euchério. ℟. Dilexísti.

Lectio vj.

Consórtiæ accídit ut prædíxerat soror ejus Túllia. In virginitáte usque ad mortem perseverávit, plúries repúlsis núptiis, non sine evidénti Dei adjutório. Defúnctis genitóribus, de suo ecclésiam construxit et xenodochíum instítuit, cumque famíliam suam libertáte donásset plerámque suam substántiam paupéribus erogávit. Ex hinc tantam fámulæ suæ grátiam dedit Dóminus coram homínibus, ut quasi unum ex Angelis eam cuncti habérent. Irascéntes uno sermóne mitigábat, discordántes ad concórdiam revocábat, fugábat dæmones ex obséssis, reddébat lánguidis prístinam sanitátem. Tandem óbitus sui præscia, convocátis presbyteris et paupéribus ac distribútis quæ ei supérerant, febre corrépta, ea qua prædíxerat die migrávit ad cœlos. Apud Jocum, in Aquénsi diœcési, antíqua et peculiári veneratióne cólitur, et ad ædículam ei dedicátam in monte, ubi fertur aliquámdiu substitísse, quotánnis fit devótus populórum concúrsus. ℟. Afferéntur Regi.

In iij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos, fratres. *de Communi j. loco.*

DIE XXIX. JUNII.

Pro **Commemoratione Omnium SS. Apostolorum.**

Ad j. vesperas,

Aña. In hoc cognóscent omnes quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Oratio.

Exáudi nos, Deus salutáris noster : et ómnium sanctórum Apostolórum tuórum tuére præsídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis. Qui vivis.

Ad laudes,

Aña. Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israel.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio. Exáudi. *ut supra.*

Ad ij. vesperas,

Aña. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis, dicit Dóminus.

℣. Gloriósus in sanctis suis, fáciens mirabília. ℟. Hic Deus meus, et glorificábo eum.

Oratio. Exáudi. *ut supra.*

FESTA JULII.

DIE III. JULII.

S. Irenæi

Episcopi et Martyris.

Omnia ut in Supplem. pro aliq. locis, die j. non impedita post tertio Kal. Julii.

DIE IX. JULII.

Prodigior B. M. V.

Omnia ut in Festis B. M. V. at in Aña ad Magnificat, et in vij. ℟. dicitur : Tuum sanctum patrocínium.

DIE XXI. JULII.

SS. Victoris et Socior.

Mart. Duplex.

Omnia de Comm. plurim. Mart. præter sequentia.

Oratio.



Omnípotens sempitérne Deus, mundi creátor et rector, qui beátos Mártyres tuos Victórem, Feliciánum, Alexándrum atque Longínum, necnon Deuthérium párvulum ad nóminis tui glóriam consecráre voluísti : exáudi pópulum tuum cum sanctórum tuórum tibi patrocínio supplicántem; ut ad pacis donum profíciat, et fídei caritatísque augménto repleátur. Per Dóminum.

Pro Commem. S. Praxedis Virg. Aña. Veni sponsa. ℣. Spécie tua. ℟. Inténde. *Oratio.* Exáudi.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



Sæviénte in Ecclésiam Diocletiáni et Maximiáni persecutióne horríbili, Christiáni quidam mílites, ne in céteros Christiános pugnáre cogeréntur, Románæ milítiæ cíngulum deposuérunt. Inter quos potíssimum enítuit Victor Massília oriúndus, qui a Románo se subdúcens exércitu, nunquam tamen Dei exercítuum nomen milítiámque derelíquit. Nam sub idem tempus arma resúmere, et idólis immoláre ab Astério tribúno sollicitátus, promíssis minísque invíctus, Christúmque verbis et vultu gerens, militáre et sacrificáre constantíssime recusávit. Quaprópter ab eódem tribúno in tetérrimum cárcerem detrúditur, ubi inter víncula nequáquam filiórum Dei libertá-

tem amíttens, mílites quoque suæ custódiæ deputátos a dæmonum servitúte liberávit, et christiános commilitónes fecit. Sequénti autem nocte, edúcitur ab Angelo, ut clam visitáret et consolarétur infírmos; sed ultro revérsus ad cárcerem totis viscéribus ad martyrium anhelábat.

℟. Sancti tui. **Lectio v.**

Ea custódum conversióne et hujúsmodi signis Eutíchius præféctus admónitus, Victórem e cárcere præcépit accersiri; et ejúsdem mandáto, retórtis bráchiis, loris subtílibus ligátus, pedibúsque fune constríctis per médiam civitátem tráhitur. Post hæc fústibus crudelíssime cæditur, táureis vexátur, in equúleo suspénditur, et inter supplícia fórtior effícitur. Inde exhibétur ibi ara ut sacrificáret, sed ille religiósam oculórum puritátem ne aræ quidem adspéctu fœdáre volens, ipsam de manu sacerdótis calce excússit. Quamóbrem tam pretiósum pedem ei præses jussit incídi, quo se deósque suos conculcári sentiébat. Ad últimum in confessióne persístens missus est in molam pistrináriam, in qua tamquam purum Christi fruméntum contrítus est, et cum ita exstíngui non potuísset, cápitis abscissióne martyrium consummávit. ℟. Vérbera carníficum.

Lectio vj

Sed et egrégius Victor, qui custódes suos vícerat, Alexándrum scílicet, Feliciánum atque Longínum, eósdem hábuit martyrii sócios et fortitúdinis æmulos. Cum enim intempéstæ noctis siléntio Angélicis lumínibus obstupefácti, et Victóris sermónibus animáti, ad Christum, qui lux et vita est, respexíssent, sequénti die illum pro præmio consecúti sunt, quem pro Deo paulo ante cognóverant atque ita sancto Victóri, felíci martyrio consociáti sunt. Eódem die Deuthérius puer ad illíus sepúlcrum orans, in ipso oratiónis fervóre innocéntem ánimam efflávit, et ei córpore consepúltus est, cujus caritátis spíritum infans viríliter háuserat.

℟. Tamquam aurum.

In iij. Noct. Homil. S. Gregorii. Dóminus ac Redémptor. *de Comm. j. loco.*

Pro S. Praxede, **Lectio ix.**

Praxédes, virgo Romána, Pudentiánæ vírginis soror, Marco Antoníno imperatóre Christiános persequénte, eos facultátibus, ópera, consolatióne, et omni caritátis offício prosequebátur. Nam álios domi occultábat: álios ad fídei constántiam hortabátur: aliórum córpora sepeliébat: iis, qui in cárcere inclúsi erant, qui in ergástulis exercebán-

tur, nulla re déerat. Quæ cum tantam Christianórum stragem jam ferre non posset ; Deum precáta est, ut, si mori expedíret, se e tantis malis eríperet. Itaque duodécimo Kaléndas Augústi ad pietátis præmia vocátur in cœlum. Cujus corpus a Pastóre Presbytero in patris et sorórisPudentiánæ sepúlcrum illátum est, quod erat in cœmetério Priscíllæ, via Salária. Te Deum.

In Laud. fit Commem. S. Praxedis Virg.

Aña. Símile est. ℣. Diffúsa.

Oratio. Exáudi.

DIE XXII. JULII.

S. Mariæ Magdalenæ

Pœnitentis. Duplex ij. class. Omnia ut in Brev. Romano.

DIE XXIV. JULII.

S. Veronicæ de Julianis

Virginis. Duplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliq. locis, die ix. hujus.

DIE XXIX. JULII.

S. Marthæ

Virginis. Duplex ij. class. * *Omnia ut in Breviario, præter Orationem seq.*

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui Unigénitum tuum pro salúte hóminum in terris conversántem sanctíssimæ Vírginis Marthæ hospítio súscipi voluísti : præsta, quæsumus; ut, ejúsdem Vírginis méritis et intercessióne, in cœlórum domicílio récipi misericórditer valeámus. Per Dóminum.

DIE XXX. JULII.

S. Cypriani

Episc. et Confess. Duplex.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Cypriáni, Confessóris tui atque Pontíficis, fídei constántiam subsequámur; qui, pro glória nóminis tui, contra hostes Ecclésiætuæ decértans, corónam vitæ méruit obtinére. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Cypriánus, Epíscopus Tolonénsis, humánis et divínis lítteris appríme doctus, flóruit tempóribus Anastásii, Justíni et Justiniáni imperatórum et Clodovéi Francórum regis, ac Childebérti ejus fílii. Ab ineúnte ætáte adhæsit beáto Cæsário Arelaténsi Epíscopo, cujus vitæ librum primum, símplici stylo, ornáte tamen descrípsit, ubi, post narratiónem belli quod gestum est inter Alarícum Gothórum regem et præfátum Clodovéum, qui ipsum Alarícum in bello occídit, anno quingentésimo nono, hódie, ait, cívitas Arelaténsis paret Childe-

* Ex Indulto 21. Junii 1883.

bérto, Francórum regi, fílio Clodovéi; et de beáto Cæsário, et de seípso loquens : Væ, inquit, mihi mísero Cypriáno, qui ad discéndum tam tépidus fui, ut modo agnóscam et dóleam, me de tanti fontis ubertáte, non tantum hausisse, quantum mea postulábat aríditas. Cum vero província Narbonénsis hærética Arianórum peste laboráret, a beáto Cæsário diáconus factus, ipsum secútus est in synodo Agathénsi, quæ celebráta est témpore Alaríci Gothórum regis. ℟. Invéni David.

Lectio v.

VEræ fídei propugnátor acérrimus Bárbaris étiam et infestíssimis cathólici nóminis hóstibus ipsam prædicáre non rénuit. Cum autem ipsum, quodam die de cathólica religióne coram Alaríco disputántem audíssent duo nóbiles mílites adhuc pagáni, Méndrias nempe et Flaviánus, qui ex Sáxonum regiónibus ad ejúsdem príncipis castra, Clodovéum Francórum regem pugnatúri, advénerant, statim compúncti corde, convérsi, et pœniténtes, ab ipso fide instrúcti baptizáti, et a peccátis absolúti, illum Tolónem usque secúti sunt, ibíque secus mare vitam eremíticam anachoretárum more duxérunt. Cypriánus ígitur beáti Cæsárii præceptóris sui mónita servans, ad episcopále munus assúmptus, et illíus comes factus, cum eo multis concíliis, máxime concílio Arausicáno secúndo, quod celebrátum fuit quinto Nonas Júlii, Décio junióre viro claríssimo cónsule, anno Dómini quingentésimo vigésimo nono intérfuit. ℟. Pósui.

Lectio vj.

CUm autem Antístites Christi prope Isaram consisténtes, caritátis amóre colléCti, in Valentínam civitátem convenéssent, quo beátus Cæsárius infirmitátis causa, sicut disposúerat, properáre non pótuit, misit tamen præstantíssimos viros de Epíscopis, cum presbyteris et diáconis inter quos étiam Cypriánus, Tolonénsis Antístes magnus, et clarus enítuit, ómnia quæ dicébat divínis scriptúris firmans et antiquíssimis patrum institutiónibus probans. Intérfuit étiam ipse Cypriánus, cum Attílio Vasionénsi Epíscopo, concílio Aurelianénsi quarto, témpore Vigílii summi Pontíficis et Childebérti Francórum regis, anno Dómini quingentésimo quadragésimo primo et ipsíus Childebérti tricésimo. Post hæc Cypriánus vita célebris, doctrína perítus, et religiónis sanctitáte probátus, super gregem a Dómino commíssum vígilans illum verbo et exém-

plo pascébat, ac post multos pro óvibus suis exantlátos labóres obdormívit in Dño, quinto Nonas Octóbris.
℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* ij.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hoc quod dixit: Vos estis sal terræ, ad illud réspicit quod supérius dixit: quia Epíscopus ómnibus virtútibus debet esse ornátus. Debet enim esse pauper, ut avarítiam libera voce castíget. Debet esse suspírans ac lugens sive sua, sive aliéna peccáta, ut confúndat eos, qui nec peccáre dúbitant, nec priúsquam peccent, nec postquam peccáverint, tristántur quia peccavérunt. Ideo suspírat et plangit, ut per hoc osténdat quia gravis et periculósus est mundus iste fidélibus. Debet esse sítiens et esúriens justítiam, ut pigros circa bona ópera vel lectiónem, fiduciáliter verbo Dei, aut increpatiónis flagéllo, váleat excitáre, magis exémplo suo, quam voce. Debet esse mansuétus, ut magis indulgéndo, quam vindicándo, regat Ecclésiam; ut magis ametur, quam timeátur. ℟. Amávit eum.

Lectio viij.

Vos estis lux mundi. Si considerémus quod opus est salis, quod lucis, ádmonet nos ut quærámus ob quam causam Apóstoli sali sunt comparáti, ob quam luci. Salis opus est rem in eo statu tenére, in quo invénerit eam, ut ad detérius eam mutári non sinat; ad mélius autem perdúcere non potest, útputa tenet carnem ne putréscat, sed pútridam non potest tenére incorrúptam. Lucis autem opus est, ipsas sólvere ténebras et ea quæ fuérunt in ténebris, illustráre. Sic et Apóstoli, ceteríque Epíscopi, sal quidem sunt pópuli christiáni jam Deum cognoscéntis, servántes eum in ipsa cognitióne Dei et sanctitáte, id est terræ cultæ, quæ jam verbo crucis, quasi vómeri aratróque est subjécta. Lux autem sunt géntium, eas ad sciéntiæ lumen perducéntes, vel ceterórum, qui forte in Ecclésia occidérunt in ténebras peccatórum.
℟. Sint lumbi. **Lectio ix.**

Nam sicut bona conversátio sacerdótis tenet quidem sanctos in sanctitáte per suum exémplum, addúcere autem ignorántes ad sciéntiam veritátis non potest: sic étiam verbum addúcere ignorántes ad sciéntiam ve-

ritátis, sine bona conversatióne, potest, tenére autem in fide vel sanctitáte, absque bona conversatióne, non potest; magis autem scandalízat. Ergo propter bonam conversatiónem suam Epíscopi sunt sal, quóniam bona conversátio illórum conditúra pópuli est; propter autem verbum doctrínæ sunt lux, quóniam verbum ignorántiæ lumen est.
Te Deum laudámus.

FESTUM MOBILE.

DOMINICA II. JULII.

Commemoratio Omnium SS. Pontificum Aquensium et Arelatensium. *Dupl. ij. class.*

Ad i. vesperas,

Aña. Sancti. *cum reliq. de Laudibus*, 17.
Ps. Dixit Dñus. *cum reliq. de Dominica, et loco ultimi, Psalm.* Laudáte Dóminum.
Capitulum. *Hebr. Cap.* xiij.
Fratres, Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

Rex gloriόse Præsulum,
Corόna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad cœléstia.
Aurem benígnam prótinus
Appóne nostris vócibus;
Trophæa sacra pángimus,
Ignósce quod delíquimus.
Tu vincis in Martyribus.
Parcéndo Confessóribus:
Tu vince nostra crímina,
Donándo indulgéntiam.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum. Am.

℣. Exáltent eos in ecclésia plebis. ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eos.
Ad Magnificat, Aña. Sacerdótes Dei, benedícite Dóminum; servi Dómini, hymnum dícite Deo, allelúia.

Oratio.

Deus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis, et amóre domináris: da spíritum sapiéntiæ, suffragántibus méritis Antístitum Ecclésiæ nostræ, quibus dedísti régimen disciplínæ, ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna Pastórum. Per Dóminum.
Commem. Dominicæ.

Ad matutinum,

Invitat. Christum Príncipem Pastórum: * Veníte, adorémus.

Hymnus.

Ætérna Christi múnera,
Et glóriam Pontíficum,
Laudes canéntes débitas,
Lætis canámus méntibus.
Ecclesiárum Príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cœléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.
Devóta Sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas,
Mundi triúmphat príncipem.

In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cœlum replétur gáudio.
Te nunc Redémptor, quæsumus,
Ut ipsórum consórtio
Jungas precántes sérvulos,
In sempitérna sæcula. Am.

Añæ, Psalm. et ℣℣. *Noct. dicuntur de Comm. Apost.*

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* xliv.

LAudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua prædíti, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dñus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. — Estóte.

Lectio ij.

HOmines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes : pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum : et sunt quorum non est memória : periérunt quasi qui non fúerint : et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum.

Lectio iij.

SEd illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt : cum sémine eórum pérmanent bona, heréditas sancta nepótes eórum et in testaméntis stetit semen eórum : et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent : semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia. ℟. Dum stetéritis.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

In Festo S. Malachiæ Episc.

Lectio iv.

COngratulémur, fratres, congratulémur, ut dignum est, Pontifícibus nostris : quia et pium est

defúnctos plángere, et pium magis congaudére vivéntibus. Numquid non vivunt? Et beáte. Nimírum visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace. Dénique jam concíves Sanctórum, et doméstici Dei psallunt páriter, et grátias agunt, dicéntes : Transívimus per ignem et aquam, et eduxísti nos in refrigérium. Transivérunt plane viríliter, et felíciter pertransiérunt. Transivérunt per ignem, et aquam, quos neque trístia frángere, nec detinére móllia potuérunt.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cœlum, voce magna clamántem, et dicéntem. — Isti sunt viri sancti.

Lectio v.

LÆtémur, quod Pontífices nostri ascendérunt ad cives suos, pro fíliis captivitátis legatióne fungéntes, corda nobis conciliántes Beatórum, vota illis intimántes miserórum. Lætémur, inquam, et exsultémus, quia cœléstis illa Cúria ex nobis habet, quibus sit cura nostri, qui suis nos prótegant méritis, quos informavérunt exémplis, miráculis confirmavérunt. Sancti Pontífices, qui in spíritu humilitátis hóstias pacíficas cœlis frequénter invéxerant, per semetípsos introivérunt ad altáre Dei, ipsi hóstiæ, et Sacerdótes.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes propter me : * Gaudéte et exsultáte quóniã merces vestra copiósa est in cœlis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. — Gaudéte et exsultáte.

Lectio vj.

BEnedíctus Dóminus Deus, qui tantórum Pontíficum ministério visitávit plebem suam. Et nunc assúmptis iis in sanctam civitátem, tantæ recordatióne suavitátis nostram non désinunt consolári captivitátem. Exsúltent in Dómino eórum spíritus, quod leváti póndere corpóreæ molis, nulla jam fæculénta, vel terréna matéria prægraventur, quo minus tota alacritáte ac vivacitáte corpóream omnem, et incorpóream transeúntes creatúram, pergant toti in Deum, et adhæréntes illi, unus sint cum eo spíritus in ætérnum. Domum istam decet sanctitúdo, in qua tantæ frequentátur memória sanctitátis.

℟. Isti sunt triumphatóres.

In tertio Nocturno.
Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xvj.

In illo témpore : Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homilía S. Leónis Papæ.
Serm. ij. *in Anniv. Assumpt. suæ, ante medium.*

Cum, sicut Evangélica lectióne reserátum est, inter rogásset Dóminus discípulos, quem ipsum (multis divérsa opinántibus) créderent, respondissétque beátus Petrus, dicens : Tu es Christus Fílius Dei vivi; Dóminus ait : Beátus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est : et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam, et tibi dabo claves regni cœlórum, et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis. Manet ergo dispositio veritátis, et beátus Petrus in accépta fortitúdine petræ persevérans, suscépta Ecclésiæ gubernácula non relíquit.

℟. Amávit eos Dóminus, et ornávit eos : stolam glóriæ índuit eos, * Et ad portas Paradísi coronávit eos. ℣. Induit eos Dóminus lorícam fídei, et ornávit eos. — Et ad portas. **Lectio viij.**

In univérsa namque Ecclésia, tu es Christus Fílius Dei vivi, quotídie Petrus dicit : et omnis lingua, quæ confitétur Dóminum, magistério hujus vocis imbúitur. Hæc fides diábolum vincit, et captivórum ejus víncula dissólvit. Hæc érutos mundo ínserit cœlo, et portæ ínferi advérsus eam prævalére non possunt. Tanta enim divínitus soliditáte muníta est, ut eam neque hærética unquam corrúmpere právitas, nec pagána potúerit superáre perfídia. His ítaque modis dilectíssimi, rationábili obséquio celebrátur hodiérna Festívitas, ut in persóna humilitátis meæ, ille intelligátur, ille honorétur, in quo et ómnium Pastórum sollicitúdo, cum commendatárum sibi óvium custódia persevérat, et cujus étiam dígnitas in indígno heréde non déficit.

℟. Isti sunt, qui ante Deum magnas virtútes operáti sunt, et omnis terra doctrína eórum repléta est : * Ipsi intercédant pro peccátis ómnium populórum. ℣. Isti sunt, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad cœléstia regna. — Ipsi. Glória Patri. Ipsi.

Lectio ix. de Homilia Dominicæ occurrentis.

Ad laudes,

et per Horas, Aññæ.

1. Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te. *Ps.* Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.*

2. In cœléstibus regnis * sanctórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

3. Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

4. Spíritus et ánimæ justórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúia.

5. Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Capitulum. *Hebr. Cap.* xiij.

Fratres, Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

Rex gloriόse Præsulum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad cœléstia.

Aurem benígnam prótinus
Appóne nostris vócibus;
Trophæa sacra pángimus,
Ignósce quod delíquimus.

Tu vincis in Martyribus,
Parcéndo Confessóribus:
Tu vince nostra crímina,
Donándo indulgéntiam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum. Am.

℣. Justos dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illis regnum Dei.

Ad Bened. Aña. Vos estis lux mundi: non potest cívitas abscóndi supra montem pósita, neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. **Oratio.**

Deus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis, et amóre domináris: da spíritum sapiéntiæ, suffragántibus méritis Antístitum Ecclésiæ nostræ, quibus dedísti régimen disciplínæ, ut de profectu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna Pastórum. Per Dóminum nostrum.

Commem. Dominicæ.

Ad tertiam,

Capit. Fratres. *ut supra.*

℟. *br.* Lætámini in Dómino * Et exsultáte, justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exsultáte. Glória Patri. Lætámini.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Ad sextam,

Capitulum. Act. Cap. xx.

Atténdite vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

℟. *br.* Exsúltent justi * In conspéctu Dei. Exsúltent.

℣. Et delecténtur in lætítia.

39

In conspéctu Dei. Glória Patri. Exsúltent justi.
℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dum est merces eórum.

Ad nonam,

Capitulum. Hebr. Cap. xiij.
Obedíte præpósitis vestris, et subjacéte eis : Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris reddit úri.
℟. *br.* Justi autem * in perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi.
℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad ii. vesperas,

Añæ, Capit. et Hymn. de Laud. Psalmi ut in j. Vesp. et loco ultimi Psalm. Meménto Dómine David.
℣. Elégit eos Dóminus sacerdótes sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.
Ad Magnificat, Aña. Amávit eos Dóminus, et ornávit eos : stolam glóriæ índuit eos, et ad portas Paradísi coronávit eos.
Oratio. Deus, qui pópulis.
Dein Commem. Dñicæ.

FESTA AUGUSTI.

DIE VI. AUGUSTI.
Transfigurationis D. N. J. C.
Eccl. Metrop. Aquensis Titularis. In civit. duplex primæ classis cum Octav. Alibi, duplex majus.

DIE XI. AUGUSTI.
S. Rusticulæ
Virginis. Duplex.
Omnia de Comm. Virg. præter seq. Oratio.
Supplices te rogámus, omnípotens Deus, ut interveniénte sancta Rustícula Vírgine, tua in nobis dona multíplices et témpora nostra dispónas. (Per Dóminum.)
Pro Comm. SS. Tiburtii et Susannæ Mart. Aña. Istórum. ℣. Lætámini.

Oratio.
Sanctórum Mártyrum tuórum Tibúrtii, et Suzánnæ, nos Dómine fóveant continuáta præsídia : quia non désinis propítius intuéri, quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.
Lect. j. Noct. de Script. occ.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.
Valeriánum et Cleméntiam Romános, Christiánæ inserviéntes religióni, in agro Hebocasiáco, qui situs est in território Vasionénsi, commorántes, paréntes hábuit Rustícula. Pater ejus, ea die qua nata est, de hac luce migrávit; et paucos post dies ejus frater infántulus páriter defúnctus est. Mater autem viduitátis suæ veste contécta, tristítiam quam cónjugis filiíque amissióne assúmpserat, per hanc prolem fœcunditátis suæ útero éditam

consolabátur. Hæc córporis et ánimi dótibus ita erat insígnis, ut omnes matri de fília congratularéntur. Cum quinque esset annórum, a quodam viro nóbili, nómine Cheraónio, Guntrámni regis familiári, rapta est, ut illam sibi póstea, núbilem factam, matrimónio conjúngeret. Verúmtamen quid de illa Dóminus statuísset, per sómnium matrem admónuit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Monastério Vírginum quod Areláte sanctus Cæsárius olim sorόri suæ Cæsáriæ constrúxerat, tum præerat Liliola : cui étiam de hac Vírgine, divínitus revelátum fúerat. Itaque Rustícula, jussu Guntrámni regis, ad id suadénte Syágrio, Augustodunénsi Epíscopo, ínscia matre et invíto Cheraónio, Arelátem dúcitur, excéptaque a Sapáudo Epíscopo, Lilíolæ tráditur educánda. Mater ejus, quamvis divíni consílii non ignára, tamen nolébat consolári, isto único pígnore orbáta; Rusticulámque verbis et lácrymis revocábat. At generósa Virgo, auctoritáte Epíscopi confortáta, ut Christo fíeret digna, ob amórem ejus, matri renuntiávit, fírmaque in propósito permánsit. Adeo caritáte, humilitáte, obediéntia, prudéntia, patiéntia et benignitáte inter sorόres enítuit, ut, defúncta Lilíola, eam sibi in Matrem elegérunt. Erat autem tunc annórum círciter decem et octo, et ita se cœpit jejúniis et vigíliis dare, ut tértio unoquóque dumtáxat die cibum súmeret, et cilício tegerétur. Réliquis vero sorόribus noctúrnis horis quiescéntibus, per totam noctem in Ecclésia, psalmis, hymnis et lácrymis insistébat, et pro trádito sibi grege Dóminum precabátur. ℟. Dilexísti.

Lectio vj.

INvídia Ricimíri príncipis falso accusáta, ad Clotárium regem ire vincta compéllitur. At permúltis in itínere et in aula éditis miráculis, ínnocens honorífice remíttitur. Incredíbile est quanto cum gáudio et sorόres et tota plebs illam redeúntem suscéperint. Qui crimen objécerant, confúsi compunctíque, ab ipsa véniam humíliter postulárunt, quibus álacri ánimo condonávit : Deum enim, ad exémplum Christi, ut ipsis dimítteret precabátur. In monastério sacras ædes, et vírginum cellas auxit et ampliávit. Multa oratória item in urbe suis súmptibus exstrúxit. Tandem, diébus plena, et méritis cumuláta, décimo quarto post réditum suum anno, et séptimo supra septuagésimum ætátis suæ, Theodósio Epíscopo Arela-

ténsi, migrávit ad Dóminum. Corpus ejus cum magna fúneris pompa, majoríque cívium luctu, in Ecclésiam sancti Tróphimi per optimátes Urbis illátum, ad dextrum latus majóris altáris collocátur. Nec illud mirábile prætereúndum est quod dum inferrétur, permúlti ægrotántes, colla ferétro submitténtes, íllico sanabántur. At caput in cœnóbio sancti Cæsárii aliquámdiu asservátum hisce tempóribus in Ecclésiam sanctæ Maríæ Majóris translátum est, ubi fidélium veneratióni expónitur.

℟. Afferéntur Regi.

In iij. Noct. Homil. Sæpe vos, fratres. *de Comm. Virg. j. loco.*

Pro SS. Martyribus Tiburtio et Susanna. **Lectio ix.**



Ibúrtius Chromátii præfécti Urbis fílius, sancti Sebastiáni ópera Christiánus, cum ob eam causam ad Fabiánum júdicem addúctus esset, múltaque apud illum de Christi fide prædicáret; excandéscens judex paviméntum candéntibus carbónibus sterni jubet: Mox, Tibúrti, inquit, vel diis nostris sacrífices opórtet, vel per istos carbónes nudis pédibus tibi incedéndum est. At ille crucis signo se múniens, fidentérque ámbulans in pruna, Disce, inquit, ex hoc solum esse Deum, quem Christiáni colunt : prunæ enim mihi flores vidéntur. Quod cum mágicis ártibus tribuerétur, extra Urbem ductus Tibúrtius, ac via Lavicána tértio ab Urbe lápide gládio percússus, ibi a Christiánis sepelítur. Quo die Susánna virgo nobilíssima, quod Galérii Maximiáni, fílii Diocletiáni imperatóris, conjúgium recusáret, ut quæ virginitátem Deo vóverat; post multa tormentórum génera, quibus várie tentátum est sanctum vírginis propósitum, domi suæ jussu imperatóris gládio percússa, ad duplex virginitátis et martyrii præmium migrávit in cœlum.

Te Deum laudámus.

In Laud. fit Commem. Oct. S. Laurentii, Aña. In cratícula te Deum non negávi, et ad ignem applicátus te Christum conféssus sum : probásti cor meum, et visitásti nocte : igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi. **Oratio.**



A nobis, quæsumus omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas exstínguere, qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre.

Dein SS. Mart. Aña. Vestri capílli. ℣. Exsultábunt. *Orat.* Sanctórum. *supra*, 18.

DIE XIII. AUGUSTI.
Octava Transfiguratio-nis D. N. J. C.
Duplex. [A quis tantum.] Omnia ut in die Festi. Fit Comm. Oct. S. Laurentii et SS. Hippolyti et Cassiani Martyrum.

DIE XVI. AUGUSTI.
S. Rochi *Confessoris.*
Ut in Supplem. pro aliq. locis, eadem die.

DIE XVIII. AUGUSTI.
S. Philumenæ *Vg. Mart.*
Ut in Supplem. pro aliq. locis, die XI. Augusti vel alia ejusdem mensis.

DIE XIX. AUGUSTI.
S. Ludovici
Episc. et Conf. Duplex. Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequ. **Oratio.**

DEus, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum atque Pontíficem, cœléste regnum terréno præpónere docuísti, ac puritáte illibáta, et exímia in páuperes caritáte mirabíliter decorásti : concéde ; ut ejúsdem virtútes æmulántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. de Script. occ. In secundo Nocturno.

Lectio iv.

LUdovícus nobilíssimo génere natus, patrem hábuit Cárolum secúndum Sicíliæ regem, matrem vero Maríam Hungáriæ regis fíliam. Adhuc puer in sortem Dómini vocátus, posthábitis ætátis illíus oblectaméntis, divíno se totum cúltui mancipávit. Décimum quartum annum agens, una cum duóbus frátribus pro genitóris libertáte in bello nayáli a rege Arragóniæ capti, obses ductus in Cataláuniam, Barcinóne apud Minóres sancti Francísci fere septénnio est commorátus : sub eorúmque disciplína, in scientiárum stúdiis ac sacrárum litterárum comparánda eruditióne eo progréssus est, ut constans fúerit opínio ipsi pótius fuísse divínitus infúsas quam humániter acquísitas. Verum majóri conátu cœléstis magístri doctrína spíritum instrúere anhélans, cilíciis, férreis flagéllis, carnem afflíxit. Assídua ínterim evangélicæ veritátis meditatióne contemptibília mundi spérnere edóctus, regális sólii fastum calcáre deliberávit, ac de seráphico amplecténdo institúto, raro humilitátis exémplo, votum emísit. ℟. Invéni David. **Lectio v.**

ECclesiásticæ milítiæ adscríptus et ad sacros órdines deínde promótus, ut, quod mente statúerat, ópere firmáret, juri primogenitúræ renuntiávit et regno : cumque votum, quod Barcinóne vóverat, in Montepessuláno fru-

stra adimplére satágeret, illíus cœnóbii frátribus, timóre regis patris, eum recípere non audéntibus, solémniter renovávit. Mox ad Ecclésiam Tolosánam a Bonifácio octávo quamvis invítus, assúmptus, Románque accersítus et ab eódem honoríﬁce excéptus, electióni de se factæ nullátenus se assensúrum declarávit, donec votum quo se obstrínxerat Deo reddidísset. Quare, annuénte Pontífice, hábitu órdinis Minórum, quem semper retínuit, rite suscépto, in mánibus Generális Minístri professiónem emísit. Hisque peráctis, apostólicis mandátis humíliter obtémperans, Epíscopus Tolosánus passus est consecrári, índeque ad suam pergens Ecclésiam, cum Floréntiæ cubículum et lectum pretiósum sibi parátum invenísset, utrúmque detestátus, útpote seráphicæ paupertáti repúgnans, super paviméntum, strato pállio, dormíre máluit. ℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Tolósam, ad illíus Ecclésiæ régimen, profféctus, spirituáli animárum lucro totus incúbuit. Utque ministérium apostólicum íntegre ac diligénter impléret, salutáribus mónitis illibatæque vitæ exémplo peccatóres ad pœniténtiam revocávit, plurésque Judæos atque Gentíles, assídua verbi prædicatióne ad orthodóxam ﬁdem convértit. Ecclesiásticam disciplínam ubíque in commíssa sibi diœcési promóvit ac restaurávit. Liberális in páuperes, vigínti quinque ex eis quotídie domi áluit. Puritátem usque ad óbitum a puerítia nitidíssime custodívit. Humilitátis tandem, caritátis atque ómnium virtútum ornaménto decórus, in juveníli ætáte, apud Castrum Bríncolam, ardénti febre corréptus, ad Dómini sui ampléxum, quem in votis semper habúerat, emigrávit anno millésimo ducentésimo nonagésimo nono, quarto décimo Kaléndas Septémbris, sepultúsque fuit Massíliæ, in Ecclésia Fratrum Minórum, prout ipse adhuc vivus jússerat. Magnis deínde méritis et miráculis illústrem, inter quæ plures mórtui ejus intercessióne ad vitam revocáti numerántur, Joánnes vigésimus secúndus in Sanctórum album rétulit. Ejus relíquiæ ab Alphónso Arragóniæ rege Valéntiam delátæ in cathedráli ecclésia honoríﬁce cónditæ sunt.
℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* x.

In illo témpore : Dixit Jesus quibúsdam ex Pharisæis : Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor

ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia lix. *in Joannem.*

MAgnum, quiddam, dilectíssimi, magnum, inquam, est Ecclésiæ prælátio, et quæ multa índiget sapiéntia et fortitúdine, qualem Christus propósuit, ut ánimam pro óvibus ponámus, et nunquam illas deserámus, ut lupo generóse resistámus Hæc enim inter pastórem et mercenárium est differéntia. Alter própriæ, contémptis óvibus, alter, sua contémpta, óvium semper salúti invígilat. Pastóris ergo exémplo demonstráto, deceptóres duos méminit, furem mactántem et rapiéntem oves, et mercenárium permitténtem, neque defendéntem commíssas ℟. Amávit.

Lectio viij.

QUod superióri témpore Ezéchiel his verbis insectátus est : Væ pastóribus Israel! Nonne pascébant semetípsos? Nonne greges pascúntur a pastóribus? Sed illi contrárium faciébant, quod máximæ malítiæ genus est, et plurimórum causa malórum. Idcírco inquit : neque quod abjéctum erat reducébant; neque quod períerat quærébant; neque confráctum alligábant; neque infírmum consolidábant; quóniam se, non gregem, pascébant. Idem et Paulus áliis verbis signíficat : Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

VErum ab utróque se dissidére osténdit Christus : ab illis quidem qui in aliórum perníciem véniunt, cum dicat se proptérea venísse ut vitam habérent, et abundántius habérent : ab his autem qui oves a lupis rapi negligébant, dicéndo se proptérea ánimam pónere, ne oves perírent. Nam cum Judæi ipsum interímere vellent, non proptérea déstitit a doctrína, neque credéntes trádidit, sed pérstitit, et pértulit mortem. Ideo frequénter inquit : Ego sum Pastor bonus. Quæ cum nullo niti testimónio videréntur (quod enim póneret ánimam suam, non multo post re monstrátum est : quod autem vitam habérent, et abundántius habérent, eventúrum erat in futúro sæculo) álterum ab áltero confírmat.

Te Deum laudámus.

DIE XXIII. AUGUSTI.

S. Sidonii

Episc. Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequ. **Oratio.**

DEus qui beátum Sidónium, Confessórem tuum atque Pontíficem, in terris mirabílibus,

et in cœlis sempitérna glória clarificásti : tríbue, quæsumus ; ut quem pastórem verum et patrem incessánte caritáte dilígimus, ejus válida intercessióne muniámur. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. Fidélis sermo. *de Communi.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Idónius aut Chelidónius divo Maximíno, cui ut discípulus adhæserat, ad regéndam Aquénsem Ecclésiam succéssit, eámque secúndus, amplificáto grege, sanctíssime rexit. Quid speciátim égerit in ápice sacerdotáli, quantóque témpore pedum gésserit, monuméntis depérditis, pénitus ignorátur. Hunc fuísse cæcum illum a nativitáte, cujus óculos Christus apéruit et luce donávit, nonnúlli tradunt. Ejus Festum annuátim décimo Kaléndas Septémbris in vetústis instruméntis assignátur, qua die ad cœlum migrásse créditur. ℟. Invéni David.

Lectio v.

Ivi Præsulis corpus honorífice primum Aquis-Séxtiis, in arca marmórea, juxta antecessórem sepúltum, una cum eódem, Saracenórum furóri subréptum, tandem apud San-Maximinénsem civitátem invéntum est. Demptam maxíllam inferiórem qua jamdúdum Metropolitána basílica Salvatóris fruebátur, in luctuósis tempóribus, fidélium providéntia a sacrílega combustióne servátam, piórum veneratióni Petrus Ferdinándus, Archiepíscopus Aquénsis, anno millésimo octingentésimo vigésimo, íterum expóni mandávit. ℟. Pósui adjutórium.

Sermo S. Máximi Epíscopi. *Hom.* lix. *de S. Euseb.* ij.

Lectio vj.

D sancti ac beatíssimi Patris nostri Sidónii cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse, áliquid decerpsísse est : síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra : Glória patris est fílius sápiens : quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit. ℟. Iste est qui.

In iij. Noct. Homil. Léctio sancti Evangélii, fratres. *de Comm. j. loco.*

Lectio ix. de Vigilia S. Bartholomæi. Homil. Cum cuncta. *ut in Vigil. Apost. cum ejusdem Comm. Vigiliæ in Laud. Aña et* ℣. *de Fer. occ.*

Oratio.

A quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Bartholomæi Apóstoli tui, quam prævenímus, veneránda solémni-

tas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

DIE XXVII. AUGUSTI.
S. Cæsarii
Arelaten. Episc. Conf.
Duplex majus.
Omnia de Communi Conf. Pont. præter seq. **Oratio.**

Misericórdiam tuam nobis, quæsumus Dómine, intercedénte beáto Cæsário Confessóre tuo atque Pontífice, cleménter impénde et a peccátis nostris nos propitiátus emúnda. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. Fidélis sermo. *de Comm. j, loco.*
In secundo Nocturno.
Lectio iv.

Cæsárius Cabilóne in Burgúndia natus, offício quidem et órdine cléricus, sed humilitáte, castitáte, obséquio, cruce vere mónachus semper permánsit. A téneris annis sæculo valedícens Lerínam ádiit : ubi sub Porcário Abbáte monásticam vitam proféssus, ita corpus vitæ asperitáte confrégit, ut inde diutúrno morbo corréptus, jussu Porcárii Arelátem veníre coáctus sit. A Firmíno viro patrício blandíssime excéptus, Pomério cuídam rhétori instruéndus tráditur. Sed divínitus ad majóra vocátus, humanióres sciéntias tamquam ancíllas rejécit, ut totum ánimum ad cognitiónem, et amórem summi Dei appélleret. Itaque ab Eónio, Epíscopo Arelaténsi présbyter ordinátus, Abbas monastério, Areláte in Insula suburbána tunc exsisténti, præpónitur. Tunc demum, defúncto Eónio, illum in sepúlcro latitántem órdines Arelaténses in Epíscopum elegérunt. In eo múnere diffícile est ejus solértiam, caritátem, mansuetúdinem, disciplínam, liberalitátem, hospitalitátem, ceterásque virtútes in illo summe emicántes paucis compléeti. Horárum usum, Tértiæ, Sextæ, et Nonæ in Ecclésia sua instítuit. Item, ut láicis non licéret in Ecclésiis otióse confabulári, jussit eos psalmos et hymnos una cum cléricis decantáre. ℟. Invéni.

Lectio v.

Hospitálem domum própriis súmptibus Ecclésiæ et ædibus suis contíguam ædificávit : atque in ea locum infírmis ad sacra, quæ in Ecclésia fíerent, audiénda státuit. Monastérium soróri suæ Cæsáriæ Massíliæ prius edóctæ fundávit. Apud Alarícum, Visigothórum regem ariánum, arcessítus, quod Burgundiónibus urbem pródere meditarétur, Burdígalæ exsulávit. Unde, permúltis éditis miráculis, impetráta prius ab Alaríco vénia pro calumniatóre, multis munéribus auctus,

ínnocens et innóxius dimíttitur. Ab exsílio rédiens, agris nímia siccitáte arescéntibus, pro auctário lætítiæ, imbrem cœlitus concéssum cívibus dedit. Proditiónis dénuo insimulátus, atque ádeo a Gothis urbe íterum pulsus, Ravénnam ad Theodorícum, Itáliæ regem, sub custódia dúcitur. A quo ítidem captívos concíves suos, vicínos, Gallósque omnes libertáte donátos accépit. ℟. Pósui.

Lectio vj.

Inde Cæsárius Symmachum Papam Romæ sedéntem ádiit, qui ipsi de more majórum pállii dignitátem, et Diáconis Ecclésiæ suæ véstium dalmaticárum usum concéssit. Máxima illi cura páuperum et captivórum fuit; pro quibus aléndis, et rediméndis totos étiam Ecclésiæ suæ thesáuros, ac supelléctilem absúmpsit. Multis Concíliis in Gállia hábitis intérfuit, Agathénsi, Arelaténsi, Carpentoracténsi, Arausicáno, et Vasénsi, quibus ómnibus primus, uti Metropolitánus Vicariáque præfectúra Sedis Apostólicæ fungens subscrípsit. Scripsit speciálem librum de Grátia Dei et Líbero Arbítrio, advérsus senténtiam Fausti Regiénsis Epíscopi, et in Scriptúram enarratiónes et homilías cum epístolis super vária rerum divinárum arguménta, viris religiósis, ex Gennádii senténtia, omníno necessáriis, unde post Irenæum et Hilárium præcípuus Ecclésiæ Gallicánæ Doctor agnóscitur. Cum vixísset annos septuagínta tres, rexissétque Ecclésiam Arelaténsem quadragínta, migrávit ad Deum sexto Kaléndas Septémbris, anno Incarnatiónis Domínicæ quingentésimo quadragésimo secúndo, Childebérti primi Francórum regis trigésimo primo, in vigília sancti Augustíni, cujus máximus cultor semper fúerat. Ejus ossa cóndita sunt in Ecclésia sui monastérii. ℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxiv.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Cæsárii Epíscopi. *Serm.* ccc.

Quotiescúmque, fratres caríssimi tam pro vestra quam pro mea salúte mihi necésse est áliqua dura vel áspera prædicáre, considerántes perículum meum, debétis hoc æquanímiter et patiénter accípere : quia prædicátio áspera ægrótis medicaménta próvidet, sanis ornaménta com-

pónit. Non est enim leve quod per prophétam Spíritus sanctus sacerdótibus Dómini comminátur. Si, inquit, non annuntiáveris iníquo iniquitátem suam, sánguinem ejus de manu tua requíram. Et illud quod negligénti sacerdóti nímium terribíliter in Evangélio dícitur : Serve male, quare non dedísti pecúniam meam nummuláriis, ut ego véniens cum usúris exegíssem? Et quid post hæc? Inútilem inquit servum projícite in ténebras exterióres : ibi erit fletus et stridor déntium. Ecce qualem senténtiam sacérdos négligens sustinébit qui verbum Dei assídue prædicáre nolúerit. Et ídeo, fratres caríssimi, quóties vobis áliqua áspera pro salúte ánimæ vestræ humíliter súggero, absólvo apud Deum consciéntiam meam.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

Timeo enim et nímium expavésco Heli sacerdótis exémplum, qui pro eo quod áudiens fílios suos adultéria commíttere, dissimulávit eos aut cædere aut de communióne suspéndere, sed tantúmmodo léviter admónuit dicens : Fílii, non est bene quod de vobis áudio; et tamen licet hoc díxerit, quia eos non cum grandi severitáte distrínxerit, et ipse retro cadens de sella, fractis cervícibus, mórtuus est et nomen ejus de libro vitæ delétum est et uno die trigínta míllia de pópulo interfécta sunt et duo fílii ejus occísi sunt et arca Testaménti capta est. Ecce quam grave malum factum est per negligéntiam sacerdótis qui nóluit timére illud quod supra dictum est : si non annuntiáveris iníquo iniquitátem suam sánguinem ejus de manu tua requíram. Ista enim tam terríbilis senténtia intolerábilem metum facit et ídeo me vobis importúnum exsístere et frequénter clamáre compéllit. Vos vero, fratres caríssimi, agnoscéntes quam gravis sárcina cervícibus immíneat sacerdótum a quibus ómnium ánimæ requiréndæ sunt, secúndum vestram consuetúdinem ex quo vobis prædicántur etiámsi aliquóties vobis amára videántur et áspera, libénter excípite.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Et vos enim bene nostis quod non semper médici dulces potiónes pórrigunt ægrotántibus, sed frequénter amáras et ásperas nonnúnquam étiam ferraméntis áliqua membra secáre et cautériis exúrere solent; et totum illi qui infírmi sunt patiénter excípiunt dum post brevem tribulatiónem longam sanitátem recípere cúpiunt. Et nos ergo qui, licet minus digni, tamen

qualescúmque médici spirituáles esse vidémur, necésse nobis est non semper blanda et móllia sed aliquóties áspera vel dura illis qui in ánima ægrotáre vidéntur ingérere; nam illud quale est quod médici córporum quando ad ægrótos veníre dissímulant cum grandi humilitáte rogántur, præmia et múnera eis promittúntur et tamen dúbium est utrum áliquid illórum medicaménta profíciant : nos vero qui de medicaménto spirituáli in nullo pénitus desperámus et non terrénum præmium nec áliqua temporália lucra requírimus, ídeo fastidíri debémus, quia nihil áliud quam correctiónem in ægrotántibus inveníre desiderámus? Quare hoc, fratres caríssimi? Quia multi sunt qui majórem curam habent in carne sua quam in ánima. Te Deum laudámus.

FESTUM MOBILIE.

DOMIN. POST OCTAV. ASSUMPTIONIS.

Purissimi Cordis ejusdem B. M. V.

Ut in Supplem. pro aliq. locis, eadem die.



Officia Propria

Archidioeces. Aquensis a S. R. C. approbata ac de mandato Illustrissimi et Reverendissimi Augustini Forcade Archiepiscopi Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis edita. — Pars Autumnalis.







Tornaci Nerviorum, Sumptibus et Typis Societatis S. Joannis Evangelistae, Desclée, Lefebvre et Soc. Pont. Edit. — M.DCCC.LXXXIV.

Kalendarium PERPETUUM AD USUM CLERI CIVITATIS ATQUE INTEGRAE ARCHIDIOECESIS Aquensis.

Augustus.

29 Decollatio S. Joannis Baptistae, *dupl. maj.*—*Com.* S. Sabinae Mart.
30 Rosae Limanae Virg. *dupl.*—*Com.* SS. Felicis et Adaucti MM.
31 Raymundi Nonnati Conf. *dupl.*

September.

1 Philippi Benitii Conf. (d. a. ex 23 Aug.) *dupl.* — *Com.* S. Ægidii Abb. ac SS. XII. Fratrum MM. 1
2 Stephani Reg. Hungariae Conf. *semid.*
3 Hyacinthi Conf. (d. a. ex 16 Aug.) *dupl.* 3
4 Josephi Calasanctii Conf. (d. a. ex 27 Aug.) *dupl.* 5
5 Laurentii Justiniani Ep. Conf. *semid.*
6
7
8 NATIVITAS B. M. V. *dupl. 2. cl. cum Oct.*—*Com.* S. Adriani Mart.
9 De Octava, *semid.*—*Com.* S. Gorgonii Mart.
10 Nicolai de Tolentino Conf. *dupl.*—*Com.* Oct.
11 De Octava, *semid.*—*Com.* SS. Proti et Hyacinthi MM.
12 De Octava, *semid.*
13 De Octava, *semid.*
14 Exaltatio S. Crucis, *dupl. maj.*—*Com.* Oct.
15 Octava Nativitatis B. M. V. *dupl.* — *Com.* S Nicomedis Mart.
16 Cornelii et Cypriani Pontif. MM. *semid.* — *Com.* SS. Euphemiae et Soc. Martyrum.
17 Impressio SS. Stigmatum S. Francisci Conf. *dupl.*
18 Josephi a Cupertino Conf. *dupl.*
19 Januarii et Soc. MM. *dupl.*
20 Eustachii et Soc. MM. *dupl.*—*Com.* Vigil.
21 MATTHAEI Ap. et Evang. *dupl. 2. cl.*
22 Thomae a Villanova Ep. Conf. *dupl.*—*Com.* S. Mauritii et Soc. MM.
23 Lini Pap. Mart. *semid.*—*Com.* S. Theclae Virg. Mart.
24 B. M. V. de Mercede, *dupl. maj.*
25
26 Cypriani et Justinae MM. *simpl.*
27 *Elzearii* Conf. *dupl.*—*Com. B. Delphinae* Virg. 7
28 Wenceslai Mart. *semid.*
29 DEDICATIO S. MICHAELIS Archang. *dupl. 2. cl.*
30 Hieronymi Conf. et Doct. *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Domin. I. Sept. *S. Genesii* Mart. *dupl. 2. cl.*—*Com.* Dom. 11
Domin. infra Oct. Nativit. B. M. V. Sanctissimi Nominis ejusdem B. M. V. *dupl. maj.*—*Com.* Dom.
Domin. III. Sept. Septem Dolorum B. M. V. *dupl. maj.*—*Com.* Dom.
Domin. ultima Sept. S. TROPHIMI *primi Episc. Arelatensis. Arelate dupl. 1. cl.* cum Octava.—*Alibi dupl. 2. cl.* sine Oct.—*Comm.* Dom. 14

October.

1 *Remigii* Ep Conf. *dupl.* 24
2 Angelorum Custodum, *dupl. maj.*
3 *Eonii* Ep. Conf. (d. a. ex 30 Augusti) *dupl.* 26
4 Francisci Conf. *dupl. maj.*
5 *Ludovici Alemandi* Ep. Conf. *dupl.*—*Com.* SS. Placidi et Soc. MM. 27
6 Brunonis Conf. *dupl.*

7 Cosmae et Damiani MM. (d. a. ex 27 Septembris) *semid.—Com.* S. Marci Pap. Conf. ac SS. Sergii et Soc. MM.
8 Birgittae Vid. *dupl.*
9 *Dionysii* Ep., *Rustici et Eleutherii* MM. *dupl.*
10 *Virgilii* Ep. Conf. *dupl.* 28
11 Francisci Borgiae Conf. (d. a. ex heri) *semid.*
12
13 Eduardi Reg. Conf. *semid.*
14 Callisti Pap. Mart. *dupl.*
15 Teresiae Virg. *dupl.*
16 *Cannati* Ep. Conf. *dupl.* 29
17 Hedwigis Vid. *semid.*
18 LUCAE Evang. *dupl. 2. cl.*
19 Petri de Alcantara Conf. *dupl.*
20 Joannis Cantii Conf. *dupl.*
21 Ursulae et Soc. Virginis MM. *duplex — Comm.* S. Hilarionis Abb.
22
23 *Sanctissimi Redemptoris, dupl. maj.*
24 *Raphaelis* Archang. *dupl. maj.*
25 Chrysanthi et Dariae MM. *simpl.*
26 *Sacrarum Reliquiarum, dupl. — Com.* S. Evaristi Pap. Mart.
27 Vigilia.
28 SIMONIS ET JUDAE Apost. *dupl. 2. cl.*
29
30 *Rossolinae* Virg. *dupl.* 30
31 Vigilia.

FESTA MOBILIA.

Domin. I. Octobris. SS. ROSARII B. M. V. *dupl. 2. cl.—Com.* Dom.
Domin. II. Octobris. *Maternitatis* B. M. V. *dupl. maj.—Com.* Dom.
Domin. III. Octobris. *Puritatis* B. M. V. *dupl. maj.—Com.* Dom
Domin. IV. Octobris. *Patrocinii* B. M. V. *dupl. maj.—Com.* Dom.

November.

1 OMNIUM SANCTORUM, *dupl. 1. cl. cum Oct.*
2 De Octava *semid.*—Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum sub ritu *duplici.*
3 De Octava, *semid.*
4 Caroli Ep. Conf. *dupl. — Com.* Oct. et SS. Vitalis et Agricolae MM.
5, 6, 7 } De Octava, *semid.*
8 Octava Omnium Sanctorum, *dupl. — Com.* SS. Quatuor Coronator. MM.
9 Dedicatio Basilicae SS. Salvatoris, *dupl. — Com.* S. Theodori Mart.
10 Andreae Avellini, Conf. *dupl. — Com.* SS. Tryphonis et Soc. MM.
11 Martini Ep Conf. *dupl.—Com.* S. Mennae Mart.
12 Martini Pap. Mart. *semid.*
13 *Stanislai Kostkae*, Conf. *dupl.*
14 Josaphat Ep. Polocens. et Mart. *dupl.*
15 Gertrudis Virg. *dupl.*
16 *Eucherii* Ep. Conf. *dupl* 32
17 Gregorii Thaumaturgi Ep. Conf. *semid.*
18 Dedicatio Basilic. SS. Petri et Pauli Apostolor. *dupl.*
19 Elizabeth Reg. Hungariae, Vid. *dupl. — Com.* S. Pontiani Pap. Mart.
20 Felicis de Valois Conf. *dupl.*
21 Praesentatio B. M. V. *dup. maj.*
22 Caeciliae Virg. Mart. *dupl.*
23 Clementis Pap. Mart. *dupl. —Com.* S. Felicitatis Mart.
24 Joannis a Cruce Conf. *dupl. — Com.* S. Chrysogoni Mart.
25 Catharinae Virg. Mart. *dupl.*
26 Didaci Conf. (d. a. ex 13 huj.) *semid. — Com.* S. Petri Alexandrini Ep. Mart.
27 *Verani* Episc. Conf. (d. a. ex 13 hujus) *dupl.* 35

46

28
29 Vigilia.—*Comm.* S. Saturnini Mart.
30 Andreae Ap. *dupl. 2. cl.*

FESTA MOBILIA.

Domin. infra Oct. Omn. Sanct. Festum Omnium Sanctorum totius Dioecesis Aquensis, *dupl. 2. cl.—Com.* Dom. 36
Domin. post Oct. Omn. Sanct. Anniversarium Dedicationis Metropolitanae Aquensis et Omnium Ecclesiarum Dioeceseos, *dupl. 1. cl. cum Oct.—Com.* Dom.
Domin. sequenti. Octava Dedicationis, *dupl.—Com.* Dom.
Domin. ultima post Pentecosten. S. Mitrii Mart. *patroni civit. Aquensis, dupl. 1. cl. cum Oct.* — Extra civit. *dupl. 2. cl. sine Oct.—Com.* Dom. 42

December.

2 Bibianae Virg. Mart. *semid.* 1



Imprimatur.
Tornaci, die 19. Januarii 1884.
G. BOUVRY, Vic. Gen.



Officia Propria Archidioecesis Aquensis.

Pars Autumnalis.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I. SEPTEMBRIS.
(*D. f. ex XXIII. Aug.*)

S. Philippi Benitii
Conf. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter sequentia.

In Hymno. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*

Oratio.

Deus, qui per beátum Philíppum Confessórem tuum, exímium nobis humilitátis exémplum tribuísti : da fámulis tuis próspera mundi ex ejus imitatióne despícere, et cœléstia semper inquírere. Per Dóminum.

Pro Commem. S. Raymundi, Aña. Hic vir. ℣. Justum.

Oratio.

Deus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte, beatum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti : ejus nobis intercessióne concéde; ut a peccatórum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exsequámur.

Pro S. Ægidio, Aña. Euge. ℣. Os justi. *Oratio.* Intercéssio. *de Comm. Abb. Deinde fit Comm. SS. duodecim Fratrum Mart. Aña.* Istórum. ℣. Lætámini.

Oratio.

Fratérna nos Dómine Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio con-

47

solétur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Hilíppus ex nóbili Benitiórum família Floréntiæ natus, futúræ sanctitátis jam inde ab incunábulis indícium præbuit ; vix enim quintum ætátis mensem ingréssus linguam in voces mirífice solvit, hortatúsque fuit matrem, ut Deíparæ servis eleemósynam impertíret. Adoléscens, dum Parísiis litterárum stúdia cum pietátis ardóre conjúngeret, plúrimos ad cœléstis pátriæ desidérium inflammávit. Revérsus in pátriam, et singulári visióne a beatíssima Vírgine in Servórum suórum famíliam nuper institútam vocátus, in Senárii montis antrum concéssit, ubi ásperam quidem jugi córporis castigatióne, sed Christi Dómini cruciátuum meditatióne suávem vitam duxit : indéque per univérsam pene Európam, magnámque Asiæ partem, quam evangélicis prædicatiónibus obívit, sodalítia Septem Dolórum Dei Matris instítuit, suúmque órdinem exímio virtútum exémplo propagávit.

℟. Honéstum. **Lectio v.**

Ivínæ caritátis et cathólicæ fídei dilatándæ ardóre vehementer accénsus sui órdinis Generális relúctans, atque invítus renuntiátus, fratres ad prædicándum Christi Evangélium in Scythiam misit; ipse vero plúrimas Itáliæ urbes concúrsans, gliscéntes in eis cívium discórdias compósuit, multásque ad Románi Pontíficis obediéntiam revocávit; nihílque de stúdio aliénæ salútis omíttens, perditíssimos hómines e vitiórum cœno ad pœniténtiam, ac Jesu Christi amórem perdúxit. Oratióni summópere addíctus, sæpe in éxtasim rapi visus est. Virginitátem vero ádeo cóluit, ut ad extrémum usque spíritum voluntáriis ac duríssimis supplíciis illibátam custodíerit.

℟. Amávit. **Lectio vj.**

Efflóruit in eo júgiter singuláris erga páuperes misericórdia; sed præcípue cum apud Camiliánum agri Senénsis vicum lepróso nudo eleemósynam peténti, própriam qua indútus erat, vestem fuit elargítus; qua ille contéctus, statim a lepra mundátus est. Cujus miráculi cum longe latéque fama manásset, nonnúlli ex Cardinálibus, qui Vitérbium, Cleménte quarto vita functo, pro successóre deligéndo convénerant, in Philíppum, cujus cœléstem étiam prudéntiam perspéctam habébant, intendérunt. Quo compérto, vir Dei, ne forte pastorális re-

gíminis onus subíre cogerétur, apud Tuniátum montem támdiu delítuit, donec Gregórius décimus Póntifex máximus fúerit renuntiátus; ubi bálneis, quæ étiam hódie sancti Philíppi vocántur, virtútem sanándi morbos suis précibus impetrávit. Dénique Tudérti, anno millésimo ducentésimo octogésimo quinto, in Christi Dómini e cruce pendéntis ampléxu, quem suum appellábat librum, sanctíssime ex hac vita migrávit. Ad ejus túmulum cæci visum, claudi gressum, mórtui vitam recepérunt. Quibus aliísque plúrimis fulgéntem signis Clemens décimus Póntifex máximus Sanctórum número adscrípsit. ℟. Iste homo.

In iij. Noct. Hom. Pusíllum gregem. *de Comm. ij. loco.*

Pro S. Ægidio Abbate,

Lectio ix.

Ægídius Atheniénsis, régiæ stirpis, a prima ætáte divínis lítteris, et caritátis offíciis ita déditus fuit, ut nihil prætérea curáre viderétur. Itaque paréntibus mórtuis, totum patrimónium in páuperes erogávit : quin étiam túnicam éxuit, ut ægrótum egéntem tégeret; qua ille indútus statim conváluit. Sed multis deínceps clárior miráculis, timens sui nóminis celebritátem, Arelátem ad beátum Cæsárium conténdit : a quo post biénnium discédens, secéssit in erémum : ubi diútius herbárum radícibus et cervæ lacte, quæ statis ad eum horis veniébat, admirábili sanctitáte vixit. Quæ cerva, insequéntibus quodam die cánibus régiis, cum in antrum Ægídii refugísset, Gálliæ regem ímpulit, ut ab eo summis précibus péteret, ut in loco spelúncæ monastérium éxstrui paterétur. Cujus administratiónem, flagitánte rege, invítus suscépit : eóque múnere áliquot annis prudénter piéque gesto, migrávit in cœlum. Te Deum laudámus.

In Laud. pro Comm. S. Ægidii Abb. Aña. Similábo. ℣. Amávit. *Oratio.* Intercéssio. *Pro SS. Mart. Aña.* Vestri capílli. ℣. Exsultábunt. *Oratio.* Fratérna. *ut supra.* *In ij. Vesp. fit Commem. S. Stephani Reg. Conf. pro quo, Aña.* Similábo. ℣. Amávit. **Oratio.**

Concéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cœlis. Per Dóminum.

DIE III. SEPTEMBRIS.

(*D. f. ex XVI. Aug.*)

S. Hyacinthi

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif. præter seq.

In Hymno mutatur tertius versus. **Oratio.**

Deus, qui nos beáti Hyacínthi Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dñum.

Pro Comm. S. Stephani C. Aña. Hic vir. ℣. Justum. *Oratio.* Concéde. *ut supra.* 3. *Lect. j. Noct. de Script. occ.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Hyacínthus Polónus, nobílibus et christiánis paréntibus in Camiénsi villa episcopátus Vratislaviénsis natus est. A pueritia lítteris instrúctus, post datam jurisprudéntiæ et sacris lítteris óperam, inter Canónicos Cracoviénses adscítus, insígni morum pietáte, et summa eruditióne céteros antecélluit. Romæ in Prædicatórum órdinem ab ipso institutóre sancto Domínico adscríptus, perféctam vivéndi ratiónem, quam ab ipso didícerat, usque ad finem vitæ sanctíssime retínuit. Virginitátem perpétuo cóluit : modéstiam, patiéntiam, humilitátem, abstinéntiam, ceterásque virtútes, ut certum religiósæ vitæ patrimónium, adamávit. ℟. Honéstum.

Lectio v.

Caritáte in Deum fervens, íntegras sæpe noctes fundéndis précibus, castigandóque córpori insúmens, nullum eídem levaméntum, nisi lápidi inníxus, sive humi cubans, adhibébat. Remíssus in pátriam, Frisáci primum in itínere amplíssimum sui órdinis monastérium, mox Cracóviæ álterum eréxit. Inde per álias Polóniæ regni províncias, áliis quátuor exædificátis, incredíbile dictu est quantum verbi Dei prædicatióne, et vitæ innocéntia apud omnes profécerit. Nullum diem prætermísit, quo non præclára áliqua fídei, pietátis, atque innocéntiæ arguménta præstíterit. ℟. Amávit.

Lectio vj.

Sanctíssimi viri stúdium erga proximórum salútem máximis Deus miráculis illustrávit. Inter quæ illud insígne, quod Vándalum flúvium prope Visográdum aquis redundántem nullo navígio usus trajécit, sóciis quoque expánso super undas pállio, tradúctis. Admirábili vitæ génere ad quadragínta prope annos post professiónem perdúcto, mortis die suis frátribus prænuntiáto, ipso Assúmptæ Vírginis festo, Horis Canónicis persolútis, sacraméntis ecclesiásticis summa cum veneratióne percéptis, iis verbis : In manus tuas, Dómine : spíritum Deo réddidit, anno salútis millésimo ducentésimo quinquagésimo séptimo. Quem miráculis, étiam

post óbitum, illústrem Clemens Papa octávus in Sanctórum númerum rétulit.
℟. Iste homo.
In iij. Noct. Homil. S. Evangélii, fratres. *de Comm. j. loco. Vesp. a Capit. de seq.*

DIE IV. SEPTEMBRIS.
(*D. f. ex XXVII. Aug.*)

S. Josephi Calasanctii

Confess. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia. In Hymno, mutatur tertius versus. **Oratio.**

Deus, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum, ad erudiéndam spíritu intelligéntiæ ac pietátis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es : præsta quæsumus; nos ejus exémplo et intercessióne ita fácere et docére, ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Pro Commem. S. Hyacinthi. Aña. Hic vir. ℣. Justum. *Oratio ut supra*, 5.
Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Joséphus Calasánctius a Matre Dei, Petráltæ in Aragónia nóbili génere natus, a téneris annis futúræ in púeros caritátis et eórum institutiónis indícia præbuit. Nam adhuc párvulus eos ad se convocátos in mystériis fídei, et sacris précibus erudiébat. Humánis divinísque lítteris egrégie doctus, cum stúdiis theológicis Valéntiæ óperam daret, nóbilis potentísque féminæ illécebris fórtiter superátis, virginitátem, quam Deo vóverat, inoffénsam insígni victória servávit. Sacérdos ex voto factus, a complúribus Epíscopis in Castéllæ Novæ, Aragóniæ, et Cataláuniæ regnis in partem labóris adscítus, exspectatiónem ómnium vicit, pravis ubíque móribus emendátis, ecclesiástica disciplína restitúta, inimicítiis, cruentísque factiónibus miríﬁce exstínctis. At cœlésti visióne, et Dei voce frequénter admónitus, Romam proféctus est.
℟. Honéstum. **Lectio v.**

In Urbe summa vitæ asperitáte, vigíliis et jejúniis corpus affligens, in oratiónibus et cœléstium rerum contemplatióne dies noctésque versabátur, septem ejúsdem Urbis ecclésias síngulis fere nóctibus obíre sólitus: quem inde morem complúres annos servávit. Dato piis sodalitátibus nómine, mirum quanto ardóre páuperes, infírmos potíssimum, aut carcéribus deténtos eleemósynis, omníque pietátis offício subleváret. Lue Urbem depopulánte, una cum sancto Camíllo, tanto fuit actus ímpetu caritátis, ut præter subsídia ægrótis paupéribus large colláta,

49

ipsa étiam defunctórum cadávera suis húmeris tumulánda transférret. Verum cum divínitus accepísset, se ad informándos intelligéntiæ ac pietátis spíritu adolescéntulos, præcípue páuperes, destinári, órdinem clericórum Regulárium páuperum Matris Dei scholárum piárum fundávit, qui peculiárem curam circa puerórum eruditiónem ex próprio institúto profiteréntur : ipsúmque órdinem a Cleménte octávo, a Paulo quinto alíisque summis Pontifícibus magnópere probátum, brevi témpore per plúrimas Európæ províncias et regna mirabíliter propagávit. In hoc autem tot labóres perpéssus est, ac tot ærúmnas invícto ánimo tolerávit, ut ómnium voce miráculum fortitúdinis, et sancti Jobi exémplum dicerétur.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Quamvis órdini univérso præésset, totísque víribus ad animárum salútem incúmberet, nunquam tamen intermísit púeros, præsértim pauperióres, erudíre, quorum scholas vérrere, eósque domum comitári consuévit. In eo summæ patiéntiæ et humilitátis múnere, valetúdine étiam infírma, duos et quinquagínta annos persevérávit : dignus proptérea, quem crebris Deus miráculis coram discípulis illustráret, et cui beatíssima Virgo cum púero Jesu, illis orántibus benedicénte, apparéret. Amplíssimis ínterim dignitátibus repudiátis, prophetía, ábdita córdium et abséntia cognoscéndi donis, et miráculis clarus, Deíparæ Vírginis, quam singulári pietáte et ipse ab infántia cóluit, et suis máxime commendávit, aliorúmque cœlitum frequénti apparitióne dignátus, cum óbitus sui diem, et órdinis tunc prope evérsi restitutiónem atque increméntum prænuntiásset, secúndum et nonagésimum annum agens, Romæ obdormívit in Dómino, octávo Kaléndas Septémbris, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo octávo. Ejus cor et lingua post sæculum íntegra et incorrúpta repérta sunt. Ipse vero multis post óbitum quoque signis a Deo illustrátus, primum a Benedícto decimoquárto Beatórum cultu decorátus fuit, ac deínde a Cleménte decimotértio inter Sanctos solémniter est relátus.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xviij.

In illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum dicéntes : Quis putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi. *In cap.* xviij. *Matthæi, homilia* lx.

Vidéte, ne áliquem istórum contempséritis parvulórum, quia eórum Angeli Patris mei fáciem semper adspíciunt, et quia ego propter eos veni, et hæc Patris mei volúntas est. Ad tuéndos conservandósque pusíllos diligentióres nos reddit. Pérspicis quam ingéntia in tutélam tenúium mœnia eréxerit, et quantum stúdium curámque hábeat, ne perdántur, tum quia suprémas despiciéntibus eos pœnas státuit, tum quia summam pollicétur mercédem his, qui curam eórum suscípiunt, idque tam suo, quam Patris exémplo corróborat. ℟. Iste est qui. **Lectio viij.**

Dominum ígitur étiam nos imitémur, et nihil pro frátribus omittámus, étiam eórum quæ humília vilíaque nímium vidéntur : sed si administratióne nostra étiam opus fúerit, quamvis ténuis atque abjéctus quidem, cui administrándum sit, fúerit, quamvis árdua nobis res, atque labóris plena esse videátur, ómnia hæc pro fratris salúte tolerabilióra facilióraque, oro, videántur: tanto enim stúdio, tantáque cura Deus dignam esse ánimam osténdit, ut neque Fílio suo pepércerit.

℟. Sint lumbi. **Lectio ix.**

Si non est nobis satis ad salútem, quod virtuóse ipsi vivámus, sed opórtet aliórum salútem re ipsa desideráre; cum neque nos recte vivámus, neque álios hortémur, quid respondébimus? quæ nobis spes salútis réliqua erit? Quid majus, quam ánimis moderári, quam adolescentulórum fíngere mores? Omni certe pictóre, omni certe statuário, ceterísque hujúsmodi ómnibus excellentiórem hunc duco, qui júvenum ánimos fíngere non ignóret. Te Deum.

In ij Vesp. fit Commem. S. Laurentii Justin. Conf. Pont. pro quo Aña. Sacérdos. ℣. Amávit. *Oratio.* Da quæsumus. *de Comm. j. loco.*

DIE XXVII. SEPTEMB.

S. Elzearii

Confessoris. Duplex. Omnia de Communi Conf. non Pont. præter seq.

In i. vesperis,

℣. Hæc est generátio quæréntium Dóminum. ℟. Quæréntium fáciem Dei Jacob. *Ad Magnificat, Aña.* Grátia cum ómnibus qui díligunt Dóminum nostrum Jesum Christum in incorruptióne.

Oratio.

Deus qui beátum Elzeárium Confessórē tuum inter cétera virtútum insígnia, virginális pudicítia in conjúgio decorásti : concéde propítius;

ut cujus sacra solémnia celébriter venerámur in terris, ejus beáta consórtia felíciter consequámur in cœlis. Per Dóminum.

Comm. B. Delphinæ, infra.
Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Elzeárius, confessor tértii órdinis beáti Francísci, de regióne Províncíæ oriúndus, vir insígnis nobilitátis, (fuit enim comes Ariáni), ab anno tertiodécimo vitæ suæ jejúniis vacans, in nocte funem multórum nodórum subtus cingébat ad carnem, frænum lascíviæ petulántis, et secrétum memoriále vúlnerum Salvatóris, et in die cilícium portábat, ut et luce et ténebris dolóres sustinéret; atque hujúsmodi dolóribus et jejúniis corpus suum castígans, in servitútem spíritus redigébat. Sanctam et immaculátam virginitátem non solum ánimo, sed étiam córpore conservávit, cum sancta Delphína cónjuge sua ducens perpétuum cœlibátum, non aspérnans jura conjúgii, nec in áliquo témerans virginitátem.

℟. Honéstum. **Lectio v.**

In páuperes erat ádeo liberális, ut nullus omníno eórum, pro Dei amóre póstulans, ab eo ferátur habuísse repúlsam. Propósiti sui erat esuriéntes páscere, nudos vestíre, infírmos visitáre, peregrínos tecto suscípere. Consúmpta languóribus atque inédia miserórum membra refovébat, qui in páupere Christum páuperem, in infírmis infirmitátem quam pro nobis assúmpsit, agnoscébat. Et, ut perféctius Christi amátor contémneret seípsum, leprosórum sániem lavábat et vúlnera, pedes osculabátur et ora; serviebátque ipsis vir nóbilis summo devotiónis afféctu, tamquam si ipsum Christum vidísset in leprósis.

℟. Amávit eum. **Lectio vj.**

Intélligens autem quod ad oratiónis perfectiónem ómnium tendit structúra virtútum, vix unquam, cum póterat, ab oratióne cessábat. Sicque in omni loco aptus erat oráre, ut in omni sede terrárum, constitúta monstráret regna cœlórum. Horas Canónicas, ritu quem tenet sancta Romána Ecclésia, tam devóte dicébat, quasi óculis mentis Deum júgiter cérneret, tam íntegre, ut néquidem ióta unum, vel ápicem præteríret. Nunquam eum ad indignatiónem vis ulla cómpulit; nemo turbátum vidit, nemo mutátum. Cum ergo esset Parísiis, cognóscens se morti appropinquáre, conféssus est devóte cum magna lacrymárum effusióne. Sicque ómnibus sacraméntis procurátus, felíciter mi-

grávit ad Dñum. ℟. Iste homo perfécit.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xix.

In illo témpore : Accessérunt ad Jesum Pharisæi, tentántes eum et dicéntes : Si licet hómini dimíttere uxórem suam, quacúmque ex causa? Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi. *Lib.* 1. *de Serm. Dñi in monte. cap.* xiv.

Beatióra sane conjúgia judicánda sunt, quæ sive fíliis procreátis, sive étiam ista terréna prole contémpta, continéntiam inter se pari consénsu serváre potúerint : quia neque contra istud præcéptum sit, quo Dóminus dimítti cónjugem vetat; non enim dimíttit, qui cum ea non carnáliter, sed spirituáliter vivit : et illud servátur, quod per Apóstolum dícitur : Réliquum est, ut et qui habent uxóres, quasi non habéntes sint. Alio loco Dóminus dicit : Quisquis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, ínsuper et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Regnum enim ætérnum, quo discípulos suos vocáre dignátus est, non habet hujúsmodi necessitúdines temporáles. In resurrectióne enim neque nubent, neque uxóres ducent, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlis.

℟. Iste est. Lectio viij.

Opórtet ergo ut quisquis illíus regni vitam jam hic meditári volúerit, óderit non ipsos hómines, sed istas temporáles necessitúdines, quibus ista, quæ transitúra est, vita fulcítur, quæ nascéndo et moriéndo perágitur : quod qui non odit, nondum amat illam vitam, ubi nulla erit condítio nascéndi atque moriéndi, quæ cópulat terréna conjúgia. Necésse est ergo, ut óderit ea, quæ tránseunt, discípulus Christi in iis quos secum ad ea veníre desíderat quæ semper manébunt : et tanto magis hæc in eis, óderit, quanto magis eos díligit. Potest ígitur christiánus cum cónjuge concórditer vívere, sive indulgéntiam carnálem cum ea supplens, quod secúndum véniam, non secúndum impérium dicit Apóstolus : sive filiórum propagatiónem, quod jam nonnúllo gradu potest esse laudábile; sive fratérnam societátem, sine ulla córporum commixtióne, habens uxórem tamquam non habens, quod est in conjúgio christianórum excellentíssimum atque sublíme : ut tamen óderit in ea nomen temporális necessitátis, et díligat spem

sempitérnæ beatitúdinis. ℟. Sint lumbi.
Lectio ix. de beata Delphina, ut infra.

Ad laudes,

℣. Novit Dóminus dies immaculatórum. ℟. Et herêditas eórum in ætérnum erit.
Ad Benedictus, Aña. Deus reddet iis qui, secúndum patiéntiam boni óperis, incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam.

Oratio.

Deus, qui beátum Elzeárium Confessórem tuum, inter cétera virtútum insígnia, virgináli pudicítia in conjúgio decorásti : concéde propítius; ut cujus sacra solémnia celébriter venerámur in terris, ejus beáta consórtia felíciter consequámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.
Commem. B. Delphinæ.

EADEM DIE.
Pro Commemoratione
B. Delphinæ
Virginis.

Ad Vesp. Aña. Veni sponsa. ℣. Spécie. ℟. Inténde.

Oratio.

Deus qui beátam Delphínam Vírginem tuam, singulári castitátis prærogatíva in conjúgio decorásti : concéde; ut ejus intercessióne puritátem mentis et córporis fidéliter custodiámus. Per Dóminum.

Lectio ix.

Delphína de Signa, in castro Pódii-Michaélis Gálliæ Narbonénsis, anno tértii décimi sæculi octogésimo quarto, perillústribus orta paréntibus, eísque septénnis orbáta, eódem témpore quo Elzeárius de Sabráno, in Gállia Narbonénsi Ansoysii dynásta, in Massiliénsi cœnóbio sancti Victóris, sub pátruo suo Abbáte, religióse educabátur, sub matértera Abbatíssa, in monastério sanctæ Catharínæ, piam páriter excépit morum institutiónem. Itaque non sine Dei singulári providéntia cóntigit, ut Cárolus secúndus, Neápolis rex et Provínciæ comes, qui tunc Massíliæ morabátur, júveni Elzeário Delphínam, vix trilústrem, desponsándam designáverit. Verum Delphína, útpote quæ Jesu Christo virginitátem suam vóverat, ad Deíparam confúgit, eam exórans, ut se in tanto discrímine constitútam suo nollet destitúere auxílio. Quæ Vírginis apparitióne recreáta, et de matérna ejus tutéla cértior facta, sponsálibus consénsit coram Archiepíscopo et rege celebrátis. Porro Elzeárius sponsæ pietátem vix demirátus, quod ántea mínime constitúerat, idem castitátis propósitum, áddito étiam voto, íniit, et ad mortem usque integérrime ser-

vávit. Eo defúncto, Delphína impénsius pietátis offícia excólere cœpit, ac, vénditis bonis ómnibus ad páuperum inópiam sublevándam, virginitátis voto et illud paupertátis adjécit. Méritis tandem ac supérnis charismátibus cumuláta, Ecclésiæ sacraméntis rite suscéptis, felíciter ad Dóminum migrávit. Ejus corpus, juxta illud Elzeárii cónjugis, in Apténsi civitáte tumulátum est, ibíque multa et insígnia mirácula patráta fuísse tradunt. Cultum vero quam máxima pópuli veneratióne ei præstitum, beátus Urbánus quintus, summus Póntifex, ratum hábuit ac confirmávit. Te Deum.

Ad Laudes, Aña. Símile.
℣. Diffúsa. ℟. Proptérea.
Oratio. Deus, qui beátam Delphínam. *ut supra.*

FESTA MOBILIA.

DOMIN. I. SEPTEMB.
S. Genesii
Mart. Dupl. secundæ classis.
Omnia de Communi unius Mart., præt. seq. **Oratio.**

Deus, qui nos præcláram hanc diem, in beáti Mártyris tui Genésii solemnitáte celebráre concédis : præsta, quæsumus, plebi tuæ; ut ipso pro nobis interveniénte, ab ómnibus mereámur adversitátibus liberári. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio Dominicæ occurrentis.

In primo Nocturno.
De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.
Lectio j. *Cap.* viij. *c.*

Fratres, Debitóres sumus non carni, ut secúndum carnem vivámus. Si enim secúndum carnem vixéritis, moriémini : si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim spíritu Dei agúntur, ii sunt Fílii Dei. Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in timóre, sed accepístis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamánus: Abba (Pater). Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quod sumus fílii Dei. Si autem fílii, et herédes; herédes quidem Dei, coherédes autem Christi : si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Exístimo enim quod non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ, revelatiónem filiórum Dei exspéctat. ℟. Iste Sanctus.

Lectio ij.

Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus.

52

Quos autem prædestinávit, hos et vocávit : et quos vocávit, hos et justificávit : quos autem justificávit, illos et glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum : quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit advérsus eléctos Dei? Deus qui justíficat, quis est qui condémnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, imo qui et resurréxit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.

℟. Justus.

Lectio iij.

Quis ergo nos separábit a caritáte Christi? tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an perículum, an persecútio, an gládius? (sicut scriptum est : Quia propter te mortificámur tota die : æstimáti sumus sicut oves occisiónis.) Sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principátus, neque Virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Iste cognóvit.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.


Anctus Genésius in juventútis flore primævo, provinciális milítiæ tyrocínium suscépit, eam offícii partem stúdio et arte compléxus, quæ patronórum verba, vel nova signórum velocitáte vel déxteræ, sonum vocis æquáret; spiritálem futúræ glóriæ imáginem præfigúrans; ut qui præcépta divína celériter audíret, ea fidélibus notis piæ mentis excíperet. Accidit autem ut, cum ante tribúnal exceptóris fungerétur offício, injústo atque sacrílego mandáto persecutóris jussa ederéntur, quæ devótus Deo repudiáret audítus, et imprímere ceris manus sancta respúeret. Objéctis ergo tábulis ante pedes júdicis, ministérium sacrílegum sacráta jam Dómino mens refúgit, et ab ira se furéntis júdicis paulísper Genésius occúluit.

℟. Honéstum.

Lectio v.


Udex cum eum prótinus córripi jussísset, neque investigátio ad procurátam látebram perveníret, crudelíssimis pœnæ minístris, ut ubi repértus fuísset, gládio eum interfícerent, imperávit. Quod ubi compértum est, Genésius divérsa laténdi loca mutávit. Atque ínterim, licet supérfluo de præsúmptæ fídei conformatió-

ne sollícitus, quóniam nondum erat ex aqua et Spíritu sancto renátus, per fidos internúntios a Cathólicæ religiónis Antístite donum baptísmatis postulávit. Sed ille, vel témporis angústiis impedítus, vel juveníli ætáti diffídens, ardéntia vota dístulit, ac fidéliter indicávit, quod plenam consummatiónem étiam hujus múneris daret prompta pro Christo sánguinis effúsio. Post módicum intervállum, ab apparitóribus comprehénsus, et ad Rhódani ripam cápite truncátus, martyrii glóriam próprio cruóre baptizátus, accépit. Passus est autem Areláte, sub Ríctio Varo Galliárum præfécto, in persecutióne Diocletiáni et Maximiáni.

℟. Desidérium. **Lectio vi.**

IN solemnitáte sancti Mártyris, cum beátus Honorátus Arelaténsem Ecclésiam régeret, ponte, quo ambæ Rhódani ripæ jungebántur, fracto, copiósa fidélium turma in amnem cécidit. Ingens illico fragor pópuli tam ruéntis quam circumstántis exóritur; pavor tota urbe percúrrit, hic cónjugi, ille fíliis, álii propínquis, álii amícis, omnes simul divérsis afféctibus métuunt, qui parum, cívibus. Nihil perículo défuit, ut ad glóriam Mártyris nihil deésset. Néminem ruína quassávit, néminem gravátum véstibus flúvius invólvit, némini haustum suum flúvius ingéssit; illæsos omnes atque incólumes vernácula ac familiáris ripa suscépit. Pompa omnis, sicut ingréssa fúerat, egréssa est. Nemo damnum áliquod rei, nemo dispéndium salútis accépit. Occúrrunt pígnora cara pignóribus, unusquísque próximum suum, cui plúrimum timúerat, lætus ampléctitur. ℟. Stola.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri. *Lib.* I. *in Matth. cap.* x.

SUpra díxerat, Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine; et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Nunc infert, quid post prædicatiónem sequátur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divísus est: unaquæque domus et infidéles et credéntes hábuit, et proptérea bellum missum est bonum, ut rumperétur pax mala Tale quid et in Génesi advérsus rebélles hómines, qui moti fúerant de Oriénte, et

turrem exstrúere festinábant, per quam cœli alta penetrárent, fecísse scríbitur Deus, ut divíderet linguas eórum. ℟. Coróna áurea. **Lectio viij.**

VEni enim separáre hóminem advérsus patrem suum. Hic locus prope iísdem verbis in Michæa Prophéta scríbitur. Et notándum, ubicúmque de véteri Testaménto testimónium pónitur, utrum sensus tantum, an sermo conséntiat. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus Qui ante præmíserat, Non veni pacem míttere, sed gládium, et divídere hómines advérsus patrem et matrem, nurum et socrum; ne quis pietátem religióni anteférret, subjécit dicens : Qui amat patrem aut matrem plus quam me. Et in Cántico légimus canticórum : Ordinávit in me caritátem. Hic ordo in omni affédtu necessárius est : ama post Deum patrem, ama matrem, ama fílios. ¶ Ordo pulchérrimus : ad prædicatiónem mittit, docet perícula non timénda, afféctum súbjicit religióni. Aurum supra túlerat, æs de zona excússerat. Dura Evangelistárum condítio. Unde ergo sumptus, unde victus necessária? Austeritátem mandatórum spe témperat promissórum, Qui récipit, ínquiens, vos, me récipit : et qui me récipit, récipit eum qui me misit : ut in suscipiéndis Apóstolis unusquísque credéntium Christum se suscepísse arbitrétur. ℟. Hic est. *Lectio ix. de Homilia Dominicæ occurrentis.*

Ad Laudes et ij. Vesperas Commem. Dominicæ.

DOMIN. ULTIMA SEPT.

S. Trophimi *primi Arelatensis Episc. et Conf. Arelate Duplex j. classis cum Octava. Alibi Duplex ij. classis sine Octava.*

Si in ea occurrat Festum S. Michaelis Archangeli, tunc Arelate celebrabitur Festum S. Trophimi, et Festum S. Michaelis fiet prima die non impedita Officio ix. Lectionum. Alibi vero celebrabitur Festum S. Michaelis, et Festum S. Trophimi fiet prima die non impedita Officio ix. Lectionum.

Ad j. vesperas,

Aña. Mittam ex eis. *cum reliquis de Laudibus.*

Psalmus. Dixit Dóminus *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi.* Laudáte Dóminum, omnes Gentes.

Capit. de Laud. **Hymnus.**

QUi cæci Drúides ímpia númina
Humáno cólitis sánguine, cédite; [jam nova
Tu lætáre satis, Gállia;
Propéllit ténebras dies.
Antístes mélior Tróphimus ádvenit :
Hunc, felix Arélas! pórtubus éxcipis,

Hoc uno título jure supérbior
Quam tot Cæsáribus tuis.
Nunquam te Rhódanus vector opum tibi
Quamquam multíplici sérviat óstio, [mari,
Cursu teque suo consóciat
Tanta merce beáverat.
Quem trinum dócuit nos Tróphimus Deum
Laudémus páriter cántibus íntimis,
Precemúrque vetus semper ut hæreat [Amen.
Imis pectóribus fides.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus. ℟. Virtúte multa.

Ad Magnif. Aña. Ecce super montes pedes evangelizántis et annuntiántis pacem. Célebra, Juda, festivitátes tuas, et redde vota tua.

Oratio.

Deus, qui ad Géntium illuminatiónem beátum Pontíficem tuum Tróphimum míttere dignátus es : præsta; ut quos per ipsíus documénta esse donásti fidéles, meritórum imitatóres esse concédas. Per Dóminum.

Et fit Commem. Dominicæ occurrentis.

Ad matutinum,

Invit. Deum qui de ténebris nos vocávit in admirábile lumen suum, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus. Qui cæci Drúides. *ut supra ad Vesperas.*

In primo Nocturno,

Aña. Relícto gentilitátis ritu crédidit Deo, et appósitus est ad pópulum Israel.

Psalm. Beátus vir. Quare fremuérunt. Dómine, quid multiplicáti. *de Communi Conf. Pontif.*

Aña. Paulus proféctus est in Macedóniam, comitátus est autem eum Tróphimus Ephésius.

Aña. Operárium inconfusíbilem recte tractántem verbum veritátis Tróphimum relíquit infírmum Miléti.

℣. Dñe, Deus meus, clamávi ad te, et sanásti me. ℟. Psállite Dño, sancti ejus.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. *Cap.* j.



Rátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fídei vestræ, et labóris, et caritátis, et sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum et patrem nostrum : sciéntes, fratres dilécti a Deo, electiónem vestram : quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos. Et vos imitatóres nostri facti estis, et Dómini, excipiéntes ver-

bum in tribulatióne multa, cum gáudio Spíritus sancti : ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus.
℟. Audivi vocem Dómini dicéntis : Quem mitttam, et quis ibit nobis? * Et dixi : Ecce ego : mitte me. ℣. Dixit spíritus mihi ut irem nihil hæsitans. — Et.

Lectio ij. *Cap.* j. *et* ij.

In omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, proféсta est, ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui. Ipse enim de nobis annúntiant qualem intróitum habuérimus ad vos; et quómodo convérsi estis ad Deum a simulácris, servíre Deo vivo et vero, et exspectáre Fílium ejus de cœlis (quem suscitávit ex mórtuis) Jesum, qui erípuit nos ab ira ventúra. Nam ipsi scitis, fratres, intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit.
℟. Cum veníssem propter Evangélium Christi, et óstium mihi apértum esset in Dómino, non hábui réquiem. * Deo autem grátias, qui semper triúmphat nos in Christo Jesu, et odórem notítiæ suæ maniféstat per nos in omni loco. ℣. Dóminus vóluit ut sanctificáret pópulum suum, et magnificáret legem et extólleret. — Deo.

Lectio iij.

Fidúciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra, non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo, sed sicut probáti sumus a Deo ut crederétur nobis Evangélium : ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis : neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est : nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse ut Christi Apóstoli; sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis, non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras.
℟. Usque ad vos pervénimus in Evangélio Christi, * Non gloriántes in aliénis labóribus; spem autem habéntes crescéntis fídei vestræ, in vobis magnificári, étiam in illa, quæ ultra vos sunt, evangelizáre. ℣. Dóminus Deus oppróbrium pópuli sui áuferet de univérsa terra, exsultábimus in salutári ejus. — Non gloriántes. Glória Patri. Non.

In secundo Nocturno,

Aña. Factum est verbum Dómini ad eum dicens : Surge et vade in civitátem magnam, et prædica in ea prædicatiónem, quam ego loquor ad te.

Psalm. Cum invocárem. Verba mea. Dómine Dóminus noster. *de Comm. Conf. Pontif.*

Aña. Surréxit et ábiit juxta verbum Dómini, et cœpit introíre in civitátem.

Aña. Incitabátur spíritus ejus in ipso, videns idololatríæ déditam civitátem.

℣. Vidi prævaricántes, et tabescébam. ℟. Quóniam mandáta tua diléxi, Dñe.

Lectio iv.

TRóphimus, ut constans est a prístinis tempóribus Galliárum tradítio, pátria Ephesínus, Paulum cui se addíxerat una cum Luca, Aristárcho, Crescénte et áliis, secútus est in illa navigatióne qua vinctus a Festo Judææ procuratóre, Romam ad Cæsarem missus est. Illum ægra valetúdine corréptum Miléti infirmum Paulus relíquit, cujus, ad Timótheum scribens, méminit. Illo ítaque curénte biénnio quo Romæ Paulus deténtus est, Romam ipse, ut convâluit, venit : qui, nondum contra Christiános in tantam sævítiam irrumpénte Neróne, ad prædicándum Christi Evangélium dimíttitur. Quo vero témpore, Paulus iter in Hispániam suscépit, Arelátem pertránsiens, Tróphimum primum pastórem Arelaténsibus dedit.

℟. Dixit Dóminus illi : Lóquere, et ne táceas : propter quod ego sum tecum, * Quóniam pópulus est mihi multus in hac civitáte. ℣. Verbum meum non revertétur ad me vácuum, sed fáciet quæcúmque vólui, et prosperábitur. — Quóniam.

Lectio v.

ERant autem Areláte prope civitátem duæ colúmnæ pergrándes eréctæ, et super eas ara impósita : ad quam frequens illíus províncíæ pópulus quotánnis ad Kaléndas Máias concurrébat, humanásque hóstias pro sua sospitáte ibi mactáre solébat. Idcírco párvulos duos pública emptos pecúnia anno toto saginábant, quos constitúta die ad ipsam aram immolábant, victimárum sánguine circumstántem plebem aspergéntes. Tróphimus ritum atrócem perhorréscens, Evangélica prædicatióne signis admirándis confirmáta, sústulit : docens, non cruóre mortálium, sed Christi sánguine, qui pro hóminum salúte seípsum hóstiam immaculátam Deo Patri obtúlerat, debére illos aspérgi, baptísmi lavácrum annúntiat. Quo per eum suscépto, præféctus provínciæ Lugdunénsis, cum magna pópuli multitúdine, non solum Christi nomen apud ésteras natiónes conféssus est, verum étiam, palátium, quod Areláte habébat, divíno cúltui conse-

crándum donávit. Ecclesiámque illam magnis munéribus auxit.
℟. Intendébant turbæ his quæ ab eo dicebántur, vidéntes signa quæ faciébat : * Cum vero credidíssent evangelizánti, baptizabántur viri ac mulíeres. ℣. Figúras idolórum, et immundítias, et abominatiónes ábstulit, ut statúeret verba legis quæ scripta sunt. — Cum vero.

Lectio vj.

ORatórium áliud ad oriéntem civitátis, beátæ Vírgini et sepultúræ fidélium devóvit, ibíque cœmetérium toto orbe exínde celebérrimum státuit. Tantum dénique doctrína et miráculis profécit, ut ex ejus prædicatióne, quemádmodum Zózimus Papa scribit, tota Gállia rívulos fídei accéperit. Demum, post innúmeros pro dilatatióne fídei labóres, post multos pópulos Christo acquisítos, sénio conféctus, quarto Kaléndas Januárii obdormívit in Dómino. Sed propter illíus diéi occurréntiam infra Octávam Nativitátis Dómini, ejus tránsitus solémnis memória última Domínica Septémbris fixa fuit. Corpus ejus, primum in ædícula, quam ipse beátæ Maríæ sacráverat, quæ póstea Honoráti título insignítaest, recónditum, in basílicam sancti Stéphani, médio sæculo duodécimo, Raymúndus Archiepíscopus, die vigésima nona Septémbris, solémni pompa tránstulit, unde cœpit Ecclésia Tróphimi nómine appellári.
℟. Dedit ipsi Dóminus fortitúdinem, et usque in senectútem permánsit illi virtus, * Ut vidérent omnes † Quia bonum est óbsequi sancto Deo. ℣. Per fidem consecútus est esse justus, et per illam defúnctus adhuc lóquitur. — Ut vidérent. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno,

Aña. Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa.
Psalm. Dómine, quis habitábit. Dómine, in virtúte tua. Dómini est terra. *de Communi Conf. Pont.*
Aña. Et si áliis non sum Apóstolus, sed tamen vobis sum; nam signáculum Apostolátus mei vos estis in Dómino.
Aña. Quæ est nostra spes aut gáudium, aut coróna glóriæ? Nonne vos ante Dóminum Jesum? Vos enim estis glória nostra et gáudium.
℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum. ℟. Facti sumus lætántes.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos

ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ.

Homilia xvij. *in Evangelium.*

Messis quidem multa, operárii autem pauci : rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ad messem multam operárii pauci sunt, quod sine gravi mœróre loqui non póssumus : quia, etsi sunt qui bona áudiant, desunt qui dicant. Ecce mundus sacerdótibus plenus est; sed tamen in messe Dei rarus valde invenítur operátor; quia offícium quidem sacerdotále suscépimus, sed opus offícii non implémus. Sed pensáte, fratres caríssimi, pensáte quod dícitur. Rogáte Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Vos pro nobis pétite, ut digna vobis operári valeámus; nec ab exhortatióne lingua tórpeat; ne postquam prædicatiónis locum suscépimus, apud justum júdicem nostra nos tacitúrnitas addícat.

℟. Scitis quáliter vobíscum fúerim per omne tempus, sérviens Dómino, quómodo nihil subtráxerim utílium, quóminus annuntiárem vobis. * Et nunc comméndo vos Deo et verbo grátiæ ipsíus. ℣. Médius fui inter Dóminum et vos in témpore illo, ut annuntiárem vobis verba ejus. — Et nunc.

Lectio viij.

Sæpe enim pro sua nequítia, prædicántium lingua restríngitur; sæpe vero ex subjectórum culpa ágitur, ut eis qui præsunt, prædicatiónis sermo subtrahátur. Ex sua quippe nequítia prædicántium lingua restríngitur, sicut Psalmísta ait : Peccatóri autem dixit Deus : Quare tu enárras justítias meas? Et rursum ex vítio subjectórum, vox prædicántium prohibétur, sicut ad Ezechiélem Dóminus dicit : Linguam tuam adhæréscere fáciam paláto tuo, et eris mutus, nec quasi vir objúrgans; quia domus exásperans est. Ac si apérte dicat : Idcírco tibi prædicatiónis sermo tóllitur, quia dum me in suis áctibus plebs exásperat, non est digna cui exhortátio veritátis fiat. Ex cujus ergo vítio prædicatóris sermo subtrahátur, non fácile cognóscitur; quia vero Pastóris tacitúrnitas aliquándo sibi, semper autem subjéctis nóceat, certíssime scitur.

℟. Judícium patris audíte, fílii, et sic ágite ut salvi sitis; * Deus enim honorávit patrem in fíliis. ℣. Fratres mei caríssimi, et desideratíssimi, gáudium meum et coróna mea, sic state in

Dómino caríssimi. — Deus enim. Glória Patri. Deus. *Lectio ix. de Homilia Dominicæ occurrentis.* Te Deum.

Ad laudes,

et per Horas, Añæ.

1. Mittam ex eis * qui salváti fúerint ad Gentes, ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam.

Psalm. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.*

2. Seminábo eos * in pópulis, et confortábo eos in Dómino, et in nómine ejus ambulábunt.

3. Scient germen * eórum in médio populórum : omnes qui víderint eos, cognóscent illos, quia isti sunt semen cui benedíxit Dñus.

4. Annuntiábunt glóriam meam Géntibus, et addúcent fratres vestros de cunctis Géntibus, donum Dño.

5. Incurvábitur * sublímitas hóminum, et elevábitur Dóminus solus in die illa, et idóla pénitus conteréntur.

Capitulum. *Hebr.* xiij.

MEmentóte præpositórum vestrórum qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. **Hymnus.**

SAlve, sancta fides, quæ frágili rate
Nobis vecta venis, cum Tróphimo duce :
Succéde hospítio, nóbilis ádvena!
Pandit se Rhódanus tibi.

Pandunt se mélius péctora cívium,
Cervicésque tuo jam dóciles jugo
Proni subjícimus; córdibus hæreas,
Et nostris máneas locis.

Nobis, o tríplices pláudite Gálliæ,
Christi lux véniens, vísitat ómnium
Nos primos; fídei primítiæ sumus,
Hinc Gallos súbiit salus.

Nobis grande decus scílicet, at labor
Ingens, namque fides quid sine móribus?
Palléscit cítius lux, ubi náscitur,
Cessánti rápitur dies.

Quem trinum dócuit nos Tróphimus Deum,
Laudémus páriter cántibus íntimis,
Precemúrque vetus semper ut hæreat
Imis pectóribus fides. Am.

℣. Pópulus ejus, et oves páscuæ ejus. ℟. In hymnis confitémini illi.

Ad Bened. Aña. Máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgéntes hostes : quam glóriam adéptus est! **Oratio.**

DEus, qui ad Géntium illuminatiónem, beátum Pontíficem tuum Tróphimum míttere dignátus es : præsta; ut quos per ipsíus documénta esse donásti fidéles, meritórum imitatóres esse concédas. Per Dóminum.

Et fit Commem. Dominicæ occurrentis.

Ad Primam, Aña. Mittam ex eis.

Ad tertiam,

Aña. Seminábo eos.
Capitulum. Mementóte præpositórum vestrórum. *ut supra ad Laudes.*
℟. *br.* Dómine Deus meus, * Clamávi ad te, et sanásti me. Dómine. ℣. Psállite Dómino, sancti ejus. Clamávi. Glória Patri. Dómine.
℣. Vidi prævaricántes, et tabescébam. ℟. Quóniam mandáta tua diléxi, Dñe.

Ad sextam,

Aña. Scient germen.
Capitulum. 1. *Thess.* ij.
GRátias ágimus Deo sine intermissióne: quóniam cum accepissétis a nobis verbum audítus Dei, accepístis illud, non ut verbum hóminum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operátur in vobis, qui credidístis.
℟. *br.* Vidi prævaricántes * Et tabescébam. Vidi. ℣. Quóniam mandáta tua diléxi, Dómine. Et tabescébam. Glória Patri. Vidi.
℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum. ℟. Facti sumus lætántes.

Ad nonam,

Aña. Incurvábitur.
Capitulum. 2. *Tim.* iv.
BOnum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed et iis qui díligunt advéntum ejus.
℟. *br.* Magnificávit Dóminus * Fácere nobíscum. Magnificávit. ℣. Facti sumus lætántes. Fácere. Glória Patri. Magnificávit.
℣. Pópulus ejus, et oves páscuæ ejus. ℟. In hymnis confitémini illi.

Ad ij. vesperas,

Aña. Mittam ex eis. *cum reliquis de Laud. Psalm.* Dixit Dóminus. *cum reliquis, ut in ij. Vesperis de Comm. Confess. Pontif.*
Capit. Mementóte. *ut supra ad Laudes.*
Hymn. Qui cæci Drúides. *ut in primis Vesperis.*
℣. Salvum fecit Dóminus Christum suum. ℟. Exáudiat illum de cœlo sancto suo.
Ad Magnificat, Aña. Réspice ad oratiónem servi tui, et ad preces ejus, Dómine: audi oratiónem quam orat coram te hódie: et sis nobíscum, sicut fuísti cum pátribus nostris, non derelínquens nos, neque projíciens.
Oratio. Deus, qui. *ut supra ad Laudes.*
Et fit Commem. Dominicæ occurrentis.

DIEBUS INFRA OCTAV.
Si contingat fieri Officium de Octava, Officium celebrabitur ritu Semiduplici, ut in die Festi, præter sequentia.
Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.
Sermo sancti Hilárii Arelaténsis Epíscopi. Lectio iv.

SAnctórum mortem in conspéctu Dómini semper pretiósam, beatíssimi Tróphimi cum Patris præcípui, tum étiam apóstoli egrégii, natalítia festa comméndant. Jure étenim diem sacri ejus de sæculo tránsitus, natalítium díxerim, quo de mundáni squalóre emérgens ergástuli, cœléstis méruit conscéndere palátia regni, deque sinístra translátus ad déxteram, jura mortis atrócia perénni immortalitáte mutávit. Vere beátus, vere omnifária laude digníssimus, cui propósitum fuit ita militáre in sæculo, ut in perpétuum regnáret cum Christo.
℟. Dixit Dñus. Lectio v.

TRóphimus hic tantus, tam célebris, tamque præcélsus, emícuit, ut et sanctitátis ápice nulli secúndus, et miraculórum cópia máximis quibuscúmque sanctórum prædicátur mérito comparándus. Cujus enim continéntiam, singuláris parcimóniæ stúdiis non æquávit? Cui virtúte patiéntiæ impar fuit? Quo fide inférior, spe minor éxstitit? Quem summæ caritátis provéntibus non transcéndit? Quanto vero principálium fúlserit splendóre signórum replicáre supérfluum júdico, quæ tanta sunt, ut sui magnitúdine, multórum, imo ómnium notítiam fácile vindicárint.
℟. Intendébant. Lectio vj.

QUi ergo tanta pótuit moribúndus crédimus équidem nec vana fide, multo potióra obtinére póterit immortális. Si pugnans tália præstitit, regnans cum Dómino incomparabíliter melióra præstábit. Hunc ítaque nostris, hunc débitæ servitútis frequentémus obséquiis. Ne tórpeat ánimus in offício, si non vult esse frustrátus in voto. Rogátus áderit, interpellátus favébit, cuncta incómmoda súbmovens, cómmoda ómnia providébit : flectet précibus júdicem, pro reis et fragílibus interpellábit Auctórem. Obtinébit apud Dóminum véniam críminum, impetráto immortalitátis múnere, et consórtio præmiórum, præstánte eódem Dómino nostro Jesu Christo, cui laus perénnis, glória indefíciens, victória immortális, nunc et in ómnia sæcula sæculórum. Amen. ℟. Dedit ipsi.

In tertio Nocturno.
Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.
Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicé-

bat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. I. *in Matth. Cap.* ix. *et* x.

Messis multa, populórum signíficat multitúdinem : operárii pauci, penúriam magistrórum. Et ímperat ut rogent Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Isti sunt operárii, de quibus lóquitur Psalmísta, dicens : Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua : veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. Et ut apértius loquar, messis multa, omnis turba credéntium est, operárii autem pauci, et Apóstoli et imitatóres eórum, qui mittúntur ad messem. Et dedit illis potestátem spirítuum immundórum, ut ejícerent eos. Multa distántia est inter habére et tribúere. Iste quodcúmque agit, potestáte Dei agit. Illi si quid fáciunt, imbecillitátē suam et virtútem Dómini confiténtur. ℟. Scitis quáliter.

Lectio viij.

Euntes autem prædicáte, dicéntes : quia appropinquávit regnum cœlórum : infírmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite. Ne homínibus rusticánis, et absque elóquii venustáte, indóctis et illiterátis nemo créderet, pollicéntibus regna cœlórum, dat potestátem infírmos curáre, leprósos mundáre, dæmones ejícere : ut magnitúdinem promissórum probet magnitúdo signórum. Et quia semper dona spirituália, si merces média sit, vilióra fiunt, adjícitur avarítiæ condemnátio : gratis accepístis, gratis date. Ego magíster et Dóminus absque prétio vobis tríbui, et vos sine prétio date, ne Evangélii grátia corrumpátur. ℟. Judícium patris.

Lectio ix.

Nolíte possidére aurum, neque argéntum, neque pecúniam in zonis vestris : non peram in via, neque duas túnicas, neque calceaménta, neque virgam ; dignus est enim operárius cibo suo. Quia sic quodámmodo nudos et expedítos ad prædicándum Apóstolos mittébat ; et dura videbátur esse condítio magistrórum ; severitátem præcépti sequénti senténtia temperávit, dicens : Dignus est operárius cibo suo. Tantum, inquit, accípite, quantum in victu et vestítu vobis necessárium est. Unde et Apóstolus réplicat : Habéntes victum et vestítum, his conténti sumus. Et álio loco : Commúnicet autem is qui catechizátur et qui se

58

catechízat in omni bono; ut quorum discípuli metunt spirituália, consórtes eos fáciant carnálium suórum, non in avarítia, sed in necessitáte. Te Deum.

IN OCTAVA.

Fit tantum Commem. S. Trophimi, ad j. Vesp., Laudes et ij. Vesp. ut in die Festi, et Dominicæ occurr.

FESTA OCTOBRIS.

DIE I. OCTOBRIS.

S. Remigii

Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. præter sequentia.

In Hymno m. t. v. **Oratio.**

Deus, qui per beáti Pontíficis Remígii documénta, gentem Francórum ab idolórum vanitáte ad veritátem tui cultus veníre tribuísti: da, quæsumus; ut, qui nómine Christiáno gloriámur, fidem nostram dignis opéribus ostendámus. Per Dñm.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Remígius, qui et Remédius, Laudúni natus est, paréntibus nobílibus, Æmílio et sancta Cilínia ætáte jam provéctis, et grátia apud suos nominatíssimis. Ortum ejus prædíxerat solitárius quidam cæcus, nómine Montánus, qui et visum póstea recépit, admóto ad óculos lacte quo infans Remígius alebátur. Stúdio et oratiónibus primos impendébat annos futúrus Francórum Apóstolus, secéssum colens; quo magis hóminum frequéntiam fúgere conabátur, eo nótior toti provínciæ fiébat. Annos natus duos et vigínti, post tránsitum Bennádii Archiepíscopi Reménsis, ob seníles in adolescéntia mores, ad sedem Reménsem ómnium votis raptus, potiúsquam eléctus fuit. Onus episcopále effúgere cúpiens, divínis mónitis suscípere cógitur. Ab Epíscopis Províncíæ consecrátus, se tamquam veteránum gessit in regímine Ecclésiæ suæ. Vir éloquens, potens in scriptúris,. exémplum erat fidélium. Quod ore docébat, implébat ópere. Grege suo summo labóre ac vigilántia mystériis fídei imbúto, et disciplína in clero constitúta, regnum Christi in Bélgio promovéndum suscépit: pópulis ad fidem convérsis, novos Episcopátus instítuit: Teruánæ, ubi sanctum Antimúndum; Atrébatis, ubi sanctum Vedástum; Laudúni, ubi sanctum Genebáldum præfécit. ℞. Invéni. **Lectio v.**

Clodovéi et Francórum ánimi cúltui pagáno adhuc déditi movebántur stupéndis Remígii opéribus, quæ ubíque vulgabántur. Cum autem Clodovéus, Gallórum

victor, Alemánnos Tolbiáci, invocáto Christi nómine, debellásset, Remígium ad se evocátum, de religióne Christiána disseréntem libénter áudiit. Et instánti Remígio ut fidem profiterétur, cum respondísset, veréri se ne per pópulum sibi non licéret : id ubi rescívit pópulus, statim acclamávit: Mortáles deos abígimus, pie rex : et Deum, quem Remígius prædicat immortálem, sequi paráti sumus. Tum Remígius jejúnia secúndum Ecclésiæ morem illis indíxit, et regem, quem fídei documéntis coram sancta Clotílde regína imbúerat, baptizávit ipso die natális Dómini, his eum verbis allocútus : Mitis, depóne colla, Sicámber : adóra quod incendísti; incénde quod adorásti. Baptizátum sacro inúnxit chrísmate cum signáculo crucis Christi. De exércitu autem ejus ter mille et ámplius baptísmo initiáti sunt: simul et Alboflédis Clodovéi soror, quæ cum paulo post de vivis decessísset, regem per lítteras consolátus est Remígius. Lanthíldis quoque áltera soror regis, ab Ariána hæresi revocáta, sacro chrísmate inúncta est, et Ecclésiæ reconciliáta.

℟. Pósui. **Lectio vj.**

Exímia fuit ipsíus erga páuperes liberálitas, et cleméntia in pœniténtes singuláris : neque enim inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam, sed ad hóminum curam. Ariánum Epíscopum in Synodo, divína virtúte, mutum réddidit : eíque per nutus véniam poscénti, vocem his verbis restítuit : In nómine Dómini nostri Jesu Christi, si sic de eo recte sentis, lóquere; et de illo sicut cathólica credit Ecclésia, confitére. Recépto ille vocis usu, crédere se et in eádem fide moritúrum pollícitus est. Sub finem vitæ oculórum usu orbátus est Remígius, quem tamen paulo ante mortem recuperávit. Tránsitus diem non ignórans, finítis Missárum solémniis, plebe sacro Christi córpore confirmáta : valefáciens clero et pópulo, dans síngulis pacem in ósculo oris Dómini, plenus diérum et óperum ex hac vita decéssit Idibus Januárii, anno ætátis nonagésimo sexto, post Christum quingentésimo trigésimo tértio. Sepúltus est in ædícula sancti Christóphori, et mórtuus sicut et vivus cláruit miráculis. ℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xvj.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

59

Homilía S. Gregórii Papæ.
Homil. xxix. *in Evang.*

POtest omnis creatúræ nómine, omnis nátio géntium designári. Ante étenim dictum fúerat : In viam géntium ne abiéritis : nunc autem dícitur : Prædicáte Evangélium omni creatúræ; ut scílicet prius a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio, tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset : sed cum discípulos ad prædicándum véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide.
℟. Amávit.

Lectio viij.

NEque enim in univérso mundo tanta fidélium messis exsúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non venissent. Séquitur : Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat : Ego jam crédidi, salvus ero; verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera enim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit : Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

SIgna autem eos qui creditúri sunt, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime credidístis? Sed hæc necessária in Ecclésiæ exórdio fuérunt. Ut enim fides crésceret, miráculis fúerat nutriénda, quia et nos cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluísse videámus : et si semel radícem fíxerint, in rigándo cessámus. Hinc est enim quod Paulus dicit : Linguæ in signum sunt, non fidélibus, sed infidélibus. Te Deum laudámus.

DIE III. OCTOBRIS.
S. Eonii *Arelatensis Episc. et Conf. Duplex.*
Omnia de Comm. Confess. Pont. præter sequentia.
In Hymn. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*

Oratio.

DEus, qui beátum Eónium Confessórem tuum atque Pontíficem elígere dignátus es : præsta quæsumus; ut ipso

pro nobis intercedénte, peccatórum nostrórum mereámur éxui malis et tibi Dómino sincéris méntibus deservíre. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Eonius, Epíscopus Arelaténsis, flóruit tempóribus Gelásii, Anastásii, et Symmachi, Summórum Pontíficum, quorum ad illum exstant váriæ epístolæ, quæ cum de privilégiis Ecclésiæ Arelaténsis, deque jure Metropóleos ipsi jamdúdum quæsíto, tum de præcláris Eónii virtútibus ádstruunt. Is e vita migratúrus, et de successóre sollícitus, hortátur cives Arelaténses, ne álium in locum suum assúmant præter Cæsárium. Qua de re, tanti viri confísus méritis, fide accépta a circumstántibus, post ingéntes thesáuros pro redemptióne captivórum et páuperum sustentatióne Ecclésiæ suæ relíctos, suprémum diem óbiit, décimo séptimo Kaléndas Septémbris. Sepúltus est Areláte in Ecclésia sancti Honoráti. ℟. Invéni.

Sermo S. Máximi Epíscopi. *Hom.* lix. *de S. Euseb.* ij.

Lectio v.

Id sancti ac beatíssimi Patris nostri Eónii cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est : síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra : Glória Patris est fílius sápiens : quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.
℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Quidquid ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis et grátiæ, de hoc quasi quodam fonte lucidíssimo, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiæ gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat prædítus lenitátis, ómnium cívium in Deum provocávit afféctum : quia Pontíficis administratióne fulgébat, plures e discípulis relíquit sui sacerdótii successóres. ℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno, Homil. S. Gregorii Papæ. Léctio sancti Evangélii, fratres. *de Comm. j. loco.*

DIE V. OCTOBRIS.

B. Ludovici Alemandi

Arelatensis Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. primo loco.

In Hymn. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*

DIE IX. OCTOBRIS.

SS. Dyonisii *Arelatensis Episc.* **Rustici** *et* **Eleutherii** *Martyrum. Dupl.*

Omnia ut in Breviario Romano, eadem die.

DIE X. OCTOBRIS.

S. Virgilii *Arelatensis Episc. et Confess. Duplex.*

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia. **Oratio.**

Deus, qui nos hodiérna die, beáti Virgílii Confessóris tui atque Pontíficis solémnia celebráre concédis : adésto propítius Ecclésiæ tuæ précibus; ut cujus gloriátur méritis, muniátur suffrágiis. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Virgílius in Aquitánia natus, a téneris annis in monastérium Lirinénse secéssit, ibíque perfécta sua abnegatióne, ceterísque suis religiósis virtútibus illústris effectus est. Inde Augustodúnum vocátus ac Monachórum congregatiónis Abbas constitútus, tanta cum laude in eo múnere se gessit, ut ad sedem Arelaténsem, commúni ómnium voto évehi merúerit. Hac dignitáte auctus, pastóris egrégii partes omnes implévit. Plebis suæ salúti vígilans, eam assídua verbi divíni prædicatióne, ac præcláris sanctimóniæ exémplis ad pietátem informáre stúduit.

℟. Invéni. **Lectio v.**

A sancto Gregório Magno pállio decorátus, Sedis Apostólicæ vices et potestátem in Ecclésias Gallicánas ab eo accépit, ejusdémque sancti Pontíficis jussu, Augustínum, Anglórum Apóstolum, Epíscopum ordinávit. Ecclesiásticæ disciplínæ defénsor acérrimus, nihil non egit ut simoníaca labes pénitus exstinguerétur, et neóphyti a sacris ordínibus repelleréntur. Plures Ecclésias ædificávit, inter quas éminet cathedrális Arelaténsis, quam in honórem sancti Stéphani Protomártyris dedicávit. Tandem virtútibus et miráculis clarus, in senectúte bona quiévit. Corpus ejus in Ecclésia sancti Honoráti quam exstrúxerat, indútum cilício quod nunquam dimíserat, honorífice cónditum est.

℟. Pósui adjutórium.

Ex Epístola sancti Gregórii Papæ ad Virgílium Epíscopum Arelaténsem.

Lectio vj.

O quam bona est cáritas, quæ abséntia per imáginem, præséntia sibimetípsis éxhibet per amórem; divísa unit, confúsa órdinat, inæquália sóciat, imperfécta consúmmat. Hac ítaque virtúte, frater caríssime, plenum te

esse repério, sicut mihi de te et hi qui ex Gallicánis pártibus véniunt, et epístolæ tuæ ad me diréctæ testántur. Quod vero in eis, juxta antíquum morem, usum pállii, ac vices Sedis Apostólicæ postulásti, absit ne aut transitóriæ potestátis culmen, aut exterióris cultus ornaméntum quæsísse te súspicer. Libénti ergo ánimo postuláta concédimus. Sed jam nunc stúdio majóri res índiget, ut, cum honor crescit, étiam sollicitúdo profíciat, et erga ceterórum custódiam vigilántiæ excréscat vitæ quoque mérita subjéctis in exémplum véniant, et nunquam sua, per suscépti honóris grátiam, sed lucra cœléstis pátriæ vestra Fratérnitas exquírat. ℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia S. Gregorii P. Léctio sancti Evangélii, fratres. *de Comm. j. loco.*

DIE XVI. OCTOBRIS.

S. Cannati

Episc. et Confess. Duplex. Omnia de Comm. Confess. Pontif. præter sequentia.

Oratio. Exáudi quæsumus. *de Comm. ij. loco.*

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.


Annátus natálium splendóre illústris, exímia vitæ sanctitáte illústrior, natus est Aquis Séxtiis, patre præfécto : quo témpore, debelláto, per Constántium imperatóris Honórii ducem, Constantíno tyránno, qui se Areláte conclúserat, et fugátis subínde tota Narbonénsi Província Gothis, univérsa Província sub Románum redíerat impérium. Efflúxis tamen annis alíquibus, Gothi, non minus Cathólicæ religiónis, quam Románi hostes impérii, Provínciæ partem quam flumen Druéntia, et Phocénsis ora interclúdunt, ferro et igne populántur, Burgundiónibus pari violéntia réliquam Provínciæ partem invadéntibus. Cannátus tantárum misértus calamitátum, jejúniis et oratiónibus divínum subsídium implorábat ; desolátis vero cívibus, quodcúmque póterat solátium, et verbis, et factis impendébat. ℟. Invéni David.

Lectio v.


Edátis utcúmque cládibus públicis, Cannátus quidquid facultátum supérerat, in egénos erogávit. Itaque omni fluxárum rerum cura expedítus solíque deínceps vacáre Deo studens, in erémo plures annos, magna vitæ asperitáte corpus suum domans, et oratiónis pábulo júgiter mentem suam enútriens, duxit ; donec a clero populóque Massiliénsi expetítus in Epíscopum, non sine speciáli Dei providén-

61

tia et impúlsu, illíus demum Ecclésiæ Præsul consecrátus est. ℟. Pósui.

Lectio vj.

Quo in offício tot pastorálium virtútum dedit specímina, ut insígnia ejus mérita plúrimis illustráta miráculis, plures Ecclésiæ, præcípue vero Aquénsis et Massiliénsis, solémni cultu, publicísque offíciis, ab ejúsdem felíci ex hac vita discéssu, per contínuum multórum sæculórum currículum, usque in præsens venerátæ sint : quo solo ritu olim sancti Dei hómines in sanctórum album referebántur et palam invocabántur. Cannáti cum sanctitátis laude méminit, qui se, licet juniórem natu, ipsíus ætáte vixísse testátur Gennádius Massiliénsis in virórum illústrium catálogo. ℟. Iste est. *In iij. Noct. Homil. S. Hilarii Episc.* Ut ignorántiam illam. *de Comm. ij. loco.*

DIE XXIII. OCTOBRIS.

SS. Redemptoris.

Omnia ut in Supplemento pro aliq. locis, eadem die.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

S. Raphaelis *Archangeli.*

Omnia ut in Supplemento pro aliq. locis, eadem die.

DIE XXVI. OCTOBRIS.

Sacr. Reliquiarum.

Omnia ut in Supplem. pro aliq. locis, Dñica IV. Octob.

DIE XXX. OCTOBRIS.

S. Rossolinæ

Virginis. Duplex.

Omnia de Comm. Virginis tantum, præter seq. **Oratio.**

Deus pro cujus amóre beáta Rossolína mundi sibi blandiéntis calcávit illécebras, ut tibi únice adhæréret; tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere et cœléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Rossolína, ex illústribus de Villanóva et de Sabráno famíliis orta, non obscúra vel ab incunábulis futúræ sanctitátis indícia præbuit, misericórdia in páuperes jam commendábilis. Decénnis pia matre orbáta, ad Ecclésiam confúgiens, Dei genitrícem eníxe rogávit ut sibi mater esset et tutrix. Exínde uni Deo placére studens ægre consentiénte patre, in monastérium Cellæ Robáudi sanctimoniálium Carthusianárum a suis nuper eréctum ac fundátum se cóntulit, ibíque solémni professióne vírginē se Deo consecrávit. ℟. Propter.

Lectio v.

Novum hoc vitæ genus ampléxa intra breve tempus humilitáte, obediéntia, solitúdinis et siléntii amóre ceterísque

religiósis virtútibus omnes antecélluit. Tam rápidis in perfectiónis via proféctibus ómnium sorórum sibi conciliávit afféctum et admiratiónem. Monastérii regímini, ob sanctitátis ac prudéntiæ famam, præfécta, eo in múnere zelum reguláris observántiæ sic adtemperávit, ut omnes ad perfectiónis desidérium inflammáret. Aliquot ante óbitum annis ut rerum cœléstium contemplatióni únice vacáret, dignitáti suæ renuntiávit. Demum méritis cumuláta, christiánis reféćta sacraméntis, magnum sui desidérium soróribus relínquens ánimam Deo réddidit anno salútis millésimo trecentésimo vigésimo nono. ℟. Dilexísti.

Lectio vj.

Corpus Vírginis vix tértio die sepultúræ mandári pótuit, propter confluéntium e tota diœcési fidélium instántem pietátem. Sanctitátis ejus opiniónem auxérunt plúrima ad illíus invocatiónem impetráta a Deo benefícia, præsértim ex quo de terra elevátum est corpus propter cœléstem fragrántiam ex eo júgiter emanántem. Tunc autem ferunt mirátos fuísse omnes óculos Vírginis végetos et ácie, sicut in vita, prǽditos; qui hodiédum in ecclésia parochiáli de Arcubus pie asservántur. Porro sacrum ejus corpus non longe ab illo óppido in ipsíus monastérii antíqua ecclésia requiéscit, fere ex omni parte incorrúptum et summa incolárum ac exterórum devotióne frequentátum. Quod quidem anno Dómini octingentésimo tricésimo quinto supra millésimum, tértio Idus Június Ludovícus Cárolus Michel Epíscopus Forojuliénsis e theca lígnea translátum in arca marmórea solémniter collocávit. ℟. Afferéntur.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xix.

In illo témpore : Accessérunt ad Jesum Pharísæi tentántes eum, et dicéntes : Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

De S. Virginit. cap. xxvij.

Pergite ítaque sancti Dei, púeri ac puéllæ, mares ac féminæ, cœlibes ac nuptæ, pérgite perseveránter in finem. Laudáte Dóminum dúlcius, quem cogitátis ubérius; speráte felícius, cui servítis instántius; amáte ardéntius, cui placétis atténtius. Lumbis accínctis et lucérnis ardéntibus exspectáte Dóminum, quándo véniat a núptiis. Vos afferétis ad núptias Agni cánticum novum quod cantábitis cítharis vestris,

quale nemo potest díscere nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ céteris diléctus Agno, qui discúmbere super pectus ejus sólitus erat, et bíberat, et eructábat mirabília super cœléstia, verbum Dei. ℟. Hæc est virgo.

Lectio viij. *Cap.* xxix.

Vos Agnum sequímini tenéndo perseveránter quod vovístis; ardénter fácite cum potéstis, ne virginitátis bonum a vobis péreat, cum fácere nihil potéstis ut rédeat. Vidébit vos cétera multitúdo fidélium, quæ Agnum ad hoc sequi non potest, vidébit, nec invidébit; et collætándo vobis, quod in se non habet, habébit in vobis. Præsúmite ítaque, fídite, roborámini, permanéte, qui vovétis et rédditis Dómino Deo vestro vota perpétuæ continéntiæ, non propter præsens sæculum, sed propter regnum cœlórum. ℟. Média nocte.

Lectio ix. *Cap.* xxx.

Vos étiam, qui hoc nondum novístis, qui potéstis cápere, cápite; perseveránter cúrrite, ut comprehendátis. Tóllite hóstias quisque suas, et introíte in átria Dómini, non ex necessitáte, sed potestátem habéntes vestræ voluntátis. Cogitáte quidquid illud est, in muro ejus locum nominátum meliórem multo quam filiórum et filiárum. Cogitáte illic nomen ætérnum. Quis éxplicet quale nomen erit? Quidquid tamen erit, ætérnum erit. Hoc credéndo, et sperándo, et amándo, potuístis conjúgia non devitáre prohíbita, sed transvoláre concéssa. Te Deum laudámus.

FESTA MOBILIA.

DOMIN. II. OCTOBRIS.
Maternitatis B. M. V.

Omnia ut in Supplem. pro aliq. locis, eadem die.

DOMIN. III. OCTOBR.
Puritatis B. M. V.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis, ead. die.

DOMIN. IV. OCTOBR.
Patrocinii B. M. V.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis, ead. die.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE XIII. NOVEMBR.
S. Stanislai Kostkæ

Confessoris. Duplex.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis, ead. die.

DIE XVI. NOVEMBRIS.
S. Eucherii

Episc. Conf. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter seq. Oratio.

Deus, qui beátum Euchérium, ex vita in Christo abscóndita ad Ecclésiæ régimen evéctum, miro virtútum et doctrínæ splendóre coruscáre

fecísti : da nobis, quæsumus, ejus mérita venerántibus; per bona ópera lucére coram homínibus, et per amórem coram te ardére. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EUchérius in sæculo nobilitáte, ópibus, ingénio et eloquéntia perillústris, in Ecclésia sacræ eruditiónis et miræ sanctitátis laude factus est illústrior. Is cum uxórem duxísset Gallam, et ipsam géneris ac sanctitátis splendóre conspícuam, duos ex ea fílios suscépit, Salónium et Veránum, qui multum in lítteris et in omni virtútum génere profecérunt, et tandem ad Episcopátum provécti sunt. Ipse vero amplíssimis quibus potiebátur ópibus abjéctis, sese in monastérium Lirinénse recépit. ℟. Invéni. Lectio v.

DEínde, remotiórem quamdam ac secretiórem víllulam, in illa ínsula pétiit, quæ nunc a sancta Margaríta nomen habet, ubi solus coram Deo rerum cœléstium contemplatióni libérius vacáret. Eo loci scripsit ad Hilárium sibi familiárem, De laude erémi, librum elegantíssimum. Ibi quoque scripsit mirábilem illum De mundi contémptu tractátum, ad Veriánum cognátũ suum. A suæ tandem solitúdinis ampléxibus avélli passus est Euchérius, et ad sedem Lugdunénsem unánimi cleri plebísque suffrágio vocátus, raptúsque est. Hoc suscépto múnere, fidéliter ac strénue omnes boni pastóris partes implévit.

℟. Pósui. Lectio vj.

OVium sibi commissárum salúti invígilans, eas assídue verbo et exémplo nutriébat. Intérfuit concílio Arausicáno primo, eíque cum fílio suo Salónio jam tum Epíscopo subscrípsit. Sanctíssimis ac doctíssimis Præsúlibus, Paulíno scílicet Noláno, Honoráto, Hilário Arelaténsi, ceterísque viris illíus ævi præstantíssimis amicítia junctus, ipsórum encómiis celebrátus est. Plenus tandem méritis ad cœléstem vitam transívit.

℟. Iste est qui ante.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* vj.

IN illo témpore : Ait Jesus discípulis suis: Veníte seórsum in desértum locum, et requiéscite pusíllum. Et réliqua.

Homilia S. Euchérii Epíscopi. *De laude eremi, ad Hilarium Episc.*

O Laus magna erémi! Desértus locus ille est, in quo Salvátor noster quinque virórum míllia pá-

nibus quinque et píscibus duóbus pavit, satiávit, explévit. Semper in desérto suos pane Jesus pascit. Ubi, quæso, magis vacáre, et quam dulcis sit Dóminus vidére, cóntigit? Ubi prómptior ad perfectiónem tendéntibus via pánditur? Ubi major virtútibus campus aperítur? Ubi facílior mentis custódia, ubi libérior cordis inténtio, quam illis útique secrétis, in quibus Deum non solum inveníre promptum est, verum étiam custodíre? Hic prodúcitur seges illa, qua étiam ossa pinguéscent. Hic invenítur panis vivus, qui de cœlo descéndit. Hic erúmpunt fontes irrígui, et aquæ vivæ, quæ non satiándis solum, verum étiam possunt sufficere salvándis. Hic interióris hóminis pastus et volúptas, eadémque córporis est erémus, animæque paradísus.

℟. Amávit. **Lectio viij.**

Nulla jam quamvis fértilis tellus, terræ erémi se comparatióne jactáverit. Est terra áliqua frúgibus dives? In hac máxime náscitur fruméntum, quod esuriéntes ádipe suo sátiat. Est ália grávidis læta vinétis? In hac máxime prodúcitur vinum, quod lætíficat cor hóminis. Est ália páscuis præstans? In hac salubérrime pascunt oves illæ, de quibus dícitur : Pasce oves meas. Est ália flóribus picta vernántibus? In hoc máxime versus ille flos campi, et lílium convállium refúlget. Póstremo, ália est speciósis exsúltans metállis, ália auro suo fulva est? In hac várii lápidum micant, vibránte luce, fulgóres. Recte ergo tu, veneránda tellus, sanctis in te pósitis, aut non procul a te remótis, aut habitábilis dudum, aut desiderábilis exstitísti. Tu inhabitántium te vítiis stérilis, tu fœcúnda virtútibus : tuam quicúmque sanctórum familiaritátem quæsívit, Deum réperit; Christum in te, quisquis te cóluit, ínvenit.

℟. Sint lumbi. **Lectio ix.**

Equidem cunctis erémi locis, quæ piórum illuminántur secéssu, reveréntiam débeo; præcípuo tamen Lerínam meam honóre compléctor. Aquis scatens, herbis virens, flóribus renítens, vísibus odoribúsque jucúnda, Paradísum possidéntibus se éxhibet, quam possidébunt. Digna quæ Honoráto auctóre fundáta sit, quæ tantis institútis tantum nacta sit patrem, apostólici spíritus vigóre, et vultus honóre radiántem. Digna quæ præstantíssimos alat mónachos, et ambiéndos præferat sacerdótes. Quot illic, Jesu bone, sanctórum cœtus conventúsque vidi! Constrícti caritáte, humili-

táte dejécti, mollíssimi pietáte, firmíssimi in spe, incéssu modésti, obediéntia citi, occúrsu táciti, vultu sevéri, prorsus ipsa prótinus contemplatióne angélicæ quiétis agmen osténdunt. Nihil concupíscunt, nihil desíderant, nisi eum solum quem desiderántes concupíscunt. Dum beátam quærunt vitam, beátam agunt; eámque, et dum ámbiunt, jam consequúntur.

Te Deum laudámus.

DIE XXVII. NOVEMB.
(*Dies fixa e XIII. ejusdem.*)

S. Verani

Episc. Conf. Duplex.
Omnia de Comm. Confess. Pont. præter seq. **Oratio.**

Propitiáre, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis, per beáti Veráni Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dñm.

Lect. j. Noct. de Script. occ.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Veránus, in Diœcési Cabellionénsi in loco cui nomen Vallisclánsa claris natálibus ortus créditur. A primis annis mirum in modum totus Dei ópere conversátus est. Présbyter ordinátus plúrimas Galliárum províncias peragrávit, verbi Dei sémina spargens et miráculis corúscans. Ut crebrescéntem sui nóminis famam effúgeret Vallicláusæ se ábdidit et totam regiónem Cabellionénsem póstea ab ingénti dracóne homínibus pecoribúsque infestíssimo mirabíliter liberávit. Peregrinatiónem Románam pie aggréssus, cum ad Confessiónem sancti Petri advenísset, sacrum sacéllum perácta oratióne, súbito, uti tradunt, férreis véctibus divínitus dissólutis sibi reserári videt. Ex urbe rédiens, Albíngæ íncolis qui per annum plúvia caruérant, suis précibus magnam ímbrium cópiam óbtinet. Quodam in pago defúnctam puéllam vivéntem patri suo reddidísse fertur: itémque muliónem régium flammis damnátum, illæsum ab incéndio eripuísse, postquam báculo suo ignem tetígerat. Quo miráculo permótus rex, Veránum accérsit, illúmque magno in honóre penes se retínuit et cum Cabellionénsem civitátem ac províneiam peragráret, ipsum cómitem hábuit.

℟. Invéni David. **Lectio v.**

Eodem témpore defúncto Prætextáto Cabellionénsi Epíscopo, ingénti animórum consénsu, in locum defúncti Veránus licet invítus elígitur. Suscépto episcopátu omnes óptimi pastóris et paréntis partes adimplévit; ad bonos mores clericórum servándos omni stú-

dio, exémplo, voce, scriptis incúbuit. Decórem domus Dómini et locum habitatiónis ejus ita diléxit, ut ipse suis súmptibus ecclésiam cathedrálem exstrúxerit prout habet antiquórum fida relátio. Apud reges Childebértum secúndum et Gontrándum multum grátia váluit. Fílium autem Childebérti e sacro fonte suscépit, Theodóri nómine ei impósito. A Gontrándo tum ad regínæ Fredegúndis minístros missus est de cæde Prætextáti Rhotomagénsis Archiepíscopi inquisitúrus, tum in causa electiónis Abbatíssæ in monastério sanctæ Crucis pictaviénsis consúltus.

℟. Pósui. **Lectio vj.**

ANNO quingentésimo octogésimo quinto, concílio Matisconénsi subscrípsit. Porro sanctus Gregórius Turonénsis ejus amícus de ipso scribens : Eo témpore, inquit, erat Veránus Cabellionénsis Epíscopus, magnis virtútibus præditus, ita ut plerúmque infírmis signum crucis impónens, statim sanitátem, tribuénte Dómino, restauráret. Arelátem tandem, quamvis senectúte conféctus, ad concílium provinciále venit, ubi letháli morbo corréptus, suprémum vitæ suæ diem et horam frátribus prænuntiárit, oculísque deínde in cœlum defíxis, spíritum Deo réddidit. Cum totam noctem in decantándis psalmis et oratiónibus traduxíssent Epíscopi aliíque adstántes, mane ferétrum cum sancti Præsulis córpore levátur; sed quo feréndum esset cum ignorárent, súbito, ut memóriæ próditum est, pállium quo operiebátur mirabíliter sublevátum, funus præit, viámque demónstrat. Tum in tránsitu ámnium Druéntiæ et Sórgiæ, divísis aquis úndique instar muri consisténtibus, univérsus pópulus, qui comitabátur siccis vestígiis pertránsiit, ac tandem supra ecclésiam in honórem Deíparæ Vírginis ab ipso Veráno exstrúctam pállium sistit ibíque in lapídeo monuménto sacrum corpus depósitum est.

℟. Iste est qui.

In iij. Noct. Homil. S. Gregorii Papæ. Léctio sancti Evangélii, fratres. *de Communi j. loco.*

FESTA MOBILIA.

DOMIN. INFRA OCTAV. OMNIUM SANCTORUM.

In Festo **Omnium Sanctorum** *totius Diœcesis Aquensis. Dupl. ij. classis.*

In j. vesperis,

Añæ, Capit. et Hymn. de Laud. Psalmi de Domin. et loco ult. Ps. Crédidi.

℣. Credo, Dñe, ádjuva incredulitátem meam. ℟. Dómine, adáuge nobis fidem.

Ad Magnificat, *Aña*. Qui credíderit et baptizátus fúerit salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur. **Oratio.**

DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus, Sanctórum tuórum méritis et intercessióne, conservatiónem fídei et augméntum : ut in hac vita tibi placeámus; et post mortem salútem ætérnam consequámur. Per Dñum.

Commem. Domin. occurr.

Ad matutinum,

Invitat. Auctórem fídei et consummatórem Jesum : * Veníte adorémus. *Ps.* Veníte. **Hymnus.**

SAlvéte, cœli Præsides, Ecclésiæ fundámina,
Nostræ salútis óbsides,
Divína Verbi fúlmina.
Per vos Patris divínitas [ta;
Christíque regnant dógma-
Per vos reflóret sánctitas,
Et Spíritus charísmata.
Cohors triúmphans Mártyrum,
Mystæ, sacríque Præsules,
Coróna casta Vírginum
Cœlo redúcant éxsules.
Sit summa Patri glória
Nato simul cum Spíritu;
Nobis frui dent pátria
Fausto salútis éxitu. Amen.

In primo Nocturno,

Aña. Si potes crédere, ómnia possibília sunt credénti. *Ps.* Beátus vir. Cum invocárem. Dómine Dóminus. *ut in j. Noct. Festi OO. SS.*

Aña. Ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti.

Aña. Qui timétis Dóminum, crédite illi, et non evacuábitur merces vestra.

℣. Accédite ad eum et illuminámini. ℟. Et fácies vestræ non confundéntur.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. *Cap.* xj.

EST autem fides sperandárum substántia rerum, arguméntum non apparéntium. In hac enim testimónium consecúti sunt senes. Fide intellígimus aptáta esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibílibus visibília fíerent. Fide plúrimam hóstiam Abel, quam Cain óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibénte munéribus ejus Deo, et per illam defúnctus adhuc lóquitur. Fide Henoc translátus est ne vidéret mortem, et non inveniebátur, quia tránstulit illum Deus : ante translatiónem enim testimónium hábuit placuísse Deo. Sine fide autem impossíbile est placére Deo; crédere enim opórtet accedéntem ad Deum, quia est, et inquiréntibus se remunerátor sit.

℟. Unum corpus, et unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. * Unus Dóminus, una fides, unum baptísma.

℣. Unus Deus, et Pater ómnium qui est super omnes, et per ómnia in ómnibus vobis. — Unus Dñus.

Lectio ij.

Et quid áliud dicam? Defíciet enim me tempus enarrántem de Gédeon, Baruch, Samson, Jephte, David, Sámuel et Prophétis, qui per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum, accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos. Alii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem.

℟. Ecce pono in Sion lápidem summum, angulárem, eléctum, pretiósum, * Et qui credíderit in eum, non confundétur. ℣. Lapis quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli. — Et qui. Lectio iij.

Alii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper víncula et cárceres, lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt, circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus. In solitudínibus errántes, in móntibus et spelúncis, et in cavérnis terræ et hi omnes, testimónio fídei probáti, non accepérunt repromissiónem, Deo pro nobis mélius áliquid providénte, ut non sine nobis consummaréntur.

℟. Grátia enim estis salváti per fidem, et hoc non ex vobis, * Donum enim Dei est. ℣. Non fecit táliter omni natióni, et judícia sua non manifestávit eis. — Donum enim. Glória Patri. Donum enim.

In secundo Nocturno,

Aña. Qui credit in Fílium, habet vitam ætérnam; qui autem incrédulus est Fílio, non vidébit vitam.

Psalm. Dómine, quis habitábit. Dómini est terra. Beáti quorum. *ut in ij. Noct. Festi OO. SS.*

Aña. Dómine, óculi tui respíciunt fidem.

Aña. In lúmine tuo vidébimus lumen.

℣. Qui credit Deo, atténdit mandátis. ℟. Et qui confídit in illo, non minorábitur.

Lectio iv.

Sermo S. Augustíni Epíscopi. *Sermo de Trinitate.*

Sancta et divína elóquia, fratres, júgiter, imo quotídie nobis salúbriter recitántur, ut ánimæ nostræ pascántur : in futúro enim sæculo ætérnis épulis saginántur, dicénte prophéta : Satiábor dum manifestábitur glória tua.

Qualis sit autem hæc glória futúra, et quibus divítiis flóreat, quantóque splendóre præfúlgeat, laudáre póssumus, explicáre non póssumus. Quare? Quia légimus : Non óculus vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ parávit Deus diligéntibus se. Si ígitur tanta, et ália sunt bona ætérna cœléstia, quæ Dóminus omnípotens præparávit sanctis suis cathólicis, et fidélibus pópulis, quid est ipse Deus, qui tália et tanta præparávit?

℟. Habémus firmiórem prophéticum sermónem cui benefácitis attendéntes, quasi lucérnæ lucénti in caliginóso loco : * Nisi credidéritis, non intelligétis. ℣. Qui scrutátor est majestátis, opprimétur a glória. — Nisi credidéritis.

Lectio v.

Nullæ quippe sunt majóres divítiæ, nulli thesáuri, nulli honóres, nulla mundi hujus major substántia, quam est fides cathólica, quæ peccatóres hómines salvat, cæcos illúminat, infírmos curat, catechúmenos baptízat, fidéles justíficat, pœniténtes réparat, justos augméntat, mártyres corónat, vírgines, víduas et conjugáles casto pudóre consérvat, cléricos órdinat, sacerdótes cónsecrat, regnis cœléstibus præparat, in ætérna hereditáte cum Angelis sanctis commúnicat. Sicut ipse Dóminus promitténdo confírmat : In resurrectióne neque nubunt, neque uxóres ducunt, sed erunt æquáles Angelis Dei. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Sentíte de Dómino in bonitáte, et simplicitáte cordis quærite illum: * Quóniam invenítur ab his qui non tentant illum. ℣. Appáret autem his qui fidem habent in illum. — Quóniam.

Lectio vj.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi de verbis Ecclesiástici.

Credámus ergo, fratres : hoc est primum præcéptum, hoc est inítium religiónis et vitæ nostræ, fixum habére cor in fide, et figéndo cor in fide, vívere bene, abstinére ab ómnibus seductóriis, sustinére mala temporália, et quámdiu illa blandiúntur, et illa minántur, advérsum utrúmque inconcússum habére cor, ne in illa défluas, ne in illa frangáris. Habéndo ergo continéntiam, habéndo étiam sustinéntiam, cum bona temporália transíerint, et mala quæ inferántur non erunt, habébis omne bonum, habébis nullum malum.

℟. Fílii sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus: * Quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. ℣. Dóminus fáciet misericórdiam

et veritátem. — Quam Deus. Glória Patri. Quam Deus.

In tertio Nocturno,

Aña. Fílii hóminum úsquequo gravi corde : ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Psalm. Benedícam Dóminum. Exáudi, Deus, deprecatiónem. Dóminus regnávit. *ut in iij. Noct. Festi OO. SS.*

Aña. Præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Aña. Accedámus cum vero corde, in plenitúdine fídei.

℣. Quid me opórtet fácere, ut salvus fiam? ℟. Crede in Dñum Jesum, et salvus eris.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* viij.

In illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Cum exaltavéritis Fílium hóminis, tunc cognoscétis, quia ego sum. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi. *Ex Tract.* ij. *in Joannem Evang. Cap.* viij.

Dicébat ergo Dóminus ad eos qui credíderant in eum Judæos : Si vos manséritis in verbo meo. Ideo manséritis, quia initiáti estis, quia et ibi esse cœpístis. Si manséritis, hoc est, in fide quæ in vobis esse credéntibus cœpit : quo perveniétis? Vide quale inítium, quo perdúcit. Amásti fundaméntum, culmen atténde, et ex ista humilitáte áliam celsitúdinem quære : fides enim humilitátem habet. Cognítio, et immortálitas, et ætérnitas, non habet humilitátem, sed celsitúdinem.

℟. In virtúte Dei custodímini per fidem in salútem, parátam revelári in témpore novíssimo, * Quem cum non vidéritis, dilígitis. ℣. In quem nunc quoque non vidéntes créditis, credéntes autem exsultábitis lætítia inenarrábili, et glorificáta. — Quem.

Lectio viij.

Quid promísit credéntibus, fratres? Et cognoscétis veritátem. Quid enim? non illum cognóverant, quando Dóminus loquebátur : Si non cognóverant, quómodo crediderunt? Non quia cognovérunt credidérunt, sed ut cognóscerent, credidérunt. Crédimus enim ut cognoscámus, non cognóscimus ut credámus. Quod enim cognitúri sumus, nec óculus vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit. Quid est enim fides, nisi crédere quod non vides? Fides ergo est, quod non vides crédere, véritas, quod credidísti vidére.

℟. Mandáta ejus grávia non sunt, quóniam omne quod natum est ex Deo vincit mundum; * Et hæc est victória quæ vincit mundum, fides nostra. ℣. Quis est qui vincit mundum, nisi

qui credit quóniam Jesus est Fílius Dei. — Et hæc. Glória Patri. Et hæc.
Lectio ix. legitur de Homilia Dñicæ occurr. Te Deum.

Ad laudes,

et per Horas, Añæ.

1. Domus Jacob, * veníte, et ambulémus in lúmine Dñi. *Psalm.* Dñus regnávit. *cum reliquis de Dominica.*
2. Justítia Dei * per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credidérunt in eum.
3. Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.
4. Si habuéritis fidem sicut granum sinápis, nihil impossíbile erit vobis.
5. Póstulet autem * in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumfértur.

Capitulum. *Judæ* ij.

Vos autem, caríssimi, superædificántes vosmetípsos sanctíssimæ vestræ fídei, in Spíritu sancto orántes, vosmetípsos in dilectióne Dei serváte.

Hymnus.

Jesu Redémptor ómnium,
Vitæ beátæ præmium, [mium,
Vultu pio nos ádspice,
Tua Parénte súpplice.
O purpuráti Mártyres,
Jam laureáti mílites,
Christi redémptos sánguine
Juváte Christi nómine.
O quos beat conféssio,
Votíva quos proféssio,
Et vos erémi sánctitas,
Nos vestra salvet cáritas.
Vos, castitátis ágmina,
Fœcúnda cœli gérmina,
Carnis solútos néxibus,
Locáte sanctis sédibus.
Arcéte Gentes ímpias,
Oves vocáte dévias,
Sit pastor unus ómnium,
Unúsque grex fidélium.
Præsta, beáta Trínitas,
Nos sanctitátis sémitas,
Pulsis salútis hóstibus,
Tutis tenére gréssibus. Am.

℣. Qui timétis Dóminum, crédite illi. ℟. Et non evacuábitur merces vestra.

Ad Bened. Aña. Illumináre his qui in ténebris sedent, et dírige pedes nostros in viam pacis.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, omnípotens Deus, Sanctórum tuórum méritis et intercessióne, conservatiónem fídei et augméntum : ut in hac vita tibi placeámus, et post mortem salútem ætérnam consequámur. Per Dñum.

Deinde fit Commem. Dominicæ occurrentis.

Ad Primam, Aña. Domus Jacob.

Ad tertiam,

Aña. Justítia Dei.
Capit. Vos autem. *supra.*
℟. *br.* Accédite ad eum, * Et illuminámini. Accédite. ℣. Et fácies vestræ non confundéntur. Et illuminámini. Glória Patri. Accédite.
℣. Qui credit Deo, attén-

dit mandátis. ℟. Et qui confídit in illo, non minorábitur.

Ad sextam,

Aña. Sancti per fidem.

Capitulum. *Jacob.* ij.

Quid próderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habére, ópera autem non hábeat? Numquid póterit fides salváre illum?

℟. *br.* Qui credit Deo, * Atténdit mandátis. Qui credit. ℣. Et qui confídit in illo, non minorábitur. Atténdit. Glória Patri. Qui.

℣. Quid me opórtet fácere ut salvus fiam. ℟. Crede in Dñum Jesum, et salvus eris.

Ad nonam,

Aña. Póstulet autem.

Capitulum. *Joan.* j.

In própria venit, et sui eum non recepérunt : quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his qui credunt in nómine ejus.

℟. *br.* Quid me opórtet fácere, * Ut salvus fiam. Quid me. ℣. Crede in Dóminum Jesum, et salvus eris. Ut. Glória. Quid me.

℣. Qui timétis Dóminum, crédite illi. ℟. Et non evacuábitur merces vestra.

Ad ij. vesperas,

Aña. Domus Jacob. *cum reliquis de Laudibus. Psalm.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi, Psalm.* Crédidi.

Capit. et Hymnus, ut supra ad Laudes.

℣. Qui credit Deo, atténdit mandátis. ℟. Et qui confídit in illo, non minorábitur.

Ad Magnif. Aña. Iníquitas delébitur, et fides in ætérnum stabit.

Oratio ut in Laudibus.

Deinde fit Commem. Dominicæ occurr. et Octavæ OO. SS. si de ea fieri debeat Officium die seq.

DOMIN. POST OCTAV. OMNIUM SANCTORUM.

Anniversarium Dedicationis *Metropolitanæ Aquensis et omnium Ecclesiarum diœceseos.*

Omnia ut in Communi Dedicationis Ecclesiæ.

DOMINICA ULTIMA POST PENTECOSTEN.

S. Mitrii *Martyris, civitatis Aquensis Patroni. Duplex j. classis cum Octava. Extra civitatem Duplex ij. classis sine Octava.*

Ad j. vesperas,

Aña. In tentatióne. *cum reliq. de Laud. Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi, Psalm.* Laudáte Dóminum, omnes Gentes.

Capit. et Hymnus ut infra ad Laudes.

℣. Si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala. ℟. Quóniam tu mecum es, Dómine.

Ad Magnif. Aña. Gáudeo in passiónibus meis pro vobis, adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea pro Ecclésia.

Oratio.

Vide, Dómine, infirmitátem nostram, et quia sine te non póssumus áliquid quasi ex nobis, beáti Mítrii Mártyris intercessióne, suppóne júgiter manum tuam : ne nos inférni terror dejiciat, mundánus error emólliat. Per Dóminum.

Deinde fit Comm. Domin. Aña. Super muros tuos, Jerúsalem, constítui custódes : tota die et nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. ℣. Vespertína orátio ascéndat ad te Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua. Oratio.

Excita, quæsumus Dómine, tuórum fidélium voluntátes : ut divíni óperis fructum propénsius exsequéntes, pietátis tuæ remédia majóra percípiant. Per Dóminum.

Ad matutinum,

Invitat. Christum Regem, qui fidéli usque ad mortem Mítrio dedit corónam vitæ, * Veníte, adorémus. *Ps.* Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Munus oblítus, populíque cæcos,
Quos pio cultu réparat, furóres
E Polo, Mitri, tua cerne [vultu
Templa benígno.

Hic tibi thuris rédolent acérræ :
Fláminum casto celebráris ore;
Hic tuas civis bene feriátus
Prostat ad aras.

Hic datur gestis sua laus honórque,
Sive celáto famuláris ortu,
Seu tibi fictum parat imme-rénti
Fúnera crimen.

Séxtiæ tutor pátiens vocári
Gentis, hunc crebro rélevat favóre,
Ambulat claudus, loquitúrque mutus,
Surdus et audit.

Summa laus summo super astra Patri;
Fílio compar hómini Deóque;
Nec tibi dispar utriúsque sacri
Nexus amóris. Amen.

In primo Nocturno,

Aña. Ad destinátum pérsequor, ad brávium supérnæ vocatiónis Dei in Christo Jesu. *Psalm.* Beátus vir. Quare fremuérunt. Dómine, quid multiplicáti. *de Comm. unius Mart.*

Aña. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta.

Aña. Omnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam.

℣. Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus. ℟. Et factus est mihi in salútem.

68

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. Lectio j. *Cap.* iv.

DEus qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus; ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur : aporiámur, sed non destitúimur : persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur : dejícimur, sed non perímus : semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris.

℟. Intuens quemádmodum oportéret accédere, * Destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. ℣. Propter opus Christi, usque ad mortem accéssit, tradens ánimam suam pro Christo. — Destinávit.

Lectio ij.

SEmper enim nos, qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum; ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habéntes autem eúmdem spíritum fídei, sicut scriptum est : Crédidi, propter quod locútus sum; et nos crédimus, propter quod et lóquimur : sciéntes, quóniam qui suscitávit Jesum, et nos cum Jesu suscitábit, et constítuet vobíscum. Omnia enim propter vos, ut grátia abúndans, per multos in gratiárum actióne, abúndet in glóriam Dei. Propter quod non defícimus : sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpátur; tamen is, qui intus est, renovátur de die in diem.

℟. Gloriosíssimam mortem magis quam odíbilem vitam compléctens, * Voluntárie præíbat ad supplícium. ℣. Magis éligens afflígi cum pópulo Dei, quam peccáti temporális habére jucunditátem. — Voluntárie.

Lectio iij. *Cap.* iv. *et* v.

ID enim, quod in præsénti est momentáneum et leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis : non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur. Quæ enim vidéntur, temporália sunt; quæ autem non vidéntur, ætérna sunt. Scimus enim, quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quod ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupiéntes : si

tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti; eo quod nólumus exspoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est a vita.

℟. Dómine, tu scis quia duros córporis sustíneo labóres, secúndum ánimam vero, * Propter timórem tuum libénter hæc pátior. ℣. Propter te mortificámur tota die, sed in his ómnibus superámus, propter eum qui diléxit nos. — Propter timórem. Glória Patri. Propter.

In secundo Nocturno,

Aña. Pláceo mihi in contuméliis, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo.

Psalm. Cum invocárem. Verba mea. Dómine, Dóminus noster. *de Communi unius Mart.*

Aña. Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.

Aña. Ego párticeps in tribulatióne, et patiéntia, et regno in Christo Jesu.

℣. Propter verba labiórum tuórum. ℟. Ego custodívi vias duras.

Lectio iv.

Metrias, aut Mítrius, natióne Græcus et Thessalus, quem licet húmili conditióne servum, Gregórius Turonénsis justítia líberum, athlétam quoque ínclytum, necnon magníficæ sanctitátis virum cognóminat, Aquénsibus a Deo velut Patrónus alter fuit concéssus. Is síquidem claríssimis ortus paréntibus, ne patérnæ domus blandítiis, sæculi negótiis, illécebris mundi, a diérum antiquórum cogitatióne, cui único incumbébat, nímium retraherétur, pátriam, suos et sua, juxta Christi Dñi præcéptum, relínquit, quo facílius ejus possit esse discípulus; atque apud Aquénses, non sine suprémi núminis nutu, perfúgium éligit.

℟. Probávit me Dóminus quasi aurum quod per ignem transit : vestígia ejus secútus est pes meus : * A mandátis labiórum ejus non recéssi. ℣. Scio ópera tua, et labórem, et patiéntiam : sustinuísti propter nomen meum, et non defecísti. — A.

Lectio v.

Província tunc témporis sub barbarórum gládio ingemiscébat, et sub præfectórum Romanórum secúribus lugens lamentabátur. Seronátus, quem Sidónius ævi sui Catílinam vocat, ab imperatóre fúerat revocátus, ejúsque loco suffféctus Arvándus, homo nimis ferus et immánis, suspiciósus, præceps ánimi, omniúmque libídinum máculis notíssimus; quem ad melиórem frugem revocáre summópere desíderans Mítrius, huic in famulátu esse vóluit, ut facílius hoc pacto salutáribus mónitis eum juváre posset, et pravos mores, quos imbíberat, emendáre.

℟. Ne páveas irruéntes tibi poténtias impiórum; Dóminus enim erit in látere tuo, et * Custódiet pedem tuum, ne capiáris. ℣. Audiant omnes gentes, quia liberátus sum de ore leónis, et salvum me fáciet Dóminus in regnum suum cœléste.—Custódiet. Lectio vj.

VErum ubi primum cognóvit Arvándus Mítrium Christiánæ milítiæ addíctum esse, ínfremit, excandéscit, illiúsque mortem molítur. Instigánte ígitur præfécto, furti néquiter postulátur Mítrius, et qui sua ómnia paupéribus larga manu erogáverat, is aliéna per fraudem rapuísse insimulátur; et licet a quovis crímine vácuum eum esse, evidénti miráculo demonstrétur, cápite nihilóminus truncátur Idibus Novémbris, ita jubénte Arvándo. Illud autem memóriæ próditum est, sanctum Mártyrem, abscíssum caput suum, in mánibus ad mille passus gestásse. Quo miráculo commóti Aquénses, eum summo in honóre habére cœpérunt. Illíus corpus Aquis in basílica sancti Salvatóris, summa celebritáte, ac veneratióne cólitur.

℟. Pro certo habet qui te colit, quod si in probatióne fúerit, coronábitur; * Si in tribulatióne fúerit, liberábitur. ℣. Hæc est enim grátia, si propter Dei consciéntiam sústinet quis tristítias, pátiens injúste. — Si in tribulatióne. Glória Patri. Si in tribulatióne.

In tertio Nocturno,

Aña. Agonizáre pro ánima tua, et usque ad mortem certa pro justítia.

Psalm. In Dómino confído. Dómine, quis habitábit. Dómine in virtúte. *ut in Communi unius Mart.*

Aña. In mortem trádimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli.

Aña. Certus sum quia neque mors, neque vita póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℣. Paulo minus consummavérunt me in terra. ℟. Ego autem non derelíqui mandáta tua.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Et réliqua.

Homilía sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris.

Epistola lvj. *de exhortatione Martyrii ad Thibaritanos.*

GAudére nos et exsultáre vóluit in persecutiónibus Dóminus, quia tunc dantur corónæ fídei, tunc probántur mílites Dei, tunc martyribus patent cœli. Neque enim sic no-

men milítiæ dédimus, ut pacem tantúmmodo cogitáre, et recusáre milítiam debeámus, quando in ipsa milítia primus ambuláverit Dóminus, humilitátis, et temperántiæ, et passiónis magíster : ut, quod fíeri dócuit prior, fáceret : et quod pati hortátur, prior pro nobis ipse paterétur. Sit ante óculos, fratres dilectíssimi, quod qui omne judícium a Patre solus accépit, et qui ventúrus est et judicatúrus, jam judícii sui, et cognitiónis futúræ senténtiam protúlerit, prænúntians et contéstans confessúrum se coram Patre suo confiténtes, et negatúrum negántes.

℟. Cum jam esset ad mortem, ait : * Pótius est ab homínibus morti datos, spem exspectáre a Deo íterum ab ipso resuscitándos. ℣. Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam ætérnam in qua vocátus es, et conféssus bonam confessiónem.—Pótius est.

Lectio viij.

NEque áliquis persecutiónis metu sic terreátur, ut non Evangélicis exhortatiónibus et præcéptis ac mónitis cœléstibus ad ómnia inveniátur armátus. Iráscitur adversárius et minátur, sed est qui possit de ejus mánibus liberáre. Ille metuéndus est, cujus iram nemo póterit evádere, ipso præmonénte et dicénte : Ne timuéritis eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; magis autem metúite eum qui potest et corpus et ánimam occídere in gehénnam. Et íterum : Qui amat ánimam suam, perdet illam, et qui odit ánimam suam in isto sæculo, in vitam ætérnam conservábit illam. Ecce agon sublímis et magnus, et corónæ cœléstis præmio gloriósus. Præliántes nos et fídei congressióne pugnántes spectat Deus, spectant Angeli ejus, spectat et Christus. Quanta est glóriæ dígnitas, quanta felícitas, præsénte Deo cóngredi, et Christo júdice coronári?

℟. E cœlo membra ista possídeo, sed propter Dei leges nunc hæc despício, * Quóniam ab ipso me ea receptúrum spero. ℣. Scio cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem justus judex. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

Pro Dominica, Bened. Per evangélica dicta.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio ix. *Cap.* xxiv. *b*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est a Daniéle prophéta, stantem in loco sancto : qui legit, intélligat. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri. *Lib.* 4. *Comm. in Cap.* xxiv. *Matthæi.*

Quando ad intelligéntiam provocámur, mysticum monstrátur esse quod dictum est. Légimus autem in Daniéle hoc modo : Et in dimídio hebdómadis auferétur sacrifícium et libámina : et in templo abominátio desolatiónum erit, usque ad consummatiónem témporis, et consummátio dábitur super solitúdinem. De hoc et Apóstolus lóquitur, quod homo iniquitátis, et adversárius elevándus sit contra omne quod dícitur Deus, et cólitur : ita ut áudeat stare in templo Dei, et osténdere quod ipse sit Deus : cujus advéntus secúndum operatiónem sátanæ déstruat eos, et ad Dei solitúdinem rédigat qui se suscéperint.
Te Deum laudámus.

Ad laudes,

et per Horas, Añæ.

1. In tentatióne * invéntus est fidélis, et reputátum est ei ad justítiam.
Psalm. Dóminus regnávit. *cum reliq. de Laud. Domin.*

2. Scio quóniam * víncula et tribulatiónes me manent, sed nihil horum véreor.

3. Non solum alligári, * sed et mori parátus sum, propter nomen Dñi Jesu.

4. Tecum parátus sum, Dómine, * et in cárcerem, et in mortem ire.

5. Secúndum exspectatiónem * meam magnificábitur Christus in córpore meo per mortem.

Capitulum. *Philipp.* j.

Vobis donátum est non solum ut in Christum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini, idem certámen habéntes, quale vidístis in me, et nunc audístis de me.

Hymnus.

Nostri dum cánimus prœlia Mártyris,
Quem tu præsídio cœlitus índito
Munísti, fácilem, summe Deus, piis
Aurem cántibus ádmove.

Natus conspícuis ille paréntibus, [potens,
Multis ille bonis egrégie
Linquit sponte suos, et sua, se quoque,
Christi páuperis æmulus.

Sic spretæ dóminus splendídior rei, [ribus manu,
Quam larga tríbuit paupé-
Parca vix rétinens quod satis est sibi,
Magnas inter opes inops.

Princeps Tartáreus sacrílega furens
Ex hinc invídia, quot púgilem minis,
Quot tentat nécibus! te duce, nihil timet,
Vir fortis, nisi non pati.

Quanto corde suum carnífici caput
Truncándum dat ovans; mox própria manu
Truncátum rapit, et magnánimo pede,
Fanis ipse tuis refert.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Sit compar párili laus quoque Flámini,
Per quem Martyribus nil cruce majus est,
Per quem grande mori lucrum. Amen.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Ad Bened. Aña. Oculus Dei respéxit illum in bono, eréxit eum ab humilitáte ipsíus, et exaltávit caput ejus.

Oratio.

Vide, Dómine, infirmitátem nostram, et quia sine te non póssumus áliquid quasi ex nobis, beáti Mítrii Mártyris intercessióne, suppóne júgiter manum tuam : ne nos inférni terror dejíciat, mundánus error emólliat. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. Domin. *Aña.* Cum vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est a Daniéle prophéta, stantem in loco sancto : qui legit, intélligat.

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte. **Oratio.**

Excita, quæsumus Dómine, tuórum fidélium voluntátes : ut divíni óperis fructum propénsius exsequéntes, pietátis tuæ remédia majóra percípiant. Per Dóminum.

Ad Primam, Aña. In tentatióne.

Ad tertiam,

Aña. Scio quóniam.
Capit. Vobis donátum est. *ut supra ad Laudes.*

℟. *br.* Fortitúdo mea * Et laus mea Dóminus. Fortitúdo. ℣. Factus est mihi in salútem. Et laus. Glória Patri. Fortitúdo.

℣. Propter verba labiórum tuórum. ℟. Ego custodívi vias duras.

Ad sextam,

Aña. Non solum alligári.

Capitulum. 2. *Tim.* ij.

Fidélis sermo : Si commórtui sumus et convivémus; si sustinébimus, et conregnábimus.

℟. *br.* Propter verba * Labiórum tuórum. Propter. ℣. Ego custodívi vias duras. Labiórum. Glória Patri. Propter.

℣. Paulo minus consummavérunt me in terra. ℟. Ego autem non derelíqui mandáta tua.

Ad nonam,

Aña. Secúndum exspectatiónem.

Capitulum. 2. *Cor.* ix.

Persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur; dejícimur, sed non perímus, semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes.

℟. *br.* Paulo minus * Consummavérunt me in terra. Paulo minus. ℣. Ego autem non derelíqui mandáta tua.

Consummavérunt. Glória Patri. Paulo minus.
℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Ad ii. vesperas,

Aña. In tentatióne. *cum reliquis de Laudibus. Psalm.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi, Psalm.* Crédidi. *Capit. et Hymn. de Laud.*
℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.
Ad Magnif. Aña. Hoc modo vita decéssit, univérsæ genti memóriam mortis suæ ad exémplum virtútis et fortitúdinis derelínquens.
Oratio. Vide, Dñe. *supra. Deinde fit Commem. Domin. Aña.* Amen dico vobis, quia non præteríbit generátio hæc, donec ómnia fiant : cœlum et terra transíbunt, verba autem mea non transíbunt, dicit Dóminus.
℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.
Oratio. Excita. *ut supra.*

PRIMA DIE

QUA FIT DE OCT. S. MITRII.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Máximi Epíscopi. *Hom.* lxiij. *de sanctis Tauricis Martyribus.* **Lectio iv.**


Um ómnium sanctórum Mártyrum, fratres, devotíssime natálem celebráre debeámus, tunc præcípue eórum solémnitas tota nobis veneratióne curánda est, qui in nostris domicíliis próprium sánguinem profudérunt. Nam licet univérsi sancti ubíque sint, et ómnibus prosint, speciáliter illi tamen pro nobis intervéniunt, qui et supplícia pertulére pro nobis. Martyr enim cum pátitur, non sibi tantum pátitur, sed et cívibus. Sibi enim pátitur ad præmium, cívibus ad exémplum. Sibi pátitur ad réquiem, cívibus ad salútem. ℟. Probávit me.

Lectio v.


xémplo enim eórum didícimus Christo crédere; didícimus contuméliis vitam ætérnam quærere, mortem didícimus non timére. Vidéte ergo quid martyribus debeámus: in quo alter tortus est, ut álius salvarétur; alter carníficem pértulit, ut Christum alter agnósceret; alter morti addíctus est, ut álius vita potirétur ætérna; et ad postrémum sanctus occísus est, ut peccátor mortem ætérnam eváderet.
℟. Ne páveas. **Lectio vj.**


Eáti ígitur Mártyres nec sibi vixérunt, nec sibi sunt mórtui. Exémplum enim nobis reliquérunt, bene vivéndo, conversatiónis; tolerándo fórtiter, passiónis. Nam ídeo Dóminus per totum mundum divérsis in locis pati Mártyres vóluit, ut

tamquam idónei testes nos præsénti quodámmodo fídei exémplo suæ confessiónis urgérent : ut humána fragílitas, quæ prædicatiónis Domínicæ áditu longióre vix credit, vel præsénti oculórum testimónio, martyrio créderet Beatórum. Cuncti ígitur Mártyres devotíssime percoléndi sunt : sed speciáliter ii venerándi sunt a nobis, quorum relíquias possidémus : illi enim nos oratiónibus ádjuvant : isti étiam ádjuvant passióne. Cum his autem nobis familiáritas est : semper enim nobíscum sunt, nobíscum moràntur : hoc est et in córpore nos vivéntes custódiunt, et de córpore recedéntes excípiunt. ℟. Pro certo habet.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis: Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Et réliqua.

Homilía S. Cypriáni Epíscopi et Mártyris. *De Epist.* lvj. *de exhortat. Martyr. ad Thibarit.*

Si mortem possémus evádere, mérito mortem timerémus. Porro autem cum mortálem mori necésse sit, amplectámur occasiónem de divína promissióne et dignatióne veniéntem, et fungámur éxitu mortis cum præmio immortalitátis; nec vereámur occídi, quos constet quando occídimur coronári. Spectat mílitem suum Christus ubicúmque pugnántem, et persecutiónis causa pro nóminis sui honóre moriénti præmium reddit, quod datúrum se in resurrectióne promísit. ℟. Cum jam esset.

Lectio viij.

Dies ille qualis et quantus advéniet, fratres dilectíssimi, cum cœperit pópulum suum Dóminus recensére, et divínæ cognitiónis exámine singulórum mérita recognóscere, míttere in gehénnam nocéntes, et persecutóres nostros flammæ pœnális perpétuo ardóre damnáre, nobis vero mercédem fídei et devotiónis exsólvere. Quæ erit glória, et quanta lætitia admítti, ut Deum vidéas; honorári, ut cum Christo Dómino Deo tuo salútis ac lucis ætérnæ gáudium cápias? ℟. E cœlo membra ista.

Lectio ix.

Cum revelátio illa vénerit, cum cláritas super nos Dei fúlserit, tam beáti érimus, et læti, dignatióne Dómini honorári, quam rei remanébunt et míseri, qui Dei desertóres, aut contra Deum rebélles voluntátem fecérunt diáboli, ut eos necésse sit cum ipso simul inexstin-

guíbili igne torquéri. Hæc, fratres dilectíssimi, hæreant córdibus vestris. Hæc sit armórum nostrórum præparátio, hæc diúrna ac noctúrna meditátio, ante óculos habére, et cogitatióne semper ac sénsibus vólvere iniquórum supplícia, et præmia ac mérita justórum: quid negántibus Dñus comminétur ad pœnam, quid contra confiténtibus promíttat ad glóriam. Te Deum.

SECUNDA DIE

QUA FIT DE OCT. S. MITRII.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Ex tractátu S. Cypriáni Epíscopi et Mártyris. *De duplici Martyrio.* Lectio iv.



Uis nescit, fratres, quam úberem provéntum effúdit Ecclésiæ seges, Apostolórum ac ceterórum Mártyrum sánguine irrigáta? Quo plus sánguinis effúsum est, hoc magis ac magis efflóruit multitúdo fidélium: hoc látius sparsit suas propágines illa beáta vitis a Christo stirpe surgens, et óccupans orbem univérsum, quacúmque patet ab oriénte ad occidéntem, ab aquilóne usque ad austrum. Nullum enim instruméntum indubitabílius, quam quod tot Mártyrum sánguine signátum est. Hoc nimírum est implére verbum Dei, hoc est replére Evangélium. Sed ínterim gravíssimus dolor oborítur ánimo meo, dilécti, dum mecum réputo, cum adhuc recens ille Christi sanguis fervére débeat in córdibus fidélium, tam multos esse in quibus refríxit cáritas: atque hoc grávius discrúcior, quod tales non paucos pastóres hábeat Ecclésia, qui non solum non oppónunt córpora sua advérsus lupórum incúrsus, verum étiam ipsi lupos agunt, dum mactant ac perdunt ánimas simplícium, adeóque non implent verbum Dei, ut illud cauponéntur pótius, et ímpiis dogmátibus adúlterent. ℟. Probávit me. Lectio v.



Riplex a Christo testimónium accépimus, triplex illi testimónium reddámus opórtet. Rudiménta fidéliter tradámus baptizándis, perfectióra baptizátis. Confirmémus illos frúctibus Spíritus, ad cœléstem vitam provocántes, et, si res póstulet, libénter étiam vitam commísso nobis gregi impendámus, nostráque morte vicíssim Deum clarificémus. Et ne cui videátur mirum, morte hóminum glorificári Deum, audi beátum Joánnem in Evangélio de Petro, cui Dóminus prædíxerat fore ut, ubi senuísset, ab álio cingerétur et ducerétur quo nollet, ita loquéntem: Signíficans, qua morte esset glorificatúrus Deum. ℟. Ne páveas irruéntes.

Lectio vj.

Quotquot ígitur ab orbe cóndito propter Deum, propter justítiam ac pietátem mórtui sunt, morte sua glorificavérunt Deum. Nam eleemósynas, jejúnia, precatiónes, aliáque pietátis exercitaménta símulant étiam hypócritæ : mortem nemo suscépit alácriter, nisi qui certo persuásum habéret, nihil advérsi posse accídere iis qui persístunt in caritáte Dei. Neque tamen statim Martyr est, qui occíditur : occidúntur et sicárii et pirátæ : non supplícium facit mártyrem, sed causa. Quod si qui legúntur sibi fórtiter conscivísse necem, aut infírmitas erat morte quærens dolórum finem, aut ambítio, aut deméntia.

℟. Pro certo habet.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* x.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Hom. xxxvij. *ex* l. *Homiliis.*

Qui amat ánimam suam perdet illam. Quod amas ad tempus quid prodest? aut subdúceris illi, aut subdúcitur tibi. Cum fúeris tu subtráctus, perit ipse amátor : cum fúerit illud subtráctum, perit quod amásti. Ubi ergo aut amátor perit, aut quod amátur, non est amándum. Sed quid est amándum? Quod nobíscum potest esse in ætérnum. Sed si vis ánimam tuam in ætérnum habére salvam, óderis eam ad tempus. Ergo ódium rectum ab amóre venit, pervérsus amor ab ódio venit.

℟. Cum jam esset.

Lectio viij.

Quis ígitur modus diligéndi ánimam? Putátis, mártyres non amábant ánimas suas? Vidétis certe modo, si cujus vita præséntis sæculi periclitétur, quómodo amíci ejus currunt pro ea; quómodo cúrritur ad Ecclésiam, rogátur Epíscopus, ut intermíttat si quas habet actiónes, currat, festínet. Quare? Pro ánima. Quid est, pro ánima? Ne moriátur homo. Non nóverant mártyres amáre ánimas suas, et tamen hoc est pro ánima, ne moriátur homo. Mors hóminis iníquitas est.

℟. E cœlo membra.

Lectio ix.

Si curris pro hac vita centum míllia, quot míllia debes cúrrere pro vita ætérna. Si festínas lucrári dies paucos, et ipsos incértos; hódie enim homo a morte liberátus, nescit utrum cras moriátur : ta-

men si sic cúrritur propter lucrum paucórum diérum, quia et usque in senéctam pauci dies sunt, quómodo curréndum est pro vita ætérna? Et tamen propter hanc pigri sunt hómines. Diffícile ínvenis qui vel passus lente móveat pro vita ætérna. Amor ergo pervérsus ánimæ abúndat, amor autem rectus valde paucórum est.

Te Deum laudámus.

TERTIA DIE

QUA FIT DE OCT. S. MITRII.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Ambrósii Epíscopi. *De Sermone in natali SS. Nazarii, etc. Serm.* xiv.

Lectio iv.



Santus Christi testis, pretiósus confessióne, pretiósior sánguine, crudéli vúlnere pretiósior, et tincta veste candídior, licet hic (Aquénsium) peculiáris putétur privilégio sepúlcri, sed ómnium est communióne suffrágii. Non cláuditur locis, quod diffúnditur méritis. Invocásti ubíque Mártyrem, ubíque te exaudívit ille, qui honorátur in mártyre. Moderánte ítaque eo, qui pensat vota tua, et dispénsat múnera sua, in tantum vicína præséntia efficácis præbébitur advocáti, in quantum fúerit fides devóta suscépti : orátio enim quæ castitátis, justítiæ, et eleemosynárum opéribus adjuvátur, excédit mundum, pénetrat paradísum, évolat usque ad ipsum summæ majestátis, Angelo conferénte, conspéctum, sicut quodam loco vox testátur Angélica : Et cum tu, inquit, oráres, ego óbtuli oratiónem tuam in conspéctu claritátis Dei.

℟. Probávit me. Lectio v.



Beáta ánima, caríssimi, cujus votum, cujus compunctiónis incénsum, cujus supplicatiónis holocáustum, nulla infidelitáte fúmidum, nullo carnális illécebræ fœtóre pollútum, nulla sævítia cruentátum, nulla ódii simultáte maculátũ, sed fide ígneum, consciéntia nítidum, sinceritáte cordis odoríferum, concórdia et caritáte perféféctum, usque ad Dei vultum, per cœléstium nuntiórum defértur obséquia. Quæ cum ita sint, honorémus beátos mártyres, príncipes fidei, intercessóres mundi, præcónes regni, coherédes Dei. Quod si dicas mihi : Quid honóras in carne jam resolúta atque consúmpta, de qua nulla jam Deo cura est? Et ubi est illud, caríssimi, quod ipsa Véritas lóquitur per Prophétam? Pretiósa, inquit, in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Honoráre debémus servos Dei, quanto magis amícos Dei?

℟. Ne páveas irruéntes.

Lectio vj.

Honóro ergo in carne mártyris excéptas pro Christi nómine cicatríces, honóro vivéntis memóriam perennitáte virtútis, honóro per confessiónem Dómini sacrátos cíneres, honóro in cinéribus sémina æternitátis, honóro corpus, quod mihi Dóminum meum osténdit dilígere, quod me propter Dóminum mortem dócuit non timére. Cur autem non honórent corpus illud fidéles, quod reveréntur et dæmones? quod et afflixérunt in supplício : sed gloríficant in sepúlcro? Honóro ítaque corpus, quod Christus honorávit in gládio, quod cum Christo regnábit in cœlo.

℟. Pro certo habet.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis: Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Et réliqua.

Sermo S. Cypriáni Epíscopi et Mártyris. *De duplici Martyrio.*

Plúrimum ínterest inter barbáricam immanitátem, et Mártyrum modestíssimam constántiam, in se imbecíllem, in Christo fortem. Sunt qui certis ártibus corpus stupefáciunt, ne séntiat cruciatus : hoc modo se quidem maléfici múniunt advérsus carníficum manus. Sunt et affé̄ctus impoténtes, qui sensum ádimunt ánimo, ita ut vel mortem impávidi pérferant. Sed plácidum illud ac mansuétum, illud humíliter sublíme et sublímiter húmile, non vidémus nisi in Christi martyribus. Non obtuéntur trúcibus óculis carníficem, non minitántur tyránno : magis dolent de illórum cæcitáte, quam de suis afflictiónibus. Scílicet clamat et in illis Christus : Pater, ignósce illis, quia nésciunt quid fáciunt.

℟. Cum jam esset.

Lectio viij.

Non áliud spectant quam in cœlum, ubi spem omnem habent repósitam. Sic ipse Dóminus velut agnus sine voce ad mactatiónem ductus est : et si quam édidit vocem, ea magis declarávit ánimum mitem ac plácidum, quam ullum potuísset siléntium. Quam blanda oratióne compéllit Judam proditórem! Quam plácide respóndit cæsus álapa! Quam nihil ferócius lóquitur Annæ et Cáiphæ! Quam tranquílle respóndit Piláto! Dénique cum Pharisæi véluti victóres movébant cápita sua, amaríssimis convíciis in illum debacchántes, ille mitíssimus clamat : Pater, ignósce illis,

quia nésciunt quid fáciunt. Non ígitur mori per se testimónium est, sed sic mori est testimónium præbére Deo. ℟. E cœlo membra.

Lectio ix.

Qui ex ánimo díligit vitam cœléstem, fácile vilem habet ánimam; atque illi, cum beáto Paulo, vívere Christus est, mori lucrum. An non ingens lucrum est, hanc et brevem et innúmeris malis contaminátam vitam cum sempitérna felicitáte commutáre? Hic Dóminus, quemádmodum et céteris ómnibus sese formam nobis exhíbuit. Cum enim instáret extrémus actus martyrii, quem áiunt in fábulis oportére esse óptimum, secéssit, objécit sese in terram, prolíxe, atque étiam frequénter, ac sanguíneo sudóre madéscens, nostræ natúræ in se expréssit imbecillitátem, ante testátus ánimi tædium, ac tristítiam usque ad mortem, ne nos in desperatiónem caderémus, si cum ómnia mortem præséntem inténtant, horrórem natúræ sensérimus. Nisi enim adésset sensus dolórum, nihil habéret admirábile martyrium : sed superáre dolórem, coróna dignum est. Horrére mortem, natúra est. Víncere natúram ánimi fortitúdine, grátia est. Te Deum laudámus.



Officia Propria
Dioecesis
Burdigalensis

juxta exemplar a S. R. Congregatione revisum et correctum et a SS. D. D. N. N. Pio PP. IX. approbatum, ac de mandato Illmi et Emi Cardinalis Donnet Archiepiscopi Burdigalensis edita.

Pars Hiemalis.







Tornaci Nerviorum, Typis Societatis S. Joannis Evang.
Desclée, Lefebvre et Soc. m.dccc.lxxxv.

BURDIGALEN.

T inter Clerum etiam civitatis, atque integræ Archidiœcesis Burdigalensis, in explenda divina psalmodia, sacrosancto Missæ sacrificio litando, ceterisque instituendis Ecclesiasticis functionibus, exoptata uniformitas habeatur cum hac sancta Apostolica Sede, Magistra veritatis, Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Franciscus Augustus Ferdinandus Donnet, illius Ecclesiæ Archiepiscopus, pastoralem curam suam studiumque præcipuum impendit ut juxta Ritum Romanum Kalendarium perpetuum religiosissime elaboratum ibi quotidianam liturgiam ita ordinaret, ut in usu Breviarii Missalisque Romani debitus etiam tribueretur cultus Sanctis illis quorum memoria penes Burdigalenses fideles in benedictione permanet, atque a remotissimis usque temporibus eosdem venerari singuli in deliciis habent. Inde studio ac religione non absimili eorum historias, resque præclare gestas ex indubiis monumentis colligens, Proprium Officiorum atque Missarum pro memorato sibi commisso Clero confecit, et opus omne, humillimis datis precibus, Sanctissimo Domino nostro Pio IX, Pontifici Maximo, exhibuit pro requisita Apostolica approbatione. Quas quidem preces, cum spectatissimi etiam Cleri Burdigalensis referrent studia, Sanctitas Sua benigne excepit, mandavitque ut supra singulis diligens de more examen institueretur; cujus ope cum nonnulla fuerint juxta Sanctitatis Suae mentem correcta et ordinata, uti superiori in exemplari adnotantur, Kalendarium idem perpetuum, propositumque Proprium Officiorum atque Missarum, tandem idem sanctissimus Dominus noster, referente me subscripto sacrorum Rituum Congregationis Secretario, suprema auctoritate sua approbavit, mandavitque ut unice juxta ipsa in Archidiœcesi Burdigalensi divina liturgia ordinetur et expleatur; injuncto onere ut postquam omnia iterum typis fuerint commissa, duplex authenticum exemplar ad sacram Rituum Congregationem quam celeriter transmittatur. Quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus.

Die 22 Decembris 1853.

R. Card. LAMBRUSCHINI,

Locus † sigilli. *S. R. C. Præfect.*

Dom. Gigli, *S. R. C. Secret.*

Concordat cum originali :

✠ Ferdinandus, Card. DONNET,

Archiepisc. Burdigalens.



Kalendarium perpetuum

PRO CLERO CIVITATIS ATQUE INTEGRÆ DIŒCESIS BURDIGALENSIS.

Januarius.

1 CIRCUMCISIO D. N. J. C., *dupl. ii. classis.*
2 Octava S. Stephani, *dupl.* Commem. Octavarum.
3 Octava S. Joannis, Apost., *dupl.* Commem. Octav.
4 Octava SS. Innocentium, *dupl.*
5 Vigilia Epiphaniæ, *semid.* Commem. S. Telesphori, Papæ et Mart.
6 EPIPHANIA DOMINI, *dupl. i. cl.* cum Octava.
7 De Octava Epiphaniæ, *semid.*
8 De Octava, *semid.*
9 De Octava, *semid.*
10 De Octava, *semid.*
11 De Octava, *semid.* Commem. S. Hygini, Papæ et Mart.
12 De Octava, *semid.*
13 Octava Epiphaniæ, *dupl.*
14 S. Hilarii, Episc., Conf. et Doct., *dupl.* Commem. S. Felicis, Presb. et Mart.
15 S. Pauli, primi Eremitæ, *dupl.* Commem. S. Mauri, Abbatis.
16 S. Marcelli, Papæ et Mart., *semid.*
17 S. Antonii, Abbatis, *dupl.*
18 *Cathedra S. Petri Romæ,* dupl. maj. Commem. S. Pauli, Apost. et S. Priscæ, Virg. et Mart.
19 S. Canuti, Regis, Mart., *semid. ad libit.* Commem. SS. Marii, etc., Mart.
20 SS. Fabiani et Sebastiani, Mart., *dupl.*
21 S. Agnetis, Virg. et Mart. *dupl.*
22 SS. Vincentii et Anastasii, Mart., *semid.*
23 *Desponsatio B. M. V. cum sancto Joseph,* duplex majus. Commem. S. Joseph, ejus Sponsi et S. Emerentianæ, Virg. et Mart.
24 S. Timothei, Episc. et Mart., *dupl.*
25 *Conversio S. Pauli,* dupl. maj. Commem. S. Petri, Apost.
26 S. Polycarpi, Episc. et Mart., *dupl.*
27 S. Joannis Chrysostomi, Episc., Conf. et Doct., *dupl.*
28 S. Agnetis, *secundo,* Virg. et Mart.
29 S. Francisci Salesii, Episc., Conf. et Doct., *dupl.*
30 S. Martinæ, Virg. et Mart., *semid.*
31 S. Petri Nolasci, Conf., *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Dominica II. post Epiphaniam, FESTUM SS. NOMINIS JESU, *dupl. ii. classis.*

Feria III. post Dom. Septuag., *Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti,* dupl. maj.

Feria III. post Dom. Sexag., *Commem. Passionis D. N. J. C.,* dupl. maj.

Feria VI. post Cineres, *Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C.,* duplex majus.

Februarius.

1 S. Ignatii, Episc. et Mart., *dupl.*
2 PURIFICATIO B. M. V., *dupl. ii. classis.*
3 S. Blasii, Episc. et Mart.
4 S. Joannæ Valesiæ, Reginæ Franciæ, Viduæ, *duplex.*
5 SS. XXVI. Martyrum Japonensium, *dupl.*
6 S. Titi, Ep. et Conf., *dupl.* Comm. S. Dorotheæ, Virg. et Mart.
7 S. Romualdi, Abbatis, *dupl.*
8 S. Joannis de Matha, Conf., *dupl.*
9 S. Andreæ Corsini, Episc. et Conf., *dupl.* (Dies fixa ex 4 hujus.) Commem. S. Apolloniæ, Virg. et Mart.
10 S. Scholasticæ, Virg. *dupl.*
11 S. Agathæ, Virg. et Mart., *duplex.* (Dies fixa ex 5 hujus.)
12 S. Cyrilli Alexandrini Episc., Conf. et Doct., *dupl.* (Dies fixa ex 9 Febr.
13 S. Raymundi de Pennafort, Conf., *semid.* (Dies fixa ex 23 Jan.)
14 S. Valentini, Presbyt. et Mart.
15 SS. Faustini et Jovitæ, Mart.
16
17
18 S. Simeonis, Episc. et Mart.
19
20
21
22 *Cathedra S. Petri Antiochiæ*, dupl. majus. Commem. S. Pauli, Apost.
23 S. Petri Damiani, Episc. Conf. et Doct., *dupl.* Commem. Vigil.
24 S. MATHIÆ, APOSTOLI, *dupl. ii. classis.*
25
26
27
28

FESTA MOBILIA.

Feria VI. post Dom. I. Quadrag., *SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.* dupl. maj.
Feria VI. post Dom. II. Quadrag., *Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C.* dupl. maj.
Feria VI. post Dom. III. Quadrag., *Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. C.* dupl. maj.
Feria VI. post Dom. IV. Quadrag., *Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.* dupl. maj.

Martius.

1
2
3
4 S. Casimiri, Conf., *semid.* Commem. S. Lucii, Papæ et Mart.
5
6
7 S. Thomæ de Aquino, Conf. et Doct., *dupl.* Commem. SS. Perpetuæ et Felicitatis, Mart.
8 S. Joannis de Deo, Conf., *dupl.*
9 S. Franciscæ, Romanæ Viduæ, *dupl.*

10 SS. Quadraginta Martyrum, *semid.*
11
12 S. Gregorii, Papæ, Conf. et Doct., *dupl.*
13
14
15
16
17 S. Patritii, Episc. et Conf., *dupl.*
18 *S. Gabrielis, Archangeli,* dupl. maj.
19 S. JOSEPH, SPONSI B. M. V., CATHOLICÆ ECCLESIÆ PATRONI, *duplex i. classis.*
20 S. Cyrilli Hierosolymitani Ep., Conf. et Doct., *dupl.* (Dies fixa ex 18 Mart.)
21 S. Benedicti, Abbatis, *dupl. maj.*
22
23
24
25 ANNUNTIATIO B. M. V. *dupl. ii. classis.*
26
27
28
29
30
31

FESTUM MOBILE.

Feria VI. post Dom. Passionis, *Festum Septem Dolorum B. M. V.*, dupl. maj.

Aprilis.

1
2 S. Francisci de Paula, Conf., *dupl.*
3
4 S. Isidori, Episc., Conf. et Doct., *dupl.*
5 S. Geraldi, Abbatis, *duplex.*
6 S. Vincentii Ferrerii, Conf., *dupl.* (Dies fixa ex 5 hujus.)
7 B. Julianæ Cornelionensis, Virg., *dupl.*
8
9
10
11 S. Leonis, Papæ, Conf. et Doct. *dupl.*
12
13 S. Hermenegildi, Mart., *semid.*
14 S. Justini Mart. *dupl.* Comm. SS. Tiburtii, Valeriani et Maximi, Mart.
15
16
17 S. Aniceti, Papæ et Mart.
18
19
20
21 S. Anselmi, Episc., Conf. et Doct., *dupl.*
22 SS. Soteris Caii, Pont. et Mart., *semid.*
23 S. Georgii, et Mart., *semid.*

24 S. Fidelis a Sigmaringa, Mart., *dupl.*
25 S. Marci, Evangelistæ, *dupl. ii. classis.*
26 SS. Cleti et Marcellini, Pont. et Mart., *semid.*
27
28 S. Pauli a Cruce, Conf., *dupl.* Commem. S. Vitalis Mart.
29 S. Petri, Mart., *dupl.*
30 S. Eutropii, Episc. et Mart., *dupl.*

FESTUM MOBILE.

Dom. III. post Pascha, Festum Patrocinii S. Joseph, *duplex ii. classis.*

Maius.

1 SS. Philippi et Jacobi, Apost., *dupl. ii. classis.*
2 S. Athanasii, Episc., Conf. et Doct., *dupl.*
3 Inventio sanctæ Crucis, *dupl. ii. cl.* Commem. SS. Alexandri, etc., Mart., ac S. Juvenalis, Episc. et Conf.
4 S. Macarii, Episc. et Conf., *dupl.* In Eccles. Metrop. *dupl. maj.*
5 S. Pii V., Papæ et Conf., *dupl.*
6 *S. Joannis ante portam Latinam*, dupl. maj.
7 S. Stanislai, Episc. et Mart., *dupl.*
8 *Apparitio S. Michaelis, Archangeli*, dupl. maj.
9 Translatio S. Andreæ, Apost. *dupl.* In Eccles. Metrop. *dupl. ii. cl.*
10 S. Antonini, Episc. et Conf., *dupl.* Commem. SS. Gordiani et Epimachi, Mart.
11 S. Catharinæ Senensis, *dupl.* (Dies fixa ex 30 Aprilis.)
12 SS. Nerei, Achillei, Domitillæ, Virg., atque Pancratii, Mart., *semid.*
13 S. Monicæ, Viduæ, *dupl.* (Dies fixa ex 4 hujus.)
14 S. Gregorii Nazianzeni, Episc., Conf. et Doct., *dupl.* (Dies fixa ex 9 hujus.) Commem. S. Bonifacii, Mart.
15
16 S. Fortis, Episc. et Mart., *dupl.*
17 S. Joannis Nepomuceni, Mart., *dupl.*
18 S. Venantii, Mart., *dupl.*
19 S. Petri Cœlestini, Papæ et Conf., *dupl.* Commem. S. Pudentianæ, Virg,
20 S. Bernardini Senensis, Conf., *semid.*
21 S. Paschalis Baylon, Conf., *dupl.*
22 S. Quitteriæ, Virg. et Mart., *duplex.*
23 S. Ubaldi, Episc. et Conf., *semid.* (Dies fixa ex 16 hujus.)
24 *B. M. V. sub titulo Auxilium Christianorum*, dupl. maj.
25 S. Gregorii VII, Papæ et Conf. *dupl.* Commem. S. Urbani, Papæ et Mart.
26 S. Philippi Nerii, Conf., *dupl.* Commem. S. Eleutherii, Papæ et Mart.
27 S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Virg., *semid.* Commem. S. Joannis, Papæ et Mart.
28 SS. Mulierum Mariæ Jacobi et Salome, *dupl.*
29 S. Augustini, Ep. et Conf. Cantuar., *dupl.* (Dies fixa ex heri.)
30 S. Ferdinandi, Conf., *duplex.* Commem. S. Felicis, Papæ et Mart.
31 S. Angelæ Mericiæ, Virg., *dupl.* Commem. S. Petronillæ, Virg.

FESTUM MOBILE.

Dominica III. post Pentecosten, et in Ecclesia Metropolitana, Feria VI. post Octavam Corporis Christi, SS. Cordis Jesu, *duplex majus.*

Junius.

1 S. Clari, Episc. et Mart. *dupl.*
2 SS. Marcellini, Petri atque Erasmi, Mart.
3
4 S. Francisci Caracciolo, Conf. *dupl.*
5 S. Bonifacii, Episc. et Mart., *dupl.*
6 S. Norberti, Episc. et Conf. *dupl.*
7
8
9 SS. Primi et Feliciani, Mart.
10 S. Margaritæ, Reginæ Scotiæ, *semid.*
11 *S. Barnabæ, Apostoli*, dupl. maj.
12 S. Joannis a S. Facundo, Conf., *dupl.* Commem. SS. Basilidis, etc., Mart.
13 S. Antonii de Padua, Conf., *dupl.*
14 S. Basilii Magni, Episc., Conf. et Doct., *dupl.*
15 S. Germanæ Cousin, Virg., *dupl.* Commem. SS. Viti, Modesti atque Crescentiæ, Mart.
16 S. Joannis Francisci Regis, Conf., *dupl.*
17
18 S. Amandi, Episc. et Conf., *dupl.* Commem. SS. Marci et Marcelliani, Mart.
19 S. Julianæ de Falconeriis, Virg., *dupl.* Commem. SS. Gervasii et Protasii, Mart.
20 S. Silverii, Papæ et Mart.
21 S. Aloysii Gonzagæ, Conf., *dupl.*
22 S. Paulini, Episc. et Conf., *duplex.*
23 Vigilia.
24 NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ, *duplex i. classis* cum Octava.
25 S. Gulielmi, Abb., *dupl.* Commem. Octav.
26 SS. Joannis et Pauli, Mart., *dupl.* Commem. Octav.
27 De infra Oct. Nativ. S. Joannis, *semid.*
28 S. Leonis, Papæ et Conf., *semid.* Commem. Octav. et Vigil.
29 SS. PETRI ET PAULI, APOST., *duplex i. classis* cum Octava. Commem. omnium SS. Apostolorum.
30 Commemoratio S. Pauli, Apost., *dupl.* Commem. Octavæ S. Joannis.

Julius.

1 Octava S. Joannis Baptistæ, *dupl. maj.* Commem. Oct. Apost.
2 VISITATIO B. M. V., *dupl. ii. cl.* Commem. SS. Processi et Martiniani, Mart., tantum.
3 S. Martialis, Episc. et Conf., *dupl.* Commem. Octavæ.
4 De infra Octavam, *semid.*
5 S. Michaelis de Sanctis, Conf., *dupl.* Commem. Oct.
6 Octava SS. Apost. Petri et Pauli, *dupl.*
7 SS. Cyrilli et Methodii, Episc. et Conf., *dupl.* (Dies fixa e 5 hujus.)

8 S. Elisabeth, Reginæ Portugalliæ, Viduæ, *semid.*
9 *Festum Prodigiorum B. M. V.*, duplex majus.
10 SS. Septem Fratrum, et SS. Rufinæ ac Secundæ, Mart., *semid.*
11 S. Leontii, Episc. et Conf., *dupl.* Commem. S. Pii, Papæ et Mart.
12 S. Joannis Gualberti, Abbatis, *dupl.* Commem. SS. Naboris et Felicis, Mart.
13 S. Anacleti, Papæ et Mart., *semid.*
14 S. Bonaventuræ, Episc., Conf. et Doct., *dupl.*
15 S. Henrici, Imperat., Conf., *semid.*
16 *B. M. V. de Monte Carmelo*, dupl. maj.
17 B. Simonis Stockii, Conf., *dupl.*
18 S. Camilli de Lellis, Conf., *dupl.* Commem. S. Symphorosæ cum septem Filiis, Mart.
19 S. Vincentii a Paulo, Conf., *dupl.*
20 S. Hieronymi Æmiliani Conf., *dupl.* Commem. S. Margaritæ, Virg. et Mart.
21 S. Alexii, Conf., *semid.* (Dies fixa ex 17 hujus.) Commem. S. Praxedis, Virg.
22 S. Mariæ Magdelenæ, *dupl. maj.*
23 S. Apollinaris, Episc. et Mart., *dupl.* Commem. S. Liborii, Episc. et Conf.
24 Vigilia. Commem. S. Christinæ, Virg. et Mart.
25 S. JACOBI, APOST., *dupl. ii. cl.* Commem. S. Christophori, Mart.
26 S. ANNÆ, MATRIS B. M. V., *dupl. ii. classis.*
27 S. Pantaleonis, Mart.
28 SS. Nazarii, Celsi, Victoris, Papæ, Martyrum, ac Innocentii, Papæ et Conf., *semid.*
29 S. Marthæ, Virg., *dupl. maj.* Commem. SS. Felicis, Simplicii, etc., Mart.
30 SS. Abdon et Sennen, Mart.
31 S. Ignatii de Loyola, Conf., *dupl.*

FESTUM MOBILE.

Dom. I. Julii, PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C. *dupl. ii. classis.*

Augustus.

1 *S. Petri ad Vincula*, dupl. maj. Commem. S. Pauli, Apost., et SS. Machabæorum, Mart.
2 S. Alphonsi Mariæ de Ligorio, Episc., Conf. et Doct., *dupl.* Commem. S. Stephani, Papæ et Mart.
3 Inventio S. Stephani, Protomart., *semid.*
4 S. Dominici, Conf., *dupl. maj.*
5 *Dedicatio S. Mariæ ad Nives*, dupl. maj.
6 *Transfiguratio D. N. J. C.*, dupl. maj. Commem. SS. Xysti, Felicissimi, etc., Mart.
7 S. Cajetani Thienæi, Conf., *dupl.* Commem. S. Donati, Episc. et Mart.
8 S. Mummoli, Abbatis, *duplex.*
9 SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi, Mart., *semid.* (Dies fixa ex 8 hujus.) Commem. Vigiliæ, et S. Romani, Mart.
10 S. LAURENTII, MART., *dupl. ii. classis.*

11 De infra Oct. Commem. SS. Tiburtii et Suzannæ, Mart.
12 S. Claræ, Virg. *dupl.* Commem. Oct.
13 De infra Oct. Commem. SS. Hippolyti et Cassiani, Mart.
14 De infra Oct. Commem. Vigil., et S. Eusebii, Conf.
15 ASSUMPTIO B. M. V., *dupl. i. cl.* cum Octava.
16 S. Rochi, Conf., *dupl.* Commem. Octavarum.
17 Octava S. Laurentii, *dupl.* Commem. Oct. Assumpt.
18 S. Hyacinthi, Conf., *dupl.* (Dies fixa ex 16 hujus.) Commem. Oct., et S. Agapiti, Mart.
19 De infra Octavam, *semid.*
20 S. Bernardi, Abb., Conf. et Doct., *dupl.* Commem. Oct.
21 S. Joannæ Franciscæ, Viduæ, *dupl.* Commem. Oct.
22 Octava Assumpt. B. M. V. *dupl.* Commem. Voti Ludovici XIII, et SS. Timothei, etc., Mart.
23 S. Philippi Benitii, Conf., *dupl.* Commem. Vigil.
24 S. BARTHOLOMÆI, APOSTOLI, *dupl. ii. classis.*
25 S. Ludovici, Regis Franciæ, Conf., *semid.*
26 S. Zephyrini, Papæ et Mart.
27 S. Josephi Calasanctii, Conf., *dupl.*
28 S. Augustini, Episc., Conf. et Doct., *dupl.* In Eccl. Metrop., *dupl. i. cl.* sine Commem. et cum Oct.
29 *Decollatio S. Joannis Baptistæ,* duplex majus. Commem. S. Sabinæ, Mart.
30 S. Rosæ, Virg. Limanæ, *dupl.* Commem. S. Felicis, etc., Mart.
31 S. Raymundi Nonnati, Conf., *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Dom. post Festum Assumptionis B. M. V., S. JOACHIM, CONF., PATRIS EJUSDEM DEIPARÆ, *duplex ii. classis.*

Dom. post Oct. Assumptionis, Purissimi Cordis B. M. V., *duplex majus.*

September.

1 S. Ægidii, Abb. Commem. XII. Fratrum, Mart.
2 S. Stephani, Regis, Conf., *semid.*
3
4
5 S. Laurentii Justiniani, Episc. et Conf., *semid.*
6
7
8 NATIVITAS B. M. V., *dupl. ii. classis* cum Oct. Commem. S. Adriani, Mart.
9. De infra Oct., *semid.* Commem. S. Gorgonii, Mart.
10 S. Nicolai de Tolentino, Conf., *dupl.* Commem. Oct.
11 De infra Oct., *semid.* Commem. SS. Proti, etc., Mart.
12 De infra Octavam, *semid.*
13 De infra Octavam, *semid.*
14 *Exaltatio S. Crucis D. N. J. C.*, dupl. maj. Commem. Oct.
15 Dies Octava Nativit. B. Mariæ Virginis, *dupl.* Commem. S. Nicomedis, Mart.
16 SS. Cornelii et Cypriani, Pont. et Mart., *semid.* Commem. SS. Euphemiæ, Luciæ, etc., Mart.
17 Impressio Stigmatum S. Francisci, *dupl.*
18 S. Josephi a Cupertino, Conf., *dupl.*

19 SS. Januarii, Episc., et Soc., Mart., *dupl.*
20 SS. Eustachii et Soc., Mart., *dupl.* Commem. Vigiliæ.
21 S. MATTHÆI. APOST. ET EVANG., *dupl. ii. cl.*
22 S. Thomæ de Villanova, Episc. et Conf., *duplex*. Commem. SS. Mauritii et Sociorum, Martyrum.
23 S. Lini, Papæ et Mart., *dupl.* Commem. S. Theclæ, Virg. et Mart.
24 *B. M. V. de Mercede*, dupl. maj.
25
26 SS. Cypriani et Justinæ, Mart.
27 SS. Cosmæ et Damiani, Mart., *semid.*
28 S. Wenceslai, Ducis, Mart., *semid.*
29 DEDICATIO S. MICHAELIS, ARCHANG., *dupl. ii. cl.*
30 S. Hieronymi, Presb. et Doct., *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Dom. infra Octavam Nativitatis B. M. V., SS. Nominis ejusdem Deiparæ, *duplex majus.*

Dom. III. Septembris, Septem Dolorum B. M. V., *duplex majus.*

October.

1 S. Remigii, Episc. et Conf., *dupl.*
2 SS. Angelorum Custodum, *dupl. maj.*
3
4 S. Francisci, Conf., *dupl. maj.*
5 SS. Placidi et Sociorum, Mart.
6 S. Brunonis, Conf., *dupl.*
7 S. Marci, Papæ et Conf. Commem. SS. Sergii, etc., Mart.
8 S. Birgittæ, Viduæ, *dupl.*
9 SS. Dionysii, Rustici et Eleutherii, Mart., *semid.*
10 S. Francisci Borgiæ, Conf., *semid.*
11
12
13 S. Eduardi, Regis, Conf., *semid.*
14 S. Callisti, Papæ et Mart., *dupl.*
15 S. Theresiæ, Virg., *dupl.*
16
17 S. Hedwigis, Viduæ, *semid.*
18 S. LUCÆ, EVANGELISTÆ, *dupl. ii. cl.*
19 S. Petri de Alcantara, Conf., *dupl.*
20 S. Joannis Cantii, Conf., *dupl.*
21 S. SEVERINI, EPISC. ET CONF., *duplex ii. classis* cum Octava. Commem. S. Hilarionis, Abbatis, et SS. Ursulæ et Sociar., Virg. et Mart.
22 De infra Octavam.
23 *SS. Redemptoris*, dupl. maj. Commem. Oct.
24 *S. Raphaelis, Archangeli*, dupl. maj. Commem. Oct.
25 De infra Octavam. Commem. SS. Chrysanthi et Dariæ, Mart.
26 De infra Oct. Commem. S. Evaristi, Papæ et Mart.
27 De infra Oct. Commem. Vigiliæ.
28 SS. SIMONIS ET JUDÆ, APOST., *dupl. ii. cl.* Commem. Octavæ.
29
30
31 S. Austindi, Episc. et Conf., *dupl.* Commem. Vigil.

FESTA MOBILIA.

Dom. I. Octobris, SS. Rosarii B. M. V., *dupl. majus.*
Dom. II. Octobris, Maternitatis B. M. V., *dupl. majus.*
Dom. III. Octobris. Puritatis B. M. V., *duplex majus.*
Dom. IV. Octobris, Patrocinii B. M. V., *duplex majus.*

November.

1 FESTUM OMNIUM SANCTORUM, *dupl. i. cl.* cum Oct.
2 Commem. omnium Fidelium defunctorum, *dupl.*, vel de Oct. Omnium Sanctorum.
3 De infra Octavam, *semid.*
4 S. Caroli, Episc. et Conf., *dupl.* Commem. Oct., et SS. Vitalis, etc., Mart.
5 De infra Octavam, *semid.*
6 De infra Octavam, *semid.*
7 De infra Octavam, *semid.*
8 Octava Omnium Sanctorum, *dupl.* Commem. SS. Quatuor Coronatorum, Mart.
9 Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris, *dupl.* Commem. S. Theodori, Mart.
10 S. Andreæ Avellini, Conf., *dupl.* Commem. SS. Tryphonis, etc., Mart.
11 S. Martini, Episc. et Conf., *dupl.* Commem. S. Mennæ, Mart.
12 S. Martini, Papæ et Mart., *semid.*
13 S. Abbonis, Mart. et Abbat., *dupl.*
14 S. Josaphat, Ep. Polon. et Mart., *dupl.*
15 S. Gertrudis, Virg., *dupl.*
16 S. Æmiliani, Abbatis, *dupl.*
17 S. Gregorii Thaumaturgi, Episc. et Conf., *semid.*
18 Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli, Apost., *dupl.*
19 S. Elisabeth, Viduæ, *dupl.* Commem. S. Pontiani, Papæ et Mart.
20 S. Felicis de Valois, Conf., *dupl.*
21 *Præsentatio B. M. V.*, dupl. maj.
22 S. Cæciliæ, Virg. et Mart., *dupl.*
23 S. Clementis, Papæ et Mart., *dupl.* Commem. S. Felicitatis, Mart.
24 S. Romani, Presbyteri et Conf., *dupl.* Commem. S. Chrysogoni, Mart.
25 S. Catharinæ, Virg. et Mart., *dupl.*
26 S. Joannis a Cruce, Conf., *dupl.* Commem. S. Petri Alexandrini, Episc. et Mart.
27 S. Didaci, Conf. *semid.* (Dies fixa ex 13 Nov.)
28
29 Vigilia. Commem. S. Saturnini, Mart.
30 S. ANDREÆ, APOSTOLI, Ecclesiæ Metropolitanæ et Diœcesis Patroni, *dupl. i. cl.* cum Octava.

FESTA MOBILIA.

Dom. post Octavam Omnium Sanctorum, ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS OMNIUM ECCLESIARUM IN GALLIA, *dupl. i. classis* cum Oct.
Dom. sequenti, Octava Dedicationis, *duplex.*

December.

1 De infra Octavam S. Andreæ, *semid.*
2 S. Bibianæ, Virg. et Mart., *semid.* Commem. Oct.
3 S. Francisci Xaverii, Conf., *dupl.* Commem. Oct. et Fer.
4 S. Petri Chrysologi, Episc., Conf. et Doct., *dupl.* Commem. Oct., S. Barbaræ, Virg. et Mart., et Feriæ.
5 De infra Octavam S. Andreæ. Commem. S. Sabbæ, Abbatis, et Feriæ.
6 S. Nicolai, Episc. et Conf., *dupl.* Commem. Oct. et Fer.
7 Octava S. Andraæ, *duplex.*
8 IMMAC. CONCEPT. B. M. V., *dupl. i. cl.* cum Oct.
9 S. Ambrosii, Episc., Conf. et Doct., *dupl.* (Dies fixa ex 7 hujus.) Commem. Octavæ.
10 *Translatio almæ Domus Lauretanæ,* duplex majus.
11 S. Damasi, Papæ et Conf., *semid.* Commem. Oct.
12 De infra Octavam, *semid.*
13 S. Luciæ, Virg. et Mart., *dupl.* Commem. Oct.
14 De infra Octavam, *semid.*
15 Octava Immaculatæ Conceptionis, *dupl.*
16 S. Eusebii, Episc. et Mart., *semid.*
17
18 *Exspectatio Partus B. M. V.*, duplex majus.
19
20 Vigilia.
21 S. THOMÆ, APOSTOLI, *dupl. ii. cl.*
22 S. Delphini, Episc. Burdigalensis, Conf. *dupl.*
23
24 Vigilia.
25 NATIVITAS D. N. J. C., *dupl. i. cl.* cum Oct.
26 S. STEPHANI, PROTOMART., *dupl. ii. cl.* Commem. omnium SS. Mart., et Oct.
27 S. JOANNIS, APOST. ET EVANG., *dupl. ii. cl.* Commem. Octavarum.
28 SS. INNOCENTIUM, *dupl. ii. cl.* Commem. Oct.
29 S. Thomæ Cantuariensis, Episc. et Mart., *semid.* Commem. Octavarum.
30 De Dom. infra Oct. Nativ. vel de Octava, cum Commem. Octavarum.
31 S. Silvestri, Papæ et Conf., *dupl.* Commem. Octav.

OFFICIA VOTIVA.

Qualibet Feria V. non impedita Officio ix. Lectionum, etiam translato, extra tamen Adventum, Quadragesimam, Ferias, Vigilias et Octavas privilegiatas, fit Officium votivum SS. Sacramenti, *semidupl.*

Quolibet Sabbato, ut supra non impedito, sub iisdem limitationibus et ritu, fit Officium pariter votivum Immaculatæ Conceptionis beatæ Mariæ Virginis.







Officia Propria Sanctorum pro clero civitatis atque integrae Dioecesis Burdigalensis.

Pars Hiemalis.

Festa mobilia.

DOMINICA II.
POST EPIPHANIAM.
In Festo
SS. Nominis Jesu.
Duplex ij. classis.
Omnia ut in Breviario.

FERIA III.
POST DOMIN. SEPTUAGES.
In Festo
Orationis D. N. J. C.
in Monte Oliveti.
Duplex majus.
Omnia ut in Suppl. Brev.

FERIA III.
POST DOMIN. SEXAGES.
In Festo
Commem. Passionis D. N. J. C. *Dupl. maj.*
Omnia ut in Suppl. Brev.

FERIA VI.
POST CINERES.
In Festo
SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C. *Dupl. maj.*
Omnia ut in Supplemento Breviarii.

Festa Sanctorum.

DIE XXX. NOVEMBR.
In Festo
S. Andreæ *Apostoli Ecclesiæ Metropolitanæ ac totius diœcesis Patroni.*
Dupl. j. cl. cum Octava.
(Si occurrat Domin. I. Adventus, transfertur Officium in primam diem Decembris non autem Octava.)
Omnia ut in Breviario cum Hymnis hic propriis.

In j. vesperis,

Hymnus.

Andréa cymbam repeténte læto,
Petrus occúrrit.
Mihi plaude, clamat;
Ecce Messíæ pia tecta, frater,
Oraque vidi.
Quid moras nectis? Properémus una;
Æmulis illum pédibus sequámur.
Quem Prophetárum chorus appeténti
Núntiat orbi.
Andréæ Petrus comes it; magístrum
Cernit admírans, venerátur, æstu
Súppari fervet, fierísque Christi
Ardet alúmnus.
Vix erant ambo réduces, propínquam
Tránsmeat Christus maris ecce ripam :
Audiunt fratres gémini benígna
Voce vocántem.
Nave demíssa, patre derelícto,
Hi statim fiunt cómites vocántis :
Una lux ambos et in omne Christo
Cónsecrat ævum.
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus numen venerétur orbis :
Et datos terris hílari magístros
Cármine laudet.
Amen.

Ad matutinum,

Hymnus.

I, perge, Christi fide comes, vola
Quocúmque tendit: sub duce mílita
Tutus poténti. Castra miles
Nemo sequi melióra possit.
Petri jacéntem sive levet socrum,
Seu multa parvo míllia nútriat,
Miraculórum te suórum
Partícipem jubet esse Christus.
Mundi ruínam sígnaque prævia
Tuis amánter crédidit áuribus;
Prænuntiávit destinátas
Discípulis dominóque mortes.
Proh! quantus arsit corde tuo crucis
Amor, parátam quando sibi crucem
Dixit magíster! tunc inésse
Delícias crúcibus putásti.
Non una voto crux dábitur tuo;
Tibi feréndam disce prius crucem
Duri labóris, te priúsquam
Lígnea crux ferat immolándum.
Laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Sanctóque summum Spirítui decus,
Dignos amánti per minístros
E ténebris revocáre gentes.
Amen.

Ad laudes,

Hymnus.

Hostis tartárei victor, ab hórridæ
Vix mortis grémio, Christe, recésseras
In Patris grémium, discípulos reples
Sacri flámine Spíritus.

Haustu munífici Núminis ébrius,
Gentes in várias gréssibus, Andréa,
Festínas rápidis; quo magis et ferox,
Hoc fit gens tibi cárior.

Pernix in Scythiam prótinus évolas,
Et concréta gelu péctora frígido
Torres igne sacro. Máxima décoquit
Ardens frígora cáritas.

Te suadénte, deos Thrácia fíctiles
Epirúsque fugant; et dóminæ Crucis
Vexíllum, quod amans úndique prædicas,
Gráiis fígitur árcibus.

Sanctæ mox fídei lumen Acháicis [bibus;
Cœléstis tua fax ínferet úr-
Exstinctámque tibi conspícient prius
Vitam quam fídei facem.

Suprémæ Tríadi glória, laus, honor,
Quæ nos christíadas lámpadis íllius,
Cæcis quam pópulis prætulit Andréas,
Puro lúmine dírigit.
Amen.

In ij. vesperis,

Hymnus.

Christi multa jugo dum loca súbjicis,
Procónsul mínitans, et rábie fremens,
Ejuráre fidem si rénuas, tibi
Spondet víncula, cárceres.

Ambis vincla, rogos; non métuis cruces,
Hoc unum métuis : carníficum gregi
Ne quis te rápiat. Supplícii moram
Partem supplícii putas.

Vix erécta procul ligna vides crucis,
O Crux! o bona Crux! o mihi Crux, ais,
Exoptáta diu! dulce decus meum,
Cordis delícium mei!

Per te discípulum suscípiat suum,
Per te qui máculas críminis éluit,
Et salvum próprii pígnore sánguinis
Humánum vóluit genus.

Christo commóriens sic pius Andréas
Indulgére sacris pergit amóribus,
Donec corpóreo líbera cárcere
Mens ad sídera démigret.

Qui dat Martyribus víncere, laus Patri;
Qui dat ferre crucem, laus quoque Fílio;
Qui das mille neces in cruce pérpeti,
Par sit laus tibi, Spíritus.
Amen.

DIE I. DECEMBBIS.
Die secunda infra Octav.
S. Andreæ.

Omnia ut in die festo, præter sequentia.

In primo Nocturno.
Lectiones de Script. occurr.
In secundo Nocturno.
Sermo sancti Petri Chrysólogi. *Serm.* cxxxiij.

Lectio iv.

BEátus Andréas mérito natus hódie créditur; quando non ad præséntem vitam matérno est effúsus ex útero, sed conspéctu fídei, martyrii partu, cœléstem nóscitur generátus ad glóriam : quando non eum matérna cunábula suscepére vagiéntem, sed supérna triumphántem secréta recepérunt : quando non infírmum lactis pastum genitrícis trahit ex péctore, sed pro Rege suo devotíssimus miles virtútis sánguinem fudit. Vivit, quia mortem cœléstis milítiæ bellátor occídit.

℟. Homo Dei ducebátur ut crucifígerent eum : pópulus autem clamábat voce magna, dicens : * Innocens ejus sanguis sine causa damnátur. ℣. Cumque dúcerent eum ut crucifigerétur, factus est concúrsus populórum clamántium et dicéntium. — Innocens.

Lectio v.

SEquitur hic moriéndo Dóminum æstuans et anhélans; ac toto virtútis gradu Domínicis incúmbit hærére vestígiis; ne eum cursus fáciat dísparem fratri, quem natúra símilem vocátio sócium, parem grátia ipsa perfécerat. Ad unam vocem Dómini, sicut ille, patrem, pátriam, censum relíquit; labóribus, oppróbriis, itinéribus, contuméliis, vigíliis, Christo largiénte, se indefésse germáni societáti donávit. Solum est, quod témpore Domínicæ Passiónis fugit; sed neque hoc impar, quia fugit ne negáret: negáre autem, si áliqua putátur culpa, non est grávius fúgere quam negáre : sed tacénda sunt ália : æquávit fratres vénia, quos sic discréverat culpa.

℟. O bona Crux, quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti, áccipe me ab homínibus, et redde me magístro meo : * Ut per te me recípiat, qui per te me redémit. ℣. Beátus Andréas, expánsis mánibus ad cœlum, orábat, dicens : Salva me, bona crux. — Ut per te me.

Lectio vj.

CRucem quam refúgerant, póstea, conjúnctis víribus, ardénter invádunt; ut, unde reátum súmpserant, inde conscénderent cœlum, inde præmium súmerent et corónam. Petrus namque crucem, árborem conscéndit Andréas : ut qui Christo cómpati gestiébant, in

semetípsis figúram, formámque ipsíus exprímerent Passiónis, et redémpti ligno, consummaréntur ad palmam. Sic Andréas noster, et si cedit órdini, præmio tamen non cedit, et labóri.

℟. Expándi manus meas tota die in cruce ad pópulum non credéntem, sed contradicéntem mihi : * Qui ámbulant vias non bonas, sed post peccáta sua. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit : exaltáre, qui júdicas terram, redde retributiónem supérbis. — Qui. Glória Patri. Qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* iv.

IN illo témpore : Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mitténtes rete in mare. Et réliqua.

De homilía sancti Gregórii Papæ. *Homil.* iij. *in Evang.*

MUltum dimísit qui cum re posséssa étiam concupiscéntiis renuntiávit. A sequéntibus ergo tanta dimíssa sunt, quanta a non sequéntibus concupísci potuérunt. Nemo ígitur étiam, cum quosdam cónspicit multa reliquísse, apud semetípsum dicat : Imitári hujus mundi contemptóres volo, sed quod relínquam non hábeo. Multum, fratres, relínquitis, si desidériis terrénis renuntiátis.

℟. Orávit sanctus Andréas, dum respíceret in cœlum, et voce magna clamávit, et dixit : Tu es Deus meus, quem vidi : ne me patiáris ab ímpio júdice depóni : * Quia virtútem sanctæ crucis agnóvi. ℣. Tu es magíster meus Christus, quem diléxi, quem cognóvi, quem confessus sum : tantúmmodo in ista voce exáudi me. — Quia.

Lectio viij.

EXterióra étenim nostra Dómino quámlibet parva suffíciunt : cor namque, et non substántiam, pensat, nec perpéndit quantum in ejus sacrifício, sed ex quanto proferátur. Nam si exteriórem substántiam perpendámus, ecce Sancti, negotiatóres nostri, perpétuam Angelórum vitam, datis rétibus et navi, mercáti sunt. Æstimatiónem quippe prétii non habet, sed tamen regnum Dei tantum habes.

℟. Videns crucem Andréas exclamávit, dicens : O crux admirábilis, o crux quæ per totum mundum rútilas! * Súscipe discípulum Christi, ac per te me recípiat, qui per te móriens me redémit. ℣. O bona crux,

quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti. — Súscipe. Glória Patri. Súscipe.

Lectio ix.

Valuit namque Zachæo dimídium substántiæ; quia dimídium áliud, ab hoc quod injúste ábstulit, restituéndum in quádruplum reservávit. Váluit Petro et Andréæ, dimíssis rétibus et navi. Váluit víduæ, duóbus minútis. Váluit álteri, cálice aquæ frígidæ. Regnum ítaque Dei, ut díximus, tantum valet, quantum habes.

Te Deum laudámus.

DIE II. DECEMBRIS.

DIE TERTIA INFRA OCTAVAM.

Fit de S. Bibiana, Virg. et Mart., Semid., cum Comm. Octavæ et Feriæ, nisi eo die occurrat Dominica, quia tunc fit de ea, et transfertur Festum S. Bibianæ in primam diem non impeditam, scilicet post Octavam Immaculatæ Concept. B. M. V.

DIE III. DECEMBRIS.

DIE QUARTA INFRA OCTAVAM.

Fit de S. Francisco Xaverio, Conf., Duplex, cum Comm. Octavæ et Feriæ.

DIE IV. DECEMBRIS.

DIE QUINTA INFRA OCTAVAM.

Fit de S. Petro Chrysologo, Episc. et Conf. Duplex, cum Commem. Octavæ, S. Barbaræ et Feriæ.

DIE V. DECEMBRIS.

DIE SEXTA INFRA OCTAVAM.

Omnia ut in die festo, præter sequentia.

In primo Nocturno.

Lect. de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

De Sermóne sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv.

Prorsus sublíme volat, quisquis ille est, quem non modo futurórum exspectátio bonórum, sed præséntium quoque malórum exhibítio ipsa deléctat, ita ut in ea étiam gloriétur. Talem invenímus hunc beátum Apóstolum, talem mirámur, talem mérito prædicámus. Unde et tríplicem hic licet consideráre gradum, insipiéntium, proficiéntium, perfectórum : inítium enim sapiéntiæ, timor Dómini; médium, spes; cáritas, plenitúdo. Dénique Apóstolum audi : Quia plenitúdo legis est cáritas. Qui initiátur a timóre, crucem Christi sústinet patiénter; qui próficit in spe, portat libénter; qui vero consummátur in caritáte, ampléctitur jam ardénter.

℟. Homo Dei ducebátur ut crucifígerent eum : pópulus autem clamábat voce magna, dicens : * Innocens

ejus sanguis sine causa damnátur. ℣. Cumque dúcerent eum ut crucifigerétur, factus est concúrsus populórum clamántium et dicéntium. — Innocens.

Lectio v.

Solus étenim iste est qui dícere possit : Quia amátor tuus semper fui, et desiderávi ampléćti te. Fortis quippe est ut mors, non patiéntia, aut spes, sed diléćtio; non timor, aut rátio, sed spíritus fortitúdinis est. Dicit patiéntia : Sic opórtet fíeri, quia timóre urgétur. Dicit volúntas bona : Sic éxpedit, et sic agéndum est, quia spei attráhitur ratióne. Cáritas vero, quæ inflammátur a spíritu, neque sic opórtet, dicit, neque sic éxpedit, sed : Sic volo, inquit, sic cúpio, sic desídero veheménter. Felix ánima quæ ad hunc caritátis pervénerit statum!

℟. O bona crux, quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti, áccipe me ab homínibus, et redde me magístro meo : * Ut per te me recípiat, qui per te me redémit. ℣. Beátus Andréas, expánsis mánibus ad cœlum, orábat, dicens : Salva me, bona crux. — Ut.

Lectio vj.

Nec sane desperándum nobis, quandóquidem ejus qui ad hunc pervénit gradum, ob hoc máxime memória celebrátur, ut ipsíus et invocémus auxílium, et provocémur exémplo. Plus dico, et ex nobis nonnúllos mihi vidére vídeor in hoc gradu. Si dicis beátum Andréam Apóstolum esse, nec posse te, qui pusíllus es, ejus sequi vestígia, púdeat certe vel eos qui tecum sunt non imitári. Nemo repénte fit summus : ascendéndo, non volándo, apprehénditur súmmitas scalæ.

℟. Expándi manus meas tota die in cruce ad pópulum non credéntem, sed contradicéntem mihi : * Qui ámbulant vias non bonas, sed post peccáta sua. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit : exaltáre, qui júdicas terram, redde retributiónem supérbis. — Qui. Glória Patri. Qui.

In tertio Nocturno.

Léćtio sanćti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* iv.

In illo témpore : Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mitténtes rete in mare. Et réliqua.

De homilía sanćti Gregórii Papæ.

Quid isto holocáusto locuplétius, quando per hoc quod Deo ímmolat in ara cordis, ánima se-

metípsam mactat? Sed hoc bonæ voluntátis sacrificium Deo nunquam plene persólvitur, nisi mundi hujus cupíditas perfécte deserátur. Nam quidquid in eo concupíscimus, hoc procul dúbio próximis invidémus. Vidétur enim quia nobis desit, quod alter asséquitur; et quia semper invídia a bona voluntáte discórdat, mox ut hæc mentem cépeprit, illa discédit.

℟. Orávit sanctus Andréas, dum respíceret in cœlum, et voce magna clamávit, et dixit : Tu es Deus meus, quem vidi : ne me patiáris ab ímpio júdice depóni : * Quia virtútem sanctæ crucis agnóvi. ℣. Tu es magíster meus, Christus, quem diléxi, quem cognóvi, quem confėssus sum : tantúmmodo in ista voce exáudi me. — Quia.

Lectio viij.

Unde prædicatóres sancti, ut possent próximos perfécte dilígere, studuérunt in hoc sæculo nihil amáre, nihil unquam appétere, nihil étiam cum appetítu possidére; quos bene Isaías íntuens, ait : Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? Vidit quippe eos terréna despícere, mente cœléstibus propinquáre, verbis plúere, miráculis coruscáre; et hos volántes páriter et nubes appéllat. Fenéstræ autem nostri sunt óculi, quia per ipsos ánima réspicit quod extérius concupíscit.

℟. Videns crucem Andréas exclamávit, dicens : O crux admirábilis, o crux quæ per totum mundum rútilas! * Súscipe discípulum Christi, ac per te me recípiat, qui per te móriens me redémit. ℣. O bona crux, quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti. — Súscipe. Glória Patri. Súscipe.

Lectio ix.

Colúmba vere simplex ánimal est, atque a malítia fellis aliénum. Quasi colúmbæ ergo ad fenéstras suas sunt, qui nihil in hoc mundo concupíscunt, qui ómnia simplíciter adspíciunt, et in iis quæ vident rapacitátis stúdio non trahúntur. Qui ergo, fratres caríssimi, beáti Andréæ Apóstoli Natalítia celebrámus, debémus imitári quod cólimus. Osténdat nostræ obséquium devotiónis, immutátæ solémnitas mentis : despiciámus quæ terréna sunt : relíctis temporálibus, mereámur ætérna. Si autem necdum póssumus relínquere própria, saltem non concupiscámus aliéna. Te Deum.

DIE VI. DECEMBRIS.

DIE SEPTIMA INFRA OCTAVAM.

Fit de S. Nicolao, Episc. et Conf. Duplex, cum Comm. Octavæ et Feriæ.

DIE VII. DECEMBRIS.

IN DIE OCTAVA.

Fit de Octava, Duplex, et Festum S. Ambrosii, illa die occurrens, transfertur in diem ix. hujus mensis. Si venerit Octava in Dom., non transfertur Octava, sed fit de Dom., cum Comm. Octavæ.

In primo Nocturno.

Lect. de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis. *In Vigil. Festi.*

Lectio iv.

QUanta exsultatióne univérsæ terræ celebrándum tantæ novitátis miráculum, tam magníficum opus divínæ virtútis! Andréas homo erat símilis nobis, passíbilis; et tam veheménti ardóre spíritus crucem sitiébat, tam inaudíto a sæculis gáudio tripudiábat, cum parátum sibi éminus patíbulum conspexísset! O crux, inquit, diu desideráta, et jam concupiscénti ánimo præparáta! secúrus et gaudens vénio ad te, ita ut et tu exsúltans suscípias me. Vidétis quia non se capit præ magnitúdine gáudii! Ita, inquit, ut et tu exsúltans.

℟. Homo Dei ducebátur ut crucifígerent eum : pópulus autem clamábat voce magna, dicens : * Innocens ejus sanguis sine causa damnátur. ℣. Cumque dúcerent eum ut crucifigerétur, factus est concúrsus populórum clamántium et dicéntium. — Innocens.

Lectio v.

ERgone tanta est exsultátio, ut exsúltet et ipsa crux, nec lethi quidquam hábeat, sed totum lætítiæ sit? Aut quis dicat minus, contra consuetúdinem, supra ratiónem, ultra natúram, crucem exsultáre, quam crucifíxum? Illi sensum lætítiæ natúra negávit; huic, si quid prævalet, gáudium omne extérminat, ingerítque dolórem. Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens, et si lingua, certe ígnea est. Carbónes sunt ignis illíus, quem de excélso Christus míserat in óssibus ejus. Atque útinam desolatórii nobis sint, consuméntes et exuréntes quidquid in nobis est carnális affectiónis!

℟. O bona crux, quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti, áccipe me ab homínibus, et redde me magístro meo : * Ut per te me recípiat, qui per te me redémit. ℣. Beátus Andréas, expánsis mánibus ad cœlum, orábat, dicens : Salva me, bona crux. — Ut.

Lectio vj.

CLane, beáte Andréa, granum sinápis est fides tua, quæ tam insperátum, ubi teri cœpit, cœpit ex se proférre fervórem. Quid si paulo ámplius tererétur? Quis fervórem illum ánimus, quis verba

illa sustinére posset audítus? Teréndum eum putat Ægeas, crucis supplícium mínitans : sed non est ita. Accénditur magis in verbo hoc, et líbere clamat : Ego si patíbulum crucis expavéscerem, crucis glóriam non prædicárem. Mérito proínde crucis amatórem venerántur quicúmque sunt servi crucis : sed ab his ampliórem jure devotiónem éxigit, qui speciálius proposuérunt tóllere crucem suam.

℟. Expándi manus meas tota die in cruce ad pópulum non credéntem, sed contradicéntem mihi : * Qui ámbulant vias non bonas, sed post peccáta sua. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit : exaltáre, qui júdicas terram, redde retributiónem supérbis. — Qui. Glória. Qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* iv.

In illo témpore : Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mitténtes rete in mare. Et réliqua.

De homilía sancti Joánnis Chrysóstomi. iv. *in Matth.*

Et Joánnes quidem áliter dicit eos vocátos : unde maniféstum est, secúndam hanc vocatiónem fuísse; idque ex multis rebus osténditur. Non ibi quidem dicit quod ad Christum, ántequam Joánnes in cárcerem ducerétur, accésserint; hic vero, postquam ille incíderit in víncula. Et ibi quidem quod Andréas Petrum, hic vero quod Jesus ambos vocet; et Joánnes quidem ait quod Jesus veniéntem ad se Petrum videns, dicit : Tu es Simon fílius Jona : tu vocáberis Cephas, quod interpretátur Petrus; Matthæus vero ásserit quod isto jam nómine vocarétur.

℟. Orávit sanctus Andréas, dum respíceret in cœlum, et voce magna clamávit, et dixit : Tu es Deus meus, quem vidi : ne me patiáris ab ímpio júdice depóni : * Quia virtútem sanctæ crucis agnóvi. ℣. Tu es magíster meus Christus, quem diléxi, quem cognóvi, quem conféssus sum : tantúmmodo in ista voce exáudi me. — Quia.

Lectio viij.

Sed a loco étiam ex quo vocáti sunt, alíísque multis, id scire possíbile est, et ab eo quod fácile obediérunt vocáti, súaque ómnia reliquérunt. Erant quippe sufficiénter jam ante prædócti, et ibi quidem Andréas in domum véniens, múltaque a Christo áudiens invenítur : hic vere unum audiéntes, nudúmque verbum conféstim sequúntur. Vi-

détur quippe fuísse cónsequens ut prius quidem audíerint et secúti sint : póstea vero cum et Joánnem in cárcere ligátum, et ipsum secessísse vidíssent, reliquísse eos magístrum, atque ad artem própriam revertísse. Sic dénique piscántes eos rursus invénit.

℟. Videns crucem Andréas exclamávit, dicens : O crux admirábilis, o crux quæ per totum mundum rútilas! * Súscipe discípulum Christi, ac per te me recípiat, qui per te móriens me redémit. ℣. O bona crux quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti.— Súscipe. Glória Patri. Súscipe. **Lectio ix.**

Perpénde vero et fidem et obediéntiam vocatórum, et cognósces quam dulcis sit piscátio. Siquidem in médio ipsíus óperis constitúti, cum illum audíssent jubéntem, nihil distulérunt, nihil omníno cunctáti sunt, non dixérunt : Revertémur domum, loquémur propínquis; sed cuncta íllico relinquéntes, fecérunt quod Elisæus quoque sub Elía légitur implésse. Talem quippe a nobis obediéntiam Christus efflágitat, ut neque punctum témporis differámur, etiámsi nos áliquid necessárium urgére videátur. Te Deum laudámus.

Vesperæ de Immaculata Conceptione.

DIE IX. DECEMBRIS.

In Festo

S. Ambrosii

Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris.

(*In Kalend., 7 Dec.*)

Omnia ut in Breviario. Commem. Octavæ Immac. Conceptionis.

DIE X. DECEMBRIS.

In Festo

Translat. Almæ Domus Lauretanæ B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento Breviarii; sed ij. Lectioni additur.

Hujus vero veneratiónis Ecclésia Burdigalénsis exímium spécimen dedit, et præmium recépit. Anno enim millésimo sexcentésimo quinto, dum atrox pestiléntia in urbe grassarétur, lámpadem argénteam processionémque solémnem vovit, et deínde, peste cessánte, pie exsólvit, Cardináli Francísco de Sourdis tunc Archiepíscopo Burdigalénsi. In hujus voti memóriam, síngulis per annum sábbatis, Litániæ Lauretánæ recitári consuevérunt in ecclésia sancti Severíni.

DIE XVIII. DECEMBR.

In Festo

Exspectationis Partus B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento Breviarii.

DIE XII. DECEMBRIS.
In Festo
S. Delphini
Episcopi Burdigalensis et Confessoris. Duplex.
Omnia de Communi Confessoris Pont., præter seq.

Ad vesp. et ad laudes,
Hymnus.

O qui perpétuus nos mónitor doces!
Vox ætérna Patris, Christe, vicários
Pastóres, pátrias cum rémeas domos,
Nobis quam bene súppetis!
Delphínus vígilat, ne quid adúlterum
Corrúmpat fídei virgíneum decus :
Quæ sunt prisca, docet; quæ nova, súbruit;
Servat depósitum Dei.
Is gliscens vítium prótinus ámputat;
Erróres ábigit; crímina dédocet;
Christo restítuit quos male crédulos
Mendax lúserat hæresis.
Firmat instábiles, et dúbios regit;
Monstrat tuta procul líttora náufragis :
Cœléstis áperit non penetrábiles
Thesáuros sapiéntiæ.
Qui lucis pater est, glória sit Patri;
Qui lux ipsa Patris, glória Fílio;
Amborúmque tibi, nexus amábilis,
Compar glória, Spíritus. Amen.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, Dómine, méritis beáti Delphíni, Confessóris tui atque Pontíficis, inviolábilem fídei firmitátem; ut in fide fundáti et a spe Evangélii immóbiles, promíssa fidélibus præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.
Et fit Commem. Feriæ.

Ad matutinum,
Hymnus.

Tu, Delphíne, Deo spléndidus émicas;
Tu sal, nos hómines quo sápimus Deum :
Christi vellis agro quæ ségetem necant,
Errórum mala sémina.
Per te, Relligio tútaque véritas,
Per te virgíneis fulget honóribus;
Per te Burdígalæ plebs tibi súbdita
Vero lúmine páscitur.
Manans unda tuis pura carnálibus;
Christi floret ager, munda nitet seges :
Aptum nam púeris lac, sólidum viris
Cautus súfficis et cibum.
Natos, alme Pater, sédibus e tuis,
Si te nostra movent, nos bonus ádspice,
Flammis ure tuis frígida péctora,
Et mentes dúbias rege.
Qui lucis pater est, glória sit Patri;
Qui lux ipsa Patris, glória Fílio;

Amborúmque tibi nexus amábilis, [Amen.
Compar glória, Spíritus.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

DElphínus, Burdigalénsis Præsul, quem claríssimum Aquitániæ sidus et Ecclésiæ Gallicánæ ornaméntum singuláre vocant, quarto sæculo flóruit. Is, teste sancto Ambrósio, fuit cum beáto Phæbádio, Aginnénsi Epíscopo, sacra conjunctíssimus amicítia, atque ipsíus in profligándis hæréticis assécla et sócius. Cum illo intérfuit concílio Cæsar-Augústæ, contra priscillianístas, aliósque nefandórum dógmatum sectatóres, celebráto. Verum cum priscilliánus, ejúsque asséclæ, a decréto synodi ad Damásum Papam provocássent, ac Romam proféсti, Aquitániam, iter agéndo, hæresis labe fœdáre tentássent, a vigilantíssimo Pastóre Delphíno primum Burdígala fuére repúlsi; tum in concílio in eádem urbe congregáto, cui præfuit, anathémate percússi sunt.

℟. Invéni David, servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

FUit et caríssimus beáto Paulíno, ex spléndida Aniciórum família, Burdígalæ nato; qui a Delphíno se Christo acquisítum et baptizátum fuisse gratulabúndus sæpe testátur. Et quod, ipso duce, honóribus sæculi valedíxerit, et opes, quas amplíssimas habébat, paupéribus distribúerit, atque vias perfectióris vitæ fúerit ingréssus, ipsum Delphínum, ad quem plures epístolas mira suavitáte, humilitáte, et pietáte refértas scripsit, patrem suum appéllat, et álterum Petrum, cujus hamo se captum esse dicit. Tandem ineúnte sæculo quinto, Delphínus, plúrimis fractus labóribus, quos pro Ecclésia Christi tuendáque cathólica fide suscéperat, víribus exháustis, plenúsque diébus ac méritis, ad Dóminum migrávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David, servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vj.

Ex Epístola sancti Paulíni secúnda ad beátum Delphínum Epíscopum Burdigalénsem.

MEminérimus nos Delphíni fílios esse factos. Meminérimus te non solum patrem, sed

et Petrum nobis esse factum; quia tu misísti hamum ad me, de profúndis et amáris hujus sæculi flúctibus extrahéndum, ut captúra salútis efficerer, et cui vivébam natúræ, mórerer, et cui mórtuus eram, vivérem Dómino. Doctrína enim tua argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum. Donet oratiónibus tuis Dóminus, ut úteri castitátis tuæ fílius sim. Fílii enim Delphíni reputabúntur in fíliis Aaron, sed non cum illis qui ignem aliénum Dómino obtulérunt. Tuis fíliis sit cor ardens, non cupiditátum et illecebrárum sæculárium iníquis ígnibus, sed illo igne quem venit in nobis accéndere Dóminus, de quo ait: Ignem veni míttere in terram, et quid volo, nisi ut accendátur? Non ergo avarítia, non concupiscéntia oculórum, et nóxius temporálium rerum amor, in nobis árdeat igne pestífero: sed Deus ipse noster, qui est ignis consúmens, suum ignem agnóscat in nobis.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxv.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre profíciscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ. *Homilia* xvij. *in medio.*



Venit proféćto ille dies, nec longe est, in quo pastórum Pastor appáreat, et uniuscujúsque facta in públicum dedúcat. Ponámus ante óculos nostros illum tantæ districtiónis diem, quo judex véniet, et ratiónem cum servis suis, quibus talénta crédidit, ponet. Ecce in majestáte terríbili, inter Angelórum atque Archangelórum choros vidébitur. In illo tanto exámine, electórum ómnium et reprobórum multitúdo deducétur, et unusquísque quid sit operátus ostendétur. Ibi omnes Domínici gregis aríetes, cum animárum lucris apparébunt, qui sanctis suis prædicatiónibus, Deo post se súbditum gregem trahunt.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum.—Et.

Lectio viij.



Cum ígitur tot Pastóres cum grégibus suis ante ætérni Pastóris óculos vénerint, nos míseri quid dictúri sumus, qui ad Dóminum nostrum, post negótium vácui, red-

ímus? qui Pastórum nomen habúimus, et oves, quas ex nutriménto nostro debeámus osténdere, non habémus? Hic Pastóres vocáti sumus, et ibi gregem non dúcimus. Et per nos quidem fidéles ad sanctum Baptísma véniunt, nostris précibus benedicúntur, et per impositiónem nostrárum mánuum a Deo Spíritum sanctum accípiunt, atque ipsi ad regnum cœlórum pertíngunt : et ecce nos, per negligéntiam nostram deórsum téndimus. Ingrediúntur elécti, Sacerdótum mánibus expiáti, cœléstem pátriam, et ipsi per vitam réprobam ad inférni supplícia festínant.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix.

Timeámus hæc, fratres: convéniat actióni nostræ ipsum ministérium nostrum. De peccatórum nostrórum relaxatióne quotídie cogitémus, ne vita nostra peccáto obligáta remáneat, per quam omnípotens Deus quotídie álios solvit. Considerémus sine cessatióne quid sumus, pensémus negótium nostrum, pensémus pondus quod suscépimus. Faciámus quotídie nobíscum ratiónes quas cum nostro júdice habémus. Et sic debémus ágere curam nostri, ut non negligámus curam próximi. Hæc, fratres, vobíscum sollícite cogitáte; hæc et próximis vestris impéndite: omnipoténti Deo fructum vos réddere de negótio quod accepístis, paráte.

Te Deum laudámus.

DIE XXIII. JANUARII.

Desponsationis B. M. V.

CUM S. JOSEPH. *Duplex.*

Omnia ut in Supplemento Breviarii. Commem. S. Joseph, ejus Sponsi, et S. Emerentianæ, Virginis et Martyris.

DIE IV. FEBRUARII.

In Festo

S. Joannæ Valesiæ

Reginæ Franciæ. Duplex.

Omnia ut in Supplemento Breviarii.

DIE IX. FEBRUARII.

In Festo

S. Andreæ Corsini

Episcopi et Confessoris.

(In Kalend., die 4. Febr.)

Omnia ut in Breviario. Comm. S. Apolloniæ, Virginis et Martyris.

DIE XI. FEBRUARII.
In Festo
S. Agathæ
Virg. et Mart. Duplex.
(*In Kalend. die* 5. *Febr.*)

DIE XIII. FEBRUARII.
In Festo
S. Raymundi de Pennafort,
Conf. Semiduplex.
(*In Kalend., die* 23. *Jan.*)
Omnia ut in Breviario.

NOTA. *Extra Adventum, Quadrag., Ferias, Octavas Vigiliasque privilegiatas, in singulis Feriis V., more votivo et sub ritu semid. fit de SS. Sacramento, ut in Supplemento Breviarii.*

Itemque et in Sabbatis de Immaculata Conceptione B. M. V., dummodo his Feriis V. et Sabbatis non occurrat Officium ix. Lectionum, etiam translatum.



Imprimatur.
Tornaci, die 18 Maii 1885.
G. BOUVRY Vic. Gen.

Typis Soc. S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. — Tornaci.



Officia Propria Sanctorum pro clero civitatis atque integrae Dioecesis Burdigalensis.

Pars Verna.

Festa mobilia.

FERIA VI.
POST DOM. I. QUADRAG.
In Festo
SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.
Duplex majus.
Omnia ut in Suppl. Brev.

FERIA VI.
POST DOM. II. QUADRAG.
In Festo
SS. Sindonis D. N. J. C.
Duplex majus.
Omnia ut in Suppl. Brev.

FERIA VI.
POST DOM. III. QUADRAG.
In Festo
SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C.
Duplex majus.
Omnia ut in Breviario.

FERIA VI.
POST DOM. IV. QUADRAG.
In Festo
Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. *Dupl. majus.*
Omnia ut in Supplemento Breviarii.

FERIA VI.
POST DOM. PASSIONIS
In Festo
Septem Dolorum B. M. V. *Duplex majus.*
Omnia ut in Breviario.

DOMINICA III.
POST PASCHA.
In Festo
Patrocinii S. Joseph.
Duplex ij. classis.
Omnia ut in Breviario.

Festa Sanctorum.

DIE XVIII. MARTII.
In Festo
S. Gabrielis *Archangeli.*
Duplex majus.
Omnia ut in Suppl. Brev.

DIE V. APRILIS.
In Festo
S. Geraldi
Abbatis. Duplex.
Omnia de Communi Abbatum, præter sequentia.

Ad vesp. et ad matutin.

Hymnus.

Exsúltet Aquitánia
Patris nostri præcónia,
Cujus gaudet præséntia
Sentítque benefícia.
In hoc solémni gáudio
Crescat nostra devótio,
Fruámur ut propítio
Geráldi patrocínio.
Hic ab ætáte ténera
Inter virtútis ópera,
Nec formidávit áspera,
Nec affectávit próspera.
Vir insígnis, vir ínclytus,
Vas eras sancti Spíritus,
Tam prælátus quam súbditus
Ad labóres expósitus.
Simplex et rectus ánimo,
Deo gratus et próximo,
Afféctu promas íntimo
Preces nostras Altíssimo.
Sit laus Patri cum Fílio,
Et in duóbus tértio,
Quorum simplex connéxio
Unitas, et non únio. Amen.

Ad Magnif. Aña. Delectáre, Aquitánia, in Geráldi nómine, qui splendóre veri Solis et cœlésti númine umbram tuam liberávit a mortis calígine, et mundávit saltus tuos ab effúso sánguine.

Oratio.

Concéde nobis, omnípotens Deus, sancti Geráldi, Confessóris tui atque Abbátis, méritis confovéri : ut quem multis voluísti miráculis declaráre in terris, ejus intercessiónibus commendémur in cœlis. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Lect. Beátus vir. *de Comm. ij. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Geráldus, in Picárdia non ignótis paréntibus ortus, a púero in monastério Corbéiæ educátus, et póstea mónachus, tam frátribus quam láicis ita diléctus fuit, ut Deus in eo omnípotens et mirábilis prædicarétur. Romæ, a sancto Leóne, Papa nono, sacerdótio initiátus, oratióni, jejúniis et ecclésiis visitándis totum se dedit. Gravi cápitis morbo per plures annos tentátus, igne et ferro sæpius tolerátis, demum ante altáre sancti Adharáldi sanitátem cœlitus recépit. Custos ecclésiæ, licet impedirétur penúria témporum, templum

nóviter fundátum et magnífice compósitum solémniter consecráre curávit. Ita opportúnitas ecclésiæ habébat inténtum, ut digitálibus junctúris nodi insúrgerent, et petra dúrius callérent. Licet familiárius Deo vacáret, administratióni monastérii adscítus, ómnibus se totum fecit, quem nec nox, nec æstus, nec hora edéndi ab utilitáte loci et próximi remorabántur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Visióni Christi inter Angelos triumphántis, et præsértim in cruce pendéntis obédiens, iter Hierosolymitánum aggréssus est. In locis sanctis tanto divíni amóris incéndio cor ejus conflagrávit, ut de Christo patiénte ómnibus loquerétur. Revérsus ad própria, et ad Abbátiam sancti Vincéntii Laudunénsis provéctus, se formam et spéculum discípulis suis exhíbuit. Cum autem vidéret eos plus terrénis cómmodis quam cœléstibus inténtos, antra solitúdinis pétere cogitávit. Addíctis sibi septem milítibus nuper convérsis, tránsiens per monastérium sancti Medárdi Suessionénsis, sancto Arnúlfo in Abbátem sufféctus, et mox a regína Bertha expúlsus, dedit locum iræ. Multis peráctis deínceps piis peregrinatiónibus, a Guilélmo, duce Aquitániæ, benígne excéptus, anno millésimo septuagésimo nono, in festo sanctórum Simónis et Judæ, silvæ Majóris possessiónem íniit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

Quotídie, in honórem sanctíssimæ Trinitátis, tribus paupéribus própriis mánibus inserviébat. Humilitátem et mansuetúdinem pari sedulitáte conjúnxit, cum Abbátem indígnum se semper díceret, et ómnia dimíttere quam disputáre mallet. Beátæ Maríæ Vírginis cúltui præcípue addíctus erat, dícere sólitus Maríam in monastério ómnia gubernáre. Assíduus vigíliis, oratiónibus et jejúniis, humi cubans, nihil asperióris vitæ in senectúte remísit. Hora mortis suæ revelatióne mónitus, Sacraméntis Ecclésiæ munítus, obdormívit in Dómino die quinta Aprílis anni millésimi no-

nagésimi quinti. Quem multis fulgéntem signis summus Póntifex Cœlestínus tértius solémni pompa Sanctórum catálogo inscrípsit. Corpus ejus in theca ærea et argéntea diu inclúsum, et populórum veneratióni expósitum, cum ómnia in Gálliis permíxta essent, sub terra recónditum fuit. Anno vero millésimo octingentésimo quadragésimo séptimo, post inquisitiónem successíve a reverendíssimis et eminentíssimis Præsúlibus d'Aviau de Sanzay et Cardináli de Cheverus suscéptam, sacri córporis veritáte comprobáta, præcedéntibus longo ágmine provínciæ Epíscopis et Clero, nec non plaudéntibus recéntis gymnásii alúmnis et magístris, reverendíssimus et illustríssimus Dóminus Donnet, Archiepíscopus Burdigalénsis, solémniter in monastérium Silvæ Majóris, divíno cúltui et sciéntiæ restitútum, transférri curávit.

℟. Iste homo perfécit.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in ténebris non máneat. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi. *Ex Tract. in Joann.*



NOn tamen eis dixit Jesus : Vos lux venístis in mundum, ut omnis qui credit in vos, in ténebris non máneat. Nusquam hoc legi posse confírmo. Lúmina ergo sunt omnes sancti; sed credéndo ab eo illuminántur, a quo si quis recésserit, tenebrábitur. Lumen autem illud quo illuminántur a se recédere non potest, quia incommutábile omníno est. Crédimus ergo lúmini illumináto, sicut Prophétæ, sicut Apóstolo; sed ídeo illi crédimus, ut non in ipsum quod illuminátur, sed cum illo credámus in illud lumen, a quo illuminátur, ut et nos illuminémur, non ab illo, sed cum illo a quo ille. Cum autem dicit : Ut omnis qui credit in me, in ténebris non máneat, satis maniféstat omnes se in ténebris invenísse : sed ne in eis ténebris máneant in quibus invénti sunt, debent crédere in lucem quæ venit in mundum, quia per illum factus est mundus.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab

omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.— Ipse.

Lectio viij.

Et si quis audíerit, inquit, verba mea, et non custodíerit, ego non júdico eum. Mementóte quæ vos audísse in superióribus lectiónibus novi; et qui oblíti forte estis, recólite, et qui non adfuístis, sed adéstis, audíte quómodo dicit Fílius : Pater non júdicat quemquam, sed omne judícium dedit Fílio, nisi quia intelligéndum est : Modo non júdico eum. Quare non júdicat modo? Atténde quid séquitur : Non enim veni, inquit, ut júdicem mundum, sed ut salvíficem mundum; id est, ut salvum fáciam mundum. Nunc ergo est tempus misericórdiæ, post erit judícii, quia misericórdiam, inquit, et judícium cantábo tibi, Dómine.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.—Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

Sed de ipso étiam futúro novíssimo judício vidéte quid dicat : Qui spernit me, et non áccipit verba mea, habet qui júdicet eum; sermo quem locútus sum, ille judicábit eum in novíssimo die. Non ait, Qui spernit me, et non áccipit verba mea, ego non júdico eum in novíssimo die. Hoc enim si dixísset, non vídeo quómodo posset non esse contrárium illi senténtiæ : Pater non júdicat quemquam, sed omne judícium dedit Fílio. Cum vero dixit : Qui spernit me, et non áccipit verba mea, habet qui júdicet eum; exspectántibus autem quisnam ille esset, secútus adjúnxit : Sermo quem locútus sum, ille judicábit eum in novíssimo die; satis manifestávit semetípsum judicatúrum in novíssimo die. Seípsum quippe locútus est, seípsum annuntiávit, seípsum jánuam pósuit, quia ipse ad oves pastor intráret. Te Deum.

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriæ.

Ad laudes,

Hymnus.

Hymnum laudis et glóriæ
Læti canámus hódie,
Ut sit in signum grátiæ
Concépta vox lætítiæ.
Geráldus ab illécebris
Mundus, et mundo célebris,
Exit de carnis látebris
Nec funéstus, nec fúnebris.
Sub monacháli régula
Ruga carens et mácula
Per signa, per mirácula,
Mortis disrúpit víncula.

Currens, sed non in írritum,
Natúræ solvit débitum :
Cujus comméndat éxitum
Cursus expléti méritum.
Conféssor par Martyribus,
Adésto confidéntibus :
Junge nos tuis précibus
Concíves cœli cívibus.
Sit laus Patri cum Fílio,
Et in duóbus tértio,
Quorum simplex connéxio
Unitas, et non únio. Amen.

Ad Bened. Aña. O Majóris Silvæ custos, vir majórum máxime, Monachórum sancte Pater, Gerálde piíssime : peccatóres qui te laudant a peccátis éxime : móveant te preces : móveant te lácrymæ : ut in bonis tecum nostræ demoréntur ánimæ.

Oratio. Concéde nobis. *ut supra.*

DIE VI. APRILIS.

In Festo

S. Vincentii Ferrerii

Confessoris. Duplex.

Omnia ut in Breviario, die V. Aprilis.

DIE VII. APRILIS.

In Festo

B. Julianæ

Virginis Cornelionensis. Duplex.

Omnia de Communi Virginum non Martyrum, præter sequentia.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátam Vírginem Juliánam ad promovéndum sanctíssimi Sacraménti cultum mirabíliter inflammásti : tríbue, quæsumus; ita nos humilitátis ejus vestígia sectári in terris, ut cum ipsa sublimári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Si Festum venerit in Quadrag. Lect. De Virgínibus. *de Communi primo loco, alias de Scriptura occurr.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



Verténte anno Christi millésimo centésimo nonagésimo tértio, nata est beáta Juliána in Retínna, húmili pago Leodiénsi, paréntibus religióne conspícuis, quibus orbáta, quinquénnis sub disciplína religiósa in Cornélii montis ascetério prope Leódium adolévit. In eo, adjuvánte Spíritu sancto, ita profécit, ut virtútum ómnium culmen attigísse viderétur. Sancti Augustíni régulam, quæ in eódem monastério vigébat, accurráte proféssa ac soróribus suis præpósita, ómnium in se óculos ex austéra sanctáque vivéndi ratióne convértit. Præclára sunt quæ prodúntur, tum de ipsíus in Deum et próximum amóre, humilitáte, obediéntia, pietáte et abstinéntia, tum de oratiónis stúdio ac cœléstibus charismátibus. ℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spé-

cie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. – Et.

Lectio v.

Dum ad sacram Synáxim accedébat, incredíbili pietátis sensu et grátiæ donis replebátur : sponsum suum cœléstem sub Eucharísticis speciébus laténtem frequénter invisébat, prona adorábat, et ómnibus adorándum prædicábat : unde factum est, ut Deus, qui infírma mundi éligit, húmilem Vírginem ad promovéndum sanctíssimæ Eucharístiæ cultum mirífice inflammárit. Etenim coram augústo Sacraménto provolúta divínitus intelléxit, instituéndam esse in Ecclésia singulárem Córporis Christi solemnitátem. Quod cum viris piis et doctis declarásset, hi, re diligénter examináta, ipsa adhortánte Juliána, Robértum, Leodiénsem Epíscopum, adduxérunt, ut in sua diœcési hoc festum institúeret : quod póstea Urbánus quartus, ántea Leodiénsis cathedrális Archidiáconus, auctoritáte apostólica approbávit, et ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam.— Proptérea.

Lectio vj.

Mortuo Leodiénsi Antístite Robérto, in multas et graves tribulatiónes devénit Juliána : nam ímpiis factiónibus monastério cum suis soróribus expúlsa, in necessitáte extréma aliquándiu vixit, donec in Salsiniénse monastérium excépta, ínibi a gravíssimis malis aliquántulum respirávit. Sed turbáta íterum pace ex ingruéntibus bellis, et dispérso ipso Salsiniénsi monastério, in óppidum Fossæ dedúcta, aliquánto post letháli morbo corrípitur, quo ingravescénte, sacrosánctum Christi Dómini Corpus in óppidi ecclésia collegiáta sumpsit in Viáticum speciáli cordis ardóre. Tum in céllulam redux et sacro óleo inúncta, óculis in sanctíssimum Eucharístiæ Sacraméntum defíxis, anno ætátis suæ sexagésimo sexto pie obdormívit in Dómino. Juliánæ corpus in cœnóbium Villariénse monachórum Cisterciénsium, ut ipsa expetíerat, fuit translátum, ubi mirácu-lis cláruit. ℟. Afferéntur.

In tertio Nocturno,
Homilia S. Gregorii, Papæ.
Sæpe vos. *de Comm. j. loco.*

DIE XXX. APRILIS.
In Festo
S. Eutropii
Episc. et Mart. Duplex.
Omnia de Communi Mart. temp. Pasch., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beáto Eutrópio, Pontífici, martyrii palmam contulísti : concéde propítius; ut ipsíus méritis et exémplo, et per vitam et per mortem Christus magnificétur in córpore nostro. Per eúmdem Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Eutrópius, quem ut suum Apóstolum Sántones mérito venerántur, a beáto Cleménte, ut ex vulgári traditióne sexto Ecclésiæ sæculo existimátum esse testátur Gregórius Turonénsis, episcopáli consecratióne insignítus, in Gállias ad fidem prædicándam diréctus est. Cumque, Dómino ducénte, Mediolánum Sántonum pervenísset, ibídem episcopátus sui sedem fixit. Verbum Dei dum hujúsce regiónis íncolis annúntiat, quosdam paulátim, non sine labóre et multis tribulatiónibus, ab ímpio idolórum cultu ad Christi fidem addúxit. Inter quos vulgo recensétur beáta virgo Eustélla, quæ ab ipso baptizáta, martyrii palmam méruit obtinére.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum : gáudium et exsultatiónem obtinébunt — Et ætérnitas.

Lectio v.

Ipse, post adimplétum rite munus, ictu secúris illíso ab incrédulis cápite, martyr occúbuit; et, ob instántem persecutiónem, loco minus digno sepúltus est. Cumque témporum lapsu nulla nisi nóminis ejus et sanctitátis superésset memória, a fidélibus ut Conféssor Póntifex tantum, non ut Martyr habebátur; donec eum pro Christo sánguinem fudísse sic fuit revelátum. Palládius, Santonénsis Epíscopus, in ejus honórem circa annum Dómini sexcentésimum basílicam exstrúxit; ad quam convocátis Abbátibus, dum e túmulo sacras Eutrópii relíquias honorificéntius collocándas transférret, duo ex illis Abbátibus, amóto opertório, conspexérunt ictu secúris illísum caput. Quibus étiam nocte sequénti idem Sanctus appáruit, dicens : Scitóte me per eam cicatrícem quam vidístis in cápite, martyrium consummásse. Ex eóque quod Martyr esset innótuit pópulis, quia non áderat história passiónis.

℟. In servis suis, allelúia, * Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. — Consolábitur.

Lectio vj.

SAncti Eutrópii memória subsequéntibus tempóribus in tota Gállia célebris facta est. Ejus relíquiæ in ecclésia ipsi dicáta usque adhuc remansérunt, quamvis per duo sæcula expilátæ et concremátæ créditæ fúerint. Antequam enim Iconomáchi calviniáni, in ómnium Sanctórum córpora furéntes, adventárent Sántonas, sollícita catholicórum píetas, Eutrópii cápite Burdígalam transláto, túmulum ipsíus óssibus dívitem prudénter occúluit, et a rábie hærética vindicávit. Médio fere sæculo décimo nono, sepúlcrum illud, Deo providénte, fuit repértum, factáque sacrórum beatíssimi Mártyris pígnorum sédula recognitióne, fidélium veneratióni rédditum est.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* xv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi. *Homil.* lxxv. *in Joann.*

QUid sibi vult hæc parábola? quod qui non vacat doctrínæ, vívere non potest, et quod futúra signa Christi virtúte provéniunt. Pater meus agrícola est : Quid? auxílio índiget Fílius? Absit : non enim radíci, sed palmítibus, agrícolæ curam conférre dicit. Radícis autem non ália ratióne méminit, quam ut dícerent sine illíus poténtia nihil fíeri posse, et quod ita ipsi fide uniéndi sunt ut palmes viti. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum Pater. Hic signat vitam, osténdens sine opéribus néminem in ipso esse posse. Et omnem qui fert fructum, purgábit, id est, incitábit ad virtútis curam. Atqui radix circumfossióne et cultu primum índiget, verum de ea nihil nunc dicit, sed de palmítibus, sibi ipsi se suffícere osténdens. Discípuli autem multa præceptóris cura índigent, etiámsi studiósi sint.

℟. Ego sum vitis vera, et vos pálmites : * Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia, allelúia. ℣. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. — Qui manet.

Lectio viij.

IDeo, inquit, omnem qui fructum fert, purgábit eum : qui fructum non facit, non potest esse in vite : qui fructum fert, eum reddet fecundiórem. Hoc autem étiam advérsus afflictiónes tunc ipsis imminéntes dictum esse quíspiam potest assérere : nam purgáre pálmitem, in-

cídere est, ut fecundiórem fáciat; unde osténdit tentatiónibus éffici fortióres Inde, ne quibus dicat intérrogent, et íterum sollicitaréntur, inquit : Jam vos mundi estis, propter sermónem quem locútus sum vobis. Vides quómodo se pálmitum curatórem profiteátur? Ego vos purgávi inquit; atqui supérius hoc Patri offícium osténdit; sed nulla est inter Patrem et Fílium differéntia : jam vestra opus est diligéntia.

℟. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus, allelúia : splendórem Deo dedérunt, allelúia : * Et sicut lac coaguláti sunt, allelúia, allelúia.

℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, sapphíro pulchrióres.— Et sicut lac. Glória Patri. Et sicut lac.

Lectio ix. *Paulo inferius.*

Qui manet in me, et ego in eo. Ecce Fílium non minóris esse quam Patrem potestátis, ad discípulos excitándos. Pater purgat, Fílius in eo manet : manére enim in radíce facit, ut pálmites fructum ferant. Quod si non purgátus in vite palmes mánserit, fert quidem fructum, sed non débitum: qui vero non manet in vite, nihil parit. Verum purgáre, Fílii étiam esse osténditur, et manére in radíce Patris, qui ipsam radícem generávit. Vides quómodo ómnia commúnia sunt, et purgáre, et a radíce virtútem habére! Magnum quidem detriméntum nihil posse fácere; verum ultérius pœna procédit. Mittétur, inquit, foras, neque ámplius ab agrícola curábitur; et aréscet, hoc est, si quid hábuit a radíce, si quam grátiam, amíttet, et omni inde auxílio et vita spoliábitur, et tandem in ignem mittétur.

Te Deum laudámus.

DIE IV. MAII.

In Festo

S. Macarii

Episc. et Confess. Duplex.
(*In Ecclesia Metropolitana, Duplex majus.*)
Omnia de Communi Conf. Pontificis, præter sequentia.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto Macário, Pontífice, conversémur digne Evangélio Christi, qui, ipso evangelizánte, fúimus in Christo Jesu creáti. Per eúmdem.

In primo Nocturno, Lectiones de Comm. Conf. Pont. Fidélis sermo.

In secundo Nocturno. Ex Breviario antiquo Diœcesis Burdigalensis.

Lectio iv.

Eo témpore quo beátus Martínus, Turonénsis Epíscopus, ad proferéndum fructum divíni gérminis flóruit, Macárius, vir ómnium virtútum grátia

plenus, inter álios familiáres suos speciálius illi præcípui amóris conjúnctus erat privilégio. Sciens autem Martínus se jam per plures Gálliæ partes veræ fídei fundaménta collocásse, splendórem salutíferæ prædicatiónis inferióribus pártibus Aquitániæ, nondum ab idololatría omníno líberæ, per beátum Macárium inaugurátum Epíscopum inférre cogitávit.

℞. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúia. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus enim.

Lectio v.

Macárius, beáti Martíni suasiónibus morem gerens, Dómino iter suum próspere disponénte, ad Ligénos, urbem ad oram Garúmnæ sitam, cum paucis sóciis pervénit, ubi bréviter ejus nóminis fama, quam prædicatiónis ardor et vitæ sánctitas áuxerant, omnem Aquitániam pervásit. Ad extrémum, fractus labóribus, e vita cessit, mercédem labórum, quos pro Christo pertúlerat, in cœlo receptúrus; quem Cassiánus et Victor illíus discípuli in illa urbe, in basílica sancti Lauréntii sepeliérunt.

℞. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúia. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

Audíta post plures annos miraculórum fama quibus sanctus Macárius clarescébat, comes Guillélmus, cognómine Bonus, suam civitátem tanti viri præsídio communíre volens, Archiepíscopi Burdigalénsis auctoritáte, sacras illíus relíquias magna pompa et veneratióne deportári curávit, eásque in summo templo, ubi nunc honorífice asservántur, collocávit. In itínere vero illud singuláre fuísse ferunt, quod ardéntes cérei, veneratiónis grátia juxta relíquias pósiti, nulla vi ventórum aut ímbrium exstíncti, Burdígalam usque deláti sunt.

℞. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxiv.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. lxxviij. *in Matth.*

Proptérea dicit ipsis ut vígilent, ut júgiter paráti sint, quia qua non exístimant hora ventúrus est.

Sollícitos ígitur facit et curiósos, ne unquam virtútem négligant. Tale quid autem est quod dícitur : si præscírent hómines quando moritúri sunt, diligéntiam suam circa illam horam osténderent. Ne ígitur in illo solúmmodo témpore, sed contínue diligéntes sint, nec generálem, nec singulárem horam prædícit, ut, semper exspectándo, semper vígilent. Hac enim ratióne términum vitæ nos occúluit. Hæc autem étiam ad erubescéntiam desídiæ mihi dicta vidéntur : majórem enim diligéntiam éxhibent in pecúniis conservándis, qui furem exspéctant, quam vos pro salúte ánimæ vestræ. Vígilant enim tunc, ne áliquid sibi subripiátur; vos vero, quamvis certo sciátis ventúrum Dóminum, non perseverátis tamen, neque ita vigilátis ut possítis non impræparáti ex hac vita discédere.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúia. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio viij.



Hæc parábola ad geréntes gubernantésque rempúblicam accommodári potest. Docet enim unumquémque ad commúnem utilitátem ómnia conférre quæ sua sunt, sive sapiéntiam, sive principátum, sive divítias, sive quidquid áliud, non ad detriméntum conservórum, nec ad perditiónem suam. Quaprópter utrúmque ab eo flágitat, prudéntiam scílicet atque fidem, delícta enim ab améntia oríginem habent. Fidélem ígitur appéllat, quóniam nihil ex rebus Dómini sibi attríbuit, nec incássum quidquam expéndit; prudéntem autem, quia opportúne dispensáre nóverit. Síquidem utráque re nobis opus est, ne scílicet quæ Dómini sunt ad próprios usus rapiámus, et ut opportúne ómnia dispensémus; nam si álterum horum desit, álterum omníno cláudicat.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúia. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit — Et vos. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Audiámus étiam, qui pecuniósi sumus. Non enim doctóribus hæc solum, sed divítibus étiam dicit, cum utrísque Dóminus suas divítias credíderit, máximas quidem doctóribus, sed locuplétibus étiam non parvas. Si ergo docéntes, majóres di-

vítias séminent, vos autem in minóribus nullam liberalitátem ostendátis, quænam vobis futúra est excusátio? Sed ínterim, ántequam de punitióne dicátur, quália sint approbáti servi præmia audiámus : Amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum. Quid hoc honóre majus? Quæ orátio hanc dignitátem, hanc beatitúdinem, ássequi póterit, cum cœlórum Cónditor, cui ómnia sérviunt, hóminem supra ómnia bona sua est constitutúrus? Proptérea et prudéntem eum appellávit, quia novit magna pro parvis perdénda non esse.

Te Deum laudámus.

DIE IX. MAII.

In Festo

Translat. S. Andreæ

Apostoli. Duplex.

(*In Ecclesia Metropol. duplex ij. classis.*)

In j. vesperis,

Aña. Salve, Crux, *cum reliquis de Laudibus; Psalm.* Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi, Psalmus.* Laudáte Dóminum, omnes Gentes.

Capitulum. *Rom.* x.

FRatres, Corde enim créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra : Omnis qui credit in illum, non confundétur.

Hymnus.

ANdréæ rédiit lux sacra pígnorum,
Terras non pígeat, nosque revísere :
Ut, quas rite preces fúndimus ánnuas,
Clemens suscípiat Deus.

Quantis te cúmulat Christus honóribus!
Pœnas cum móriens te vocat in suas;
Hac, germáne Petri, quam cúpias, nequit
Major créscere glória.

Sanctis, præco Dei, functe labóribus,
Dira morte cadis, sánguine quam doces
Firmas ipse fidem; non póterat tibi
Quid contíngere dúlcius.

Præsens Christus adest; hoc duce, péndulus
Longa perfrúeris supplícii mora,
Affixúsque cruci, nóbilis æmulus,
Jesum, qua licet, éxprimis.

Patri máxima laus, qui creat ómnia;
Mundum qui rédimit, máxima Fílio;
Quo torménta petit doctus homo crucis,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum, allelúia.
℟. Et in fines orbis terræ verba eórum, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Unus ex duóbus qui secúti sunt Dóminum, erat Andréas frater Simónis Petri, allelúia.

Oratio.

MAjestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus : ut fidem resurrectiónis áugeat in nobis beáti Andréæ solémnitas, in qua ipsíus immortális glóriæ pígnora venerámur. Per Dóminum.

Ad matutinum,

Invitat. Regem Apostolórum Dóminum, * Veníte, adorémus, allelúia.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

ADéste, sancti Cœlites;
Boníque, vestra dum piis
Colúntur ossa rítibus,
Votis favéte súpplicum.

Licet sepúlcris trístibus
Claudántur, in pulvísculum
Licet redácta squáleant,
Virtus Dei non déserit.

Sed sancta præsénti fovet
Implétque templa númine,
Et jam futúræ Spíritus
Post sæcla servat glóriæ.

Hinc, Andréæ sancta latens
Corpus sub ara cónditum,
Ægris medétur éfficax,
Torquet, fugátque dæmones.

Sit summa, Christe, laus tibi,
Ventúre judex sæculi,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sæculórum sæcula. Amen.

In primo Nocturno,

Aña. Vidit Dóminus Petrum et Andréam, et vocávit eos, allelúia.

Psalmi ut in Comm. Apost.

℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúia. ℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. *Cap.* x.

FInis legis Christus ad justítiam omni credénti. Móyses enim scripsit quóniam justítiam quæ ex lege est, qui fécerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est justítia sic dicit : Ne díxeris in corde tuo : Quis ascéndit in cœlum? id est, Christum dedúcere. Aut quis descéndet in abyssum? hoc est Christum a mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra? Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo, hoc est verbum fídei quod prædicámus. Quia si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, et in corde tuo credíderis quod Deus illum suscitávit a mórtuis, salvus eris.

℟. Cum perambuláret Dóminus juxta mare Galilææ, vidit Petrum et Andréam rétia mitténtes in mare, et vocávit eos, dicens : * Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum, allelúia. ℣. Erant enim piscatóres; et ait illis.—Veníte.

Lectio ij.

COrde enim créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim

Scriptúra : Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi et Græci : nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur? Sicut scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona!

℟. Mox ut vocem Dómini prædicántis audívit beátus Andréas, relíctis rétibus quorum usu actúque vivébat, * Ætérnæ vitæ secútus est præmia largiéntem, allelúia. ℣. Hic est qui pro amóre Christi pepéndit in cruce, et pro lege ejus sustínuit passiónem.—Ætérnæ.

Lectio iij.

SEd non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico : Numquid Israel non cognóvit? Primus Móyses dicit : Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem : in gentem insipiéntem, in iram vos mittam. Isaías autem audet et dicit : Invéntus sum a non quæréntibus me, palam appárui iis qui me non interrogábant. Ad Israel autem dicit : Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem et contradicéntem.

℟. Doctor bonus et amícus Dei, Andréas dúcitur ad crucem; quam a longe adspíciens, dixit : Salve, Crux, * Súscipe discípulum ejus qui pepéndit in te magíster meus Christus, allelúia. ℣. Salve, Crux, quæ in córpore Christi dedicáta es, et ex membris ejus tamquam margarítis ornáta.—Súscipe. Glória. Súscipe.

In secundo Nocturno,

Aña. Dignum sibi Dóminus computávit Mártyrem, quem vocávit Apóstolum, dum esset in mari, allelúia. ℣. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia. ℟. Et ætérnitas témporum, allelúia.

Ex Chrónico sancti Hierónymi. *Martyrol. Rom. et Adonis.* Lectio iv.

BEátus Andréas Apóstolus, iísdem crucis vestígiis vivus et móriens Christum secútus in cœlum, honorífice Patris, urbe Achaíæ, ubi et martyrium pértulit, a Maximílla pia matróna sepultúræ tráditus

est. Deínde ejus relíquiæ, itémque Lucæ Evangelístæ, vigésimo anno impérii Constántii, Constantinópolim ab Achaía, séptimo Idus Máii, magna celebritáte translátæ sunt : et apud Sanctórum illórum Relíquias refert beátus Hierónymus quod suo témpore dæmones rugiébant, et illórum se sentíre præséntiam confitebántur. Hujus celebritátis anniversárius dies ágitur ab Ecclésia in locis ubi peculiári offício hujus sancti Apóstoli memória recólitur.

℟. Homo Dei ducebátur ut crucifígerent eum. Pópulus autem clamábat voce magna, dicens : * Innocens ejus sanguis sine causa damnátur, allelúia. ℣. Cumque dúcerent eum ut crucifigerétur, factus est concúrsus populórum clamántium et dicéntium. — Innocens.

Sermo sancti Hierónymi Presbyteri. *Epist.* xxxviij. *adv. Vigilant.* Lectio v.

Dolet Vigilántius Mártyrum Relíquias pretióso operíri velámine, et non vel pannis, vel cilício colligári, vel prójici in sterquilínium. Ergo sacrílegi sumus, quando Apostolórum basílicas ingrédimur? Sacrílegus fuit Constántius imperátor, qui sacras Relíquias Andréæ, Lucæ et Timóthei tránstulit Constantinópolim, apud quas dæmones rúgiunt, et illórum se sentíre præséntiam confiténtur? Omnes Epíscopi non solum sacrílegi, sed et fátui judicándi, qui rem vilíssimam et cíneres dissolútos in sérico et vase áureo portavérunt? Stulti ómnium Ecclesiárum pópuli, qui occurrérunt sacris Relíquiis, et tanta lætítia suscepérunt? Male facit ergo Románus Epíscopus, qui super mortuórum hóminum Petri et Pauli ossa veneránda offert Dómino sacrifícia, et túmulos eórum Christi arbitrátur altária? O porténtum in terras últimas deportándum!

℟. O bona Crux! quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti, áccipe me ab homínibus, et redde me magístro meo, * Ut per te me recípiat, qui per te me redémit, allelúia. ℣. Beátus Andréas, expánsis mánibus ad cœlum, orábat, dicens : Salva me, bona Crux. — Ut.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi. *Serm.* cclxxv. *De S. Vincent. Tom.* 5.

Lectio vj.

Magnum Dóminus testimónium præbet téstibus suis, cum ille qui rexit corda certántium, nec córpora déserit mortuórum. Vere pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Quando nec terra carnis, vita deserénte, contémnitur; et invisíbili ánima de domo visí-

bili discedénte, habitáculum servi cura Dómini custodítur, et in glóriam Dómini a consérvis fidélibus honorátur. Quid enim agit Deus, mira ópera faciéndo circa sanctórum córpora defunctórum, nisi testimónium périhibet sibi non períre quod móritur? Et ut hinc intelligátur in quali honóre secum hábeat ánimas occisórum, quando caro exánimis tanto efféctu divinitátis ornátur.

℟. Expándi manus meas quotídie in cruce ad pópulum non credéntem, sed contradicéntem mihi, * Qui ámbulant vias non bonas, sed post peccáta sua, allelúia. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit : exaltáre, qui júdicas terram; redde retributiónem supérbis. — Qui ámbulant. Glória. Qui.

In tertio Nocturno,

Aña. Non me permíttas, Dómine, fámulum tuum a te separári : tempus est ut commendétur terræ corpus meum, et me ad te veníre júbeas, allelúia.

℣. Lætítia sempitérna super cápita eórum, allelúia. ℟. Gáudium et exsultatiónem obtinébunt, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* iv.

In illo témpore : Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mitténtes rete in mare. Et réliqua.

Homilía sancti Euchérii Epíscopi.

Inter Opera Euseb. Emiss., seu potius Gallicani Episc.



Ecce primos discípulos suos de mari Dóminus vocat; quóniam multos álios per eos de hujus mundi fluctuósa amaritúdine, ad fidem vocáre disposúerat : ut quia de mari a Dómino vocántur, ipsi quoque periclitántium ánimas de mundi hujus naufrágio, et de vitiórum insurgéntibus procéllis liberáre discant. Et sicut ipsi secúndum carnem fratres erant, ita et céteros et fide et dilectióne fratres esse dóceant. Omnes enim fratres sumus, qui ex una matre, Ecclésia, géniti, et unius Patris fílii sumus. Unde et simul omnes dícimus : Pater noster, qui es in cœlis. Quia enim commúnis Pater est ómnium, commúniter invocátur ab ómnibus.

℟. Orávit sanctus Andréas dum respíceret in cœlum, et voce magna clamávit et dixit : Tu es Deus meus, quem vidi : ne me patiáris ab ímpio júdice depóni, * Quia virtútem sanctæ Crucis agnóvi, allelúia. ℣. Tu es magíster meus Christus, quem diléxi, quem cognóvi, quem conféssus sum :

tantúmmodo in ista voce exáudi me. — Quia.

Lectio viij.

Vocat autem Dóminus piscatóres, quóniam tales ei necessárii erant, qui aquis assuéti, et piscándi et baptizándi essent períti. Ideóque non artem mutáre eis præcépit, sed longe melióris piscatiónis, et altérius géneris píscium eos piscatóres fore promíttit, dicens : Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. Nisi enim hómines pisces essent, piscatóres hóminum Apóstoli fíeri non possent. Tales enim pisces digni sunt convívio Dei : tales pisces in baptísmatis flúvio natant, tales pisces hamo fídei et sanctæ prædicatiónis rétibus capiúntur.

℟. Videns crucem Andréas exclamávit, dicens : O Crux admirábilis! o Crux desiderábilis! o Crux quæ per totum mundum rútilas! * Súscipe discípulum Christi, ac per te me recípiat, qui per te móriens me redémit, allelúia. ℣. O bona Crux! quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti. — Súscipe discípulum. Glória Patri. Súscipe discípulum.

Lectio ix.

Sed quid est dícere : Veníte post me? Post Christum namque ire, est ejus vestígia sequi, ejus ópera imitári, ejúsque patiéntiam et humilitátem tenére. Neque enim súfficit nobis pédibus tantum ire post Jesum, nisi et mente et dilectióne eum consequámur. Operæ prétium autem est consideráre quanta fúerit horum beatórum fratrum obediéntia, qui statim, relíctis rétibus, secúti sunt eum. Unde non immérito Simon obédiens, Andréas vero respóndens vel decórus interpretátur. Et illi quidem fratres erant. O felix milítia, quæ ex frátribus collígitur, quibus est cor unum et ánima una, de quibus étiam per Prophétam dictum fúerat : Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! Te Deum.

Ad laudes,

et per Horas, Añæ.

1. Salve, crux pretiósa : súscipe discípulum ejus qui pepéndit in te, magíster meus Christus, allelúia. *Psalm.* Dóminus regnávit, *cum reliquis de Laudibus Dominicæ.*

2. Beátus Andréas orábat, dicens : Dñe, Rex ætérnæ glóriæ, súscipe me pendéntem in patíbulo, allelúia.

3. Andréas, Christi fámulus, dignus Dei Apóstolus, germánus Petri, et in passióne sócius, allelúia.

4. Maximílla, Christo amábilis, tulit corpus Apóstoli; óptimo loco cum aromátibus sepelívit, allelúia.

5. Qui persequebántur justum, demersísti eos, Dñe, in inférno, et in ligno crucis dux justi fuísti, allelúia.

Capitulum. *Rom.* x.

Fratres, Corde enim créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra : Omnis qui credit in illum non confundétur.

Hymnus.

O vos, unánimes christíadum chori!
Sanctórum túmulos et cíneres patrum,
Dulces exúvias, pígnora Cœlitum,
Lætis dícite cántibus.
Cœlo, quando piis æqua labóribus,
Felíces ánimæ gáudia póssident, [rédditur
Pœnárum sóciis, débita
Hic laus et decus óssibus.
Quin et rellíquias et túmulos, sibi [hóstia;
Aras, ipse Deus cónsecrat.
Conjungénsque suis se caput ártubus,
Hos secum simul ímmolat.
Vos, quorum cíneres supplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis;
Si vos nostra movent, subsídium, boni,
Vestris ferte cliéntibus :
Ut cum nostra novis spléndida dótibus,
Surget juncta choris spiritúum caro,
Indivísa Trias sit Deus ómnia [Amen.
Nobis semper in ómnibus.

℣. Diléxit Andréam Dóminus, allelúia. ℟. In odórem suavitátis, allelúia.

Ad Bened. Aña. Concéde nobis hóminem sanctum, ne interfícias hóminem Deo carum, justum, mansuétum et pium, allelúia.

Oratio.

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus : ut fidem resurrectiónis áugeat in nobis beáti Andréæ solémnitas, in qua ipsíus immortális glóriæ pígnora venerámur. Per Dóminum.

Ad primam,

Aña. Salve, Crux.

Ad Absolut. Capituli, Lectio br. Isaías enim dicit.

Ad tertiam,

Aña. Beátus Andréas.

Capit. Fratres, Corde, *ut supra.*

℟. *br.* Sancti et justi, in Dómino gaudéte, * Allelúia, allelúia. Sancti et justi. ℣. Vos elégit Deus in hereditátem sibi. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Sancti.

℣. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia. ℟. Et ætérnitas témporum, allelúia.

Ad sextam,

Aña. Andréas Christi fámulus.

Capitulum. *Rom.* x.

Non enim est distínctio Judæi et Græci : nam idem Dóminus ómnium, dives in om-

nes qui ínvocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.
℟. *br.* Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, * Allelúia, allelúia. Lux perpétua. ℣. Et ætérnitas témporum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Lux perpétua.
℣ Lætítia sempitérna super cápita eórum, allelúia.
℟. Gáudium et exsultatiónem obtinébunt, allelúia.

Ad nonam,

Aña. Qui persequebántur.
Capitulum. *Rom.* x.

Isaías enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.
℟. *br.* Lætítia sempitérna super cápita eórum, * Allelúia, allelúia. Lætítia. ℣. Gáudium et exsultatiónem obtinébunt. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Lætítia.
℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúia. ℟. Mors sanctórum ejus, allelúia.

In ij. vesperis,

Aña. Salve, Crux, *cum reliquis de Laudibus; Psalm.* Dixit Dóminus, *cum reliquis de ij. Vesp. Communis Apostolorum.*
Capit. Fratres, Corde enim.
Hymn. Andréæ rédiit lux. *ut supra ad Vesperas.* ℣. Diléxit. *ad Laudes.*
Ad Magnif. Aña. Cum pervenísset beátus Andréas ad locum ubi crux paráta erat, exclamávit et dixit : O bona Crux, diu desideráta, et jam concupiscénti ánimo præparáta, secúrus et gaudens vénio ad te : ita et tu exsúltans suscípias me, discípulum ejus qui pepéndit in te, allelúia.

DIE XI. MAII.
In Festo
S. Catharinæ Senensis. *Duplex.*
(*In Kalend.*, 30 *Aprilis.*)

DIE XIII. MAII.
In Festo
S. Monicæ
Viduæ. Duplex.
(*In Kalend.*, 4 *Maii.*)

DIE XIV. MAII.
In Festo **S. Gregorii Nazianzeni** *Episc. Conf. et Doct. Duplex.*
(*In Kalend.*, 9 *Maii.*)
In Hymno. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*

DIE XVI. MAII.
In Festo
S. Fortis
Episcopi et Mart. Duplex.
Omnia de Communi Martyrum temp. Paschali, præter sequentia. **Oratio.**


Deus, qui beáto Forti victóriam martyrii contulísti : concéde propítius : ut fortes in

fide facti, ita legítime certémus in terris, ut cum ipso coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Lect. de Scriptura occurr. Et si venerit in Rogat. aut in Vigil Ascensionis, Lect. de Communi unius Mart. A Miléto.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

INter sanctíssimos Burdígalæ tutóres, beáti Fortis memória frequentíssimo incolárum concúrsu décimo sexto Maii solet quotánnis celebrári. Epíscopum et Mártyrem fuísse vetustíssima tradítio est : eóque honóre et cultu habétur, ut ex statútis civitátis Burdigalénsis, major urbis, quem vocant tum syndicus seu actor públicus, nec non scriba, quamprímum his migistrátibus per electiónem insigniúntur, compellántur juráre ad sacrum ipsíus bráchium, quod a réliquo córpore avúlsum, theca argéntea inclúsum fuit, se múnia sua fidéliter atque ut decet obitúros. Quod sacraméntum emíttere debent in insígni ecclésia sancti Severíni in subúrbio, ubi sancti Mártyris íntegrum corpus a plúribus sæculis asservátur et cólitur.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum : gáudium et exsultatiónem obtinébunt. — Et.

Sermo sancti Gregórii Nysséni Epíscopi. Lectio v.

Vos qui pópulus Christi, qui grex sanctus ac regále estis sacerdótium, qui úndique ex úrbibus et ex agris catervátim confluxístis; unde, signo itíneris accépto, ad hunc sacrum locum venístis? Quis vobis huc veniéndi ádeo sériam ac quasi præstitútam necessitátem impósuit! An palam est quod sanctus Martyr multos ex divérsis regiónibus excitátos ad suæ requiétis locum ac sedem vocávit? Anima quidem ejus, ex quo sublímis ábiit, in suo loco acquiéscit, et córpore solúta, cum suis simílibus una vivit : corpus vero, venerándum et immaculátum illíus instruméntum, cum multo honóre et cultu compósitum atque ornátum, in augústo sacróque loco situm, in tempus regeneratiónis reservátur, multis singuláribus et exímiis rebus prǽditum.

℟. In servis suis, allelúia, * Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum et in servis suis. -- Consolábitur.

Lectio vj.

Quicúmque vénerit ad locum hunc, ubi hódie noster convéntus habétur, ubi memó-

ria justi, sanctæque Relíquiæ sunt, cupit ipsi conditório appropinquáre, sanctificatiónem ac benedictiónem, contrectatiónem ejus esse, credens. Quasi corpus enim per se vivens et florens qui intuéntur, amplectúntur, óculis, ori, áuribus, ómnibus sénsuum instruméntis adhibéntes : deínde offícii et affectiónis lácrymas, Mártyri, quasi ínteger esset et apparéret, superfundéntes, ut pro ipsis deprecátor intercédat, súpplices preces ófferunt; quasi accipiéntem dona, cum velit, invocántes. Ex his ómnibus, o pópule pie, díscite quod pretiósa ac honoráta coram Dómino sit mors sanctórum ejus. Cui regum talis honor habétur? Quis ex iis qui supra modum inter hómines excéllere visi sunt, tali memória celebrátur. ℟. Fíliæ.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* xv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi. *de Conf. Domini.*

ARbores sumus, fratres, in agro Domínico constitútæ; Deus autem noster agrícola. Ille nos cómpluit, ille colit, ipse fecunditátem donat, ipse fructificándi plúviam subminístrat. Plúvia Dei est sermo sanctæ prædicatiónis; cultúra Dei est infúsio grátiæ spiritális. Deus ígitur præcépto nos cómpluit, adjutórium colit. Dum cómpluit, aufert a nobis ignorántiæ siccitátem; dum colit, bene vivéndi condónat ubertátem : dum pluit, terram nostri cordis írrigat; dum vero colit, de ipsa terra spinas et tríbulos mundánæ cupiditátis exstírpat.

℟. Ego sum vitis vera, et vos pálmites : * Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia, allelúia. ℣. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. — Qui manet.

Lectio viij.

DEbémus ítaque fecundári cœléstibus plúviis; debémus, cóngrua fructificatióne, mánibus supérni respondére cultóris. Et si non possunt omnes árbores æquáles fructus afférre, nulla tamen debet in agro Domínico stérilis permanére. Multum metuénda est nobis, fratres, illa senténtia comminántis, qua dícitur : Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidétur, et in ignem mittétur. Quod si sterílitas in ignem míttitur, rapácitas quid merétur? Aut quid recípiet qui aliénum túlerit, si semper ardébit qui de suo

non déderit? Et si judícium sine misericórdia erit illi qui non facit misericórdiam, quale judícium erit illi qui fécerit et rapínam? Timeámus ergo, fratres, timeámus actus nostros.

℟. Cándidi facti sunt Nazaraei ejus, allelúia : splendórem Deo dedérunt, allelúia : * Et sicut lac coaguláti sunt, allelúia, allelúia. ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, sapphíro pulchrióres. — Et sicut. Glória Patri. Et sicut.

Lectio ix. *Post pauca.*



Hoc ergo, fratres, necessárium est ómnibus nobis, ut in bonis opéribus nemo sit segnis, nemo sit stérilis, nemo præséntium dilectióne futúra contémnat, nemo ætérna despíciens, sola temporália pervérsus adspíciat; nemo spiritálibus corporália præferat, nemo terréna cœléstibus antepónat. Thesáurum nostrum, fratres, in cœlis ponámus, ut étiam cor nostrum in cœlis habére possímus. Necésse est enim ut quo præcésserit dilectiónis thesáurus, illuc étiam cogitatiónis sequátur affectus. Ideo Véritas ait : Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit. Ut ergo in cœlis thesaurizémus, cœléstia diligámus.

Te Deum laudámus.

DIE XVII. MAII.
In Festo
S. Joannis Nepomuceni *Mart. Duplex.*

Omnia ut in Supplemento Breviarii.

DIE XXI. MAII.
In Festo
S. Paschalis Baylon
Confessoris. Duplex.

Omnia ut in Breviario, XVII. Maii.
In Hymno. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*

DIE XXII. MAII.
In Festo
S. Quitteriæ
Virg. et Mart. Duplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart. præter sequentia.

Ad vesp. et ad laudes,
Hymnus.



Fuso purpúrei sánguine Mártyres,
Et puro níveæ péctore Vírgines,
Christi Quittériam dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.
Virgo blandítias inter amábiles,
Luxus, alta petens, déspicit áulicos;
Ardet, digna Deo cónjuge, nóbiles,
Toto péctore, núptias.
Nequícquam thálamos propósuit pater,
Jam despónsa Deo, Virgo perhórruit : [lábili,
Voto, se pénitus, non vio-
Christo débita cónsecrat.

Quas non ille preces móllior áddidit!
Quas non incrépitans áddidit et minas!
Christo rite datam, díscite, Vírgines,
Virgo non témerat fidem.
Sed quid cogis, amor? Fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem,
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præcláre sítiens necis.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque sacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia sústinent, [Amen.
Spreto fúnere, Vírgines.

Oratio.

Deus, qui stulta mundi éligis ut confúndas sapiéntes: da nobis, piis beátæ Quittériæ précibus; ut in sapiéntia ambulántes, mundi blandiménta vitémus, et ad eum qui factus est nobis a Deo sapiéntia, perveníre possímus. Per Dóminum.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.
Ex antiquis Breviariis Hispaniæ, et Flore Sanctorum Hispan.

Lectio iv.

Quittéria, Gallæciæ príncipis, ut dicunt, fília, paréntibus ínsciis, sacro baptísmatis fonte ablúta, fideíque christiánæ móribus et mystériis óptime institúta, virginitátem suam Christo consecrávit. Cumque a patre infidéli de núptiis interpellarétur, fídei suæ cavens et virginitáti, e domo patérna clam abscéssit, et ad vallem dictam Aufrágiam se cóntulit. Quod cum rescísset pater, misit illuc satéllites ut fíliam redúcerent, et nisi, abnegáta fide, núptias quas illi destináret amplecterétur, interfícerent. Qui, patris ímpii impérium exsecúti, Quittériam in suo voto et fide constántem cápite minuérunt. Ejus corpus a christiánis sepúltum est prope civitátem Adurénsem, quæ illíus gaudet et fulcítur patrocínio. Implorári solent ejus suffrágia advérsus rábiem et rabidórum morsus animálium. Et dissipátis licet furóre hæreticórum sacris illíus Relíquiis, locus tamen sepúlcri cultu speciáli honorátur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúia.
℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi. *Homil.* j. *de S. Pelagia. Tom.* 2.

Lectio v.

Benedíctus Deus: étiam mulíeres, virginésque ádmodum júvenes et innúptæ mor-

tem irrídent. Hæc porro bona ómnia per Christum ex vírgine natum alláta nobis sunt : nam post beátum partum illum et admirábilem ortum, mortis nervi solúti sunt, et fracta est poténtia diáboli, qui deínceps non a viris tantum, sed étiam a muliéribus contémnitur; nec a muliéribus modo, sed a puéllis. Christus mortem natúræ nostræ formidábilem generíque nostro terríbilem corrípuit, ejúsque metum dissólvit; ita ut étiam vírgines ipsam derídeant. Quamóbrem beáta Virgo nostra tanta cum voluptáte ad eam cucúrrit, ut ne quidem in judícium ingrederétur, sed própria ánimi magnitúdine carníficum crudelitátem prævérteret.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, allelúia. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vj. *Homilia* ij.

O Puéllam, génere quidem et sexu féminam, ánimo autem ipso marem! O Vírginem duóbus nomínibus extolléndam, quod in Vírginum grege et Mártyrum choro numeráta sis! O puéllam ita continéntem, ut neque adspéctu quidem ipso fruéndi facultátem præbúeris! Hujus ígitur puéllæ temperántiam et nos imitémur; et contra voluptátes ipsas victóriæ trophæa erigámus : incontinéntiæ atque intemperántiæ ímpetum frangámus, et ánimum ipsum ad pietátem servándam corrororémus. Cum opportúnum est, non abjéctos, sed audáces nos præstémus. Dénique membra nostra, quæ sunt super terram, mortificémus, ut Dóminus ipse hoc húmile corpus nostrum tale reddat et in hanc conditiónem tránsferat, córporis sui formam commúnicet: cui sit glória et impérium in sæcula.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

De div. quæst. lxxxiij.

DEcem vírginum, quod quinque admittúntur, quinque excludúntur, bonórum et malórum discretiónem signíficat. Quaprópter si virginitátis nomen est honorábile, cur recéptis exclusisque commúne est? deínde quid sibi

vult númerus in utráque parte quinárius? Quid autem signíficat óleum? Mirum vidétur. Item quod sapiéntes peténtibus non commúnicant, cum invidére fas non sit eas quæ ita perféctæ sunt, ut a sponso recipiántur, quo nómine, nullo dubitánte, Dóminus Jesus Christus significátur; et misericórdes esse opórteat ad præstándum ex eo quod habent, præscribénte illa senténtia ejúsdem Dómini dicéntis : Omni poscénti te, tríbue. Quid est autem quod possit, dando, non sufficere utrísque? Hæc máxime augent quæstiónis difficultátem.

℟. Hæc est virgo sápiens quam Dóminus vigilántem invénit, quæ, accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias, allelúia. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — Et.

Lectio viij.

Videntur ítaque mihi quinque vírgines significáre quinque partítam continéntiam a carnis illécebris. Continéndus est enim ánimi appetítus a voluptáte oculórum, a voluptáte áurium, a voluptáte olfaciéndi, gustándi, tangéndi. Sed quia ista continéntia partim coram Deo fit, ut illi placeátur in interióri gáudio consciéntiæ; partim coram homínibus tantum, ut glória humána capiátur; quinque dicúntur sapiéntes et quinque stultæ, utræque tamen vírgines, quia útraque continéntia est, quamvis divérso fómite gáudeat. Lámpades autem, quia mánibus portántur, sunt ópera, quæ secúndum istam continéntiam fiunt. Dictum est autem : Lúceant ópera vestra bona coram homínibus. Omnes vero accepérunt lámpades suas, et venérunt óbviam sponso. Intelligéndum ergo est, Christi nómine censéri, de quibus ágitur; non enim possunt, qui christiáni non sunt, sponso Christo veníre óbviam. Sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus suis, non sumpsérunt óleum secum. Multi enim, quamvis de Christi bonitáte plúrimum sperent, gáudium non habent, dum continénter vivunt, nisi in láudibus hóminum.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei, allelúia. ℣. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. — Ecce sponsus. Glória Patri. Ecce sponsus.

Lectio ix. *Paulo infer.*

Dixérunt stultæ ad sapiéntes : Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur. Quorum enim facta aliéna laude fulciúntur, eádem subtrácta, defíciunt,

et de consuetúdine id semper inquírit ánimus, unde gaudére solet. Sed quid respondérunt sapiéntes? Ne forte non sufficiat nobis et vobis. Unusquísque enim pro se ratiónem reddet; et vix cuíque súfficit ut ei testimónium perhíbeat consciéntia sua. Ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Non consílium dedísse putándæ sunt, sed crimen eárum ex oblíquo commemorásse. Vendunt enim óleum adulatóres, qui sive falsa, sive ignoráta laudándo, in erróres ánimas mittunt, et eis vana gáudia tamquam fátuis conciliándo, áliquam de eis mercédem sive cibórum, sive pecúniæ, sive honóris, sive alicújus cómmodi temporális accípiunt, non intelligéntibus quod dictum est : Qui vos felíces dicunt, in errórem vos mittunt. Te Deum.

DIE XXIII. MAII.
In Festo
S. Ubaldi
Episcopi et Confessoris. Semiduplex.
(*In Kalend.*, 16 *Maii.*)
In Hymno. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*

DIE XXIV. MAII.
In Festo
B. Mariæ V. *sub titulo* **Auxilium Christianorum.** *Duplex majus. Omnia ut in Supplemento Breviarii.*

DIE XXVIII. MAII.
In Festo SS. mulierum
Mariæ Jacobi et Salome,
Sororum B. M. V. Duplex. Offic. de Communi nec Virg. nec Mart. præter sequentia.

Ad vesperas,

Hymnus.

Amóre quæ jam próvido
Vivum solébant páscere,
Tristes recénti fúnere
Jesum dolébant mórtuum.
At vos, dolórem pónite;
Se suscitávit mórtuum :
Indígna mortis víncula
Rumpéndo, se probat Deum.
Pervásit ingéntem petram :
Artus sacros dat tángere;
Serváta monstrat vúlnera,
Nostræ salútis óbsides.
Qui te beátis féminis,
Jesu, revelásti, Deus :
Et te, ne vacíllet fides,
Nostris revéla méntibus.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ad Magnif. Aña. María Magdaléne, et María Jacóbi, et Sálome, emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum, allelúia.

Oratio.

Exáudi nos, Christe salutáris noster : ut sicut te beátis mulíeribus Maríæ Jacóbi et Sálome, post resurrectió-

nem, vidéndum et tangéndum præbuísti in terris; ita in ætérnum te frui mereámur in cœlis. Qui vivis.

Ad matutinum,

Invit. Laudémus Deum nostrum, * In confessióne sanctárum mulíerum, allelúia. *Ps.* Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Per quos gradus cœlum petunt,
Hac ire vos omnes docent,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos, solútæ cónjuges.
Cultu nitent, sed símplice,
Puris placébant móribus.
Quas súbtrahunt, duræ sibi,
Opes refúndunt páuperi.
Carnem terunt jejúniis,
Linguam domant siléntio;
Per dura Christum prælia,
Per damna non timent sequi.
Pacem domi, pacem foris
Alta colunt prudéntia :
Lites amant compónere,
Ut una mens sit ómnibus.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas sigíllis fœdera. Am.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.
Ex antiquo Brev. Burdigalensi, et Martyrol. Rom.

Lectio iv.

Beatárum mulíerum Maríæ Jacóbi et Sálome, quarum plúrima laus est in Evangélio, festívitas hódie celebrátur. Illas beatíssimæ Vírginis Maríæ soróres seu propínquas fuísse commúnis tradítio est : cujus cómites exstitísse in Christi Passióne, atque ad monuméntum Christi venísse cum aromátibus, ut illum úngerent, et prióres illíus resurrectiónem ab Angelo audivísse, Evangélia réferunt. Obiísse in Judæa, et illic sepúltæ legúntur; relíquiæ tamen Maríæ Jacóbi, Vérulas, Látii civitátem, translátæ perhibéntur, et ibi decentíssime asservári, atque illustrári miráculis. Hac vero die, translátio illa facta est, quæ occásio esse pótuit ut hac eádem die utriúsque soróris cultus et memória jungeréntur.

℞. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúia. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Ex Epístola sancti Fulgéntii Epíscopi ad Gallam. *De statu viduali, cap.* vij, xij, xvj.

Lectio v.

In eo quod ex conjugáta facta es vídua, donum Dei auctum tibi magis exístima, non ablátum : neque enim te deséruit, qui tibi sequéndam viam vitæ melióris osténdit. Grádibus te vóluit Dóminus ad melióra conscéndere, ut prímitus con-

jugáta cum uno viro fidéliter víveres, quo póstmodum sine difficultáte absque viro vídua permanéres. Si ergo sanctæ mulíeres, étiam conjugátæ, non sunt monílibus commendátæ, sed móribus, et eo magis humilitáte debent ornári quam veste : qualis debet esse víduæ hábitus et incéssus, quæ non hómini viro cupit placére, sed Christo! Quæ necessitáte corporális absolúta connúbii, spirituália tantum debet ornaménta sectári.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, allelúia. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

QUocírca castigatióne córporis acquíre pulchritúdinem cordis : vílibus caro tegátur operiméntis, et pretiósis ánima véstibus induátur : nec quæras ut pláceas óculis hóminum, sed ut Christi non offéndas adspéctum. Ille in te, quod díligit vídeat, quod dedit invéniat, quo delectátur agnóscat. Oratiónibus óperam da, jejúniis insta. Quidquid tuis apparátibus súbtrahis, esuriéntibus tríbue, et quidquid tibi dedúcis, egénis expénde. Voluntárium jejúnium tuum esúriem súblevet jejunántium, ut in fructu misericórdiæ tuórum possit jejuniórum fecúnditas apparére.

℟. Fallax grátia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* xvj.

IN illo témpore : María Magdaléne, et María Jacóbi, et Sálome, emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi. *Lib. de Isaac et anima, cap.* v.

QUóniam per Evangélium in terris vidémus cœléstia mystéria figuráta, veniámus ad illam Maríam, veniámus ad Magdalénam. Considerémus quemádmodum Christum in cubíli córporis sui, in quo defúnctus jacébat, in nóctibus quæsíverint, quando dixit illis Angelus : Jesum qui crucifíxus est quæritis; non est hic, surréxit enim. Quid ígitur quæritis vivéntem cum mórtuis? Quid quæritis in vínculis sepultúræ, universórum víncula solvéntem? Non sepúlcrum huic sedes, sed cœlum est. Tamen dum vadunt Apóstolis nuntiáre, miserátus quæréntes, occúrrit eis Jesus dicens : Avéte. Illæ autem accessérunt, et tenuérunt pedes ejus, et adoravérunt eum. Tenétur ergo Jesus, sed delectátur sic tenéri, quia fide tenétur.

℟. María Magdaléne, et María Jacóbi, et Sálome, emérunt arómata, * Ut veniéntes úngerent Jesum, allelúia. ℣. Et valde mane una Sabbatórum, véniunt ad monuméntum, orto jam sole. — Ut.

Lectio viij.

Delectávit eum et illa múlier quæ tétigit eum, et curáta est sánguinis fluxu, de qua dixit : Tétigit me áliquis : nam séntio virtútem de me exiísse. Tange ergo, et fide tene eum, et constrínge fidéliter pedes ejus, ut virtus de eo éxeat, et sanet ánimam tuam. Et si dicat : Noli me tángere, tu tene; nondum enim ascéndi ad Patrem meum, dixit semel. Dixit : Noli me tángere, quando resurréxit : aut forte illi dixit, quæ putábat furto esse sublátum, et non virtúte própria resuscitátum.

℟. Et ecce Jesus occúrrit illis, dicens : Avéte. * Illæ autem accessérunt, et tenuérunt pedes ejus, et adoravérunt eum, allelúia. ℣. Tunc ait illis Jesus : Nolíte timére : ite, nuntiáte frátribus meis, ut eant in Galilæam. — Illæ. Glória Patri. Illæ.

Lectio ix.

Denique in álio libro habes quia tenéntibus pedes et adorántibus, dixit : Nolíte timére. Tene ergo et tu, ánima, sicut tenébat et María, et dic : Ténui eum, et non dimíttam, sicut dicébant ambæ : Teneámus te. Dicat ergo ánima tua : Téneo te, et indúcam te in domo matris meæ, et in secrétum ejus quæ concépit me; ut cognóscam mystéria tua, ut háuriam sacraménta tua. Te Deum laudámus.

Ad laudes,

Hymnus.

Adéste, sanctæ cónjuges, [ditur;
Cœléstis aula pánditur;
En Christus; omnes óbviæ
Exíte, castæ Víduæ.
Desiderátus est dies
Qui, longa post suspíria,
Dat ómnibus, dat síngulis
Jam plénius frui Deo.
Quæ casta vobis gáudia,
Quos afflet ignes, dícite,
Ab ore cujus púrior
Torrens volúptas éffluit.
Felix nimis connúbium
Per quod Deo mens júngitur :
Ætérna sunt hæc fœdera,
Quæ nulla dissólvat dies.
Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

Ad Bened. Aña. Respóndens Angelus, dixit muliéribus : Jesum quem quæritis non est hic; surréxit sicut locútus est : præcédet vos in Galilæam; ibi eum vidébitis, allelúia.

In ij. vesperis.

Omnia ut in primis.

DIE I. JUNII.
In Festo S. Clari
Episc. et Mart. Duplex.
Omnia de Communi unius Mart. temp. Paschali, præter sequentia.

In utrisque vesperis et laudibus,

Hymnus.

Nunc agnósce tuum, réspice Mártyrem,
Princeps Christe, salus única Mártyrum :
Expréssit móriens, qua pótuit, tuæ
Clarus mortis imáginem.

Lecta cum júvenum vénerat huc manu;
Desérta pátria, ceu tot Apóstoli,
Cæcis in stygia nocte jacéntibus
Portant lúmina Gálliis.

Illis ludus erant própositæ neces;
Audébant, vel oves, crédere se lupis;
Omnes, unánima terríbiles fide,
Christo sub duce mílitant.

Urbes per médias, sævit ubi furor,
Ardent ire; novos ipsa perícula
Illis dant ánimos : quis téneat duces
Vitam fúndere pródigos?

At Clarus sócios férvidus émicat
Inter; christíferi dux erat ágminis :
Vertunt, ædíficant, et bona sémina
Spargunt, et simul írrigant.

Patri máxima laus : máxima Fílio;
Ambórum tibi par laus quoque, Spíritus,
Præsens Martyribus qui velut ébriis
Christi sánguine, das mori. [Amen.

Oratio.

Mentes nostras, quæsumus, Dómine, lúmine tuæ claritátis illústra : ut, intercedénte beáto Claro, Mártyre tuo atque Pontífice, vidére possímus quæ agénda sunt, et quæ recta sunt ágere valeámus. Per Dóminum.

Ad matutinum,

Hymnus.

Ad sanctos cíneres cúrrite, cívitas :
Sunt hæc plena Deo pígnora Mártyrum;
Sanctórum túmulos et cíneres sacros
Lætis dícite cántibus.

Hic quot prodígiis se Deus ásserit!
Hic surdi pátulis áuribus áudiunt :
Cæcis et sua lux rédditur, et suus
Contráctis vigor ártubus.

Vos, quorum cíneres supplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis;
Si vos nostra movent, subsídium, boni,
Vestris ferte cliéntibus.

Ut cum nostra, novis spléndida dótibus,
Surget, juncta choris spiríituum, caro,

Indivísa Trias, sit Deus ómnia [Amen.
Nobis semper in ómnibus.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno
Ex Breviariis antiquis Burdigalensi et Vazatensi, aliisque monumentis.

Lectio iv.


Clarus, cum sex áliis sóciis doctrína et sanctitáte præstántibus, Justíno, Gerúntio, Sevéro, Polycárpo, Joánne et Babylio, pátriam, paréntes, súaque ómnia, propagándi Evangélii causa, tráditur reliquísse. Hinc Romam véniens, ibídem episcopáli dignitáte insignítus, supérna miseratióne diréctus est in Gállias, in quas spargebátur rumor generósos úndique Christiános ad martyrium, pro fídei tuitióne, convenire. Itaque clarus cum sóciis Gállias ingréssus, ubíque suæ caritátis pro salúte animárum manifésta relínquit vestígia.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum : gáudium et exsultatiónem obtinébunt. — Et ætérnitas.

Lectio v.


Tandem in Aquitániam divíno instínctu accersítur, ut ibi de thesáuro cœlésti, quo affátim dives erat, promat nova et vétera. Mirum quam libénter, exémplo Apóstoli, et impéndat, et superimpendátur. Intentátæ minæ, cárceres, cruces, ferrum, mors dénique ipsa præ óculis, nec tantíllum quidem sanctum Pontíficem impédiunt quóminus idóla úndique evértat, et idololatríæ vesániam totis víribus et palam insectétur, et prófliget. Benígnus vero Dóminus multitúdine miraculórum, tamquam certis auctoritátis suæ sigíllis, doctrínam servi sui muniébat. Cæcis visus, ut habent antíqua de eo scripta, reddebátur; surdis audítus; integrabántur débiles, et per ista dæmonum cultus ad níhilum reducebátur.

℟. In servis suis, allelúia, * Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. — Consolábitur.

Lectio vj.


Lacóram (quæ nunc Lectóra dícitur, fuítque sedes episcopális usque ad nefándos dies perturbatiónis Galliárum) proféctus, ut ibíbem sólitas cœléstis ignis, quo ardébat, scintíllas spárgeret, ab idolórum sacrifículis in cárcerem tráditur. Unde post vária gravissímaque supplícia edúctus, jubétur simulácro, quod Diánæ fuísse dicunt, immoláre. Verum ad Sancti conspéctum, sta-

tim idólum, quod sublími ádmodum loco situm erat, córruit, evanuítque in púlverem. Idololátræ in furórem versi, insíliunt in servum Dei, cæsúmque crudelíssime et pede dilacerátum íterum incárcerant. At noctu ab Angelo invísitur et fovétur, ac instántis sui martyrii gratíssimum súscipit núntium, quod revéra sequénti die, mira fortitúdine et ardóre pértulit. Passos fuísse simíliter sex illíus sócios tradítio est, atque ut in vita conjúncti fúerant, sic eórum sacræ relíquiæ in ecclésia sanctæ Euláliæ Burdígalæ, in eádem capéla recúmbunt, illuc a Cárolo Magno, ut ex véteri scripto lápidi ejúsdem basílicæ inscúlpto, légitur, allátæ. Natális sancti Clari dies Kaléndis Júnii celebrátur, máximo Burdigalénsium appláusu, et aliórum qui ex vicis et pagis eo quotánnis solent accúrrere, pellécti benefíciis quæ per ejúsdem suffrágia cónsequi solent.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xvj.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Basílii Epíscopi. *In Reg. fus. tract.*, *interrog.* 6.



SI nosmetípsos abnegémus, et crucem Christi tollámus, opórtet nos ipsum sequi. Abnegáre autem semetípsum, est præteritórum prorsus oblivísci, atque a voluntátibus suis secédere : quem secéssum, in promíscua hóminum consuetúdine serváre difficíllimum est, ne dicam víribus omníno impar. Etenim ne quis tollat crucem suam Christúmque sequátur, impediménto est ejúsmodi vitæ socíetas. Nam præparáre se ad mortem pro Christo perferéndam, mortificáre membra quæ sunt super terram, accíngi quasi in instrúcta ácie, ad perículum omne subeúndum pro Christi nómine, vitáque præsénti non áffici, hoc est crucem suam tóllere : ad quod magna nobis impediménta accédere vidémus, a commúni vitæ consuetúdine.

℟. Ego sum vitis vera, et vos pálmites : * Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia, allelúia. ℣. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. — Qui manet.

Lectio viij. *Interrog.* viij.



CUm Dóminus noster Jesus Christus, post documénta multa, dicat ómnibus : Si quis

venit ad me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me, et íterum : Sic ergo omnis ex vobis qui non renúntiat ómnibus quæ póssidet, non potest esse meus discípulus; arbitrámur hoc præcéptum ad plura a quibus abalienáre nos opórtet pertinére. Nam et diábolo, ante ómnia, et carnis afféctibus renuntiámus. Renuntiávimus et occúltis turpitudínibus, cognatiónibus corpóreis, hóminum amicítiis, et vitæ consuetúdini, quæ integritáti Evangélii salútis adversátur. Et quod his magis necessárium est, sibi ipse renúntiat qui éxuit véterem hóminem cum áctibus ipsíus, qui corrúmpitur secúndum desidéria erróris.

℟. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus, allelúia : splendórem Deo dedérunt, allelúia : * Et sicut lac coaguláti sunt, allelúia, allelúia. ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, sapphíro pulchrióres. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Is cui, propter Christum, mundus totus crucifíxus est et ipse mundo, quómodo adhuc potest curárum mundanárum párticeps esse? Cum Dóminus noster Jesus Christus, et ánimæ ódium, et sui ipsíus abnegatiónem, ad summum perdúcat his verbis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et rursus : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Quamóbrem in eo sita est perfécta renuntiátio, si quem nec ipsíus vitæ amor móveat, sed hábeat senténtiam mortis, sic ut nihil sibi confídat. Si vidélicet alienémur a rebus extérnis, exémpli causa, a passiónibus, ab ináni glória, a rerum inutílium stúdio.

Te Deum laudámus

Nota. *Extra Adventum, Quadrag., Ferias, Octavas Vigiliasque privilegiatas, in singulis Feriis. V., more votivo et sub ritu semid., fit de SS. Sacramento, ut in Supplemento Breviarii. Itemque in Sabbatis de Immaculata Concept. B. M. V. dummodo his Feriis V. et Sabbatis non occurrat Officium ix. Lectionum, etiam translatum.*

Imprimatur.
Tornaci, die 18 Maii 1885.
G. BOUVRY Vic. Gen.

Typis Soc. S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. — Tornaci.





Officia Propria Sanctorum

pro clero civitatis atque integrae

Dioecesis Burdigalensis.

Pars Æstiva.

Festa mobilia.

DOMINICA III.
POST PENTECOSTEN.
In Ecclesia vero Metropolit.
FERIA VI.
POST OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

SS. Cordis Jesu.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario.

DOMINICA
POST OCTAVAM ASSUMPT.

Purissimi Cordis B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento cum Lectione ix. et Commemoratione Dominicæ occurrentis.

Festa Sanctorum.

DIE IX. MAII.
In Festo

Translat. S. Andreæ

Apostoli. Duplex.
(*In Ecclesia Metropolit., duplex ij. classis.*)

In j. vesperis,

Aña. Salve, Crux. *cum reliquis de Laudibus; Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi, Psalmus.* Laudáte Dóminum, omnes Gentes.

Capitulum. *Rom.* x.


Ratres, Corde enim créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur.

Hymnus.

Andréæ rédiit lux sacra pígnorum,
Terras non pígeat, nosque revísere :
Ut, quas rite preces fúndimus ánnuas,
Clemens suscípiat Deus.
Quantis te cúmulat Christus honóribus!
Pœnas cum móriens te vocat in suas;
Hac, germáne Petri, quam cúpias, nequit
Major créscere glória.
Sanctis, præco Dei, functe labóribus,
Dira morte cadis, sánguine quam doces
Firmas ipse fidem; non póterat tibi
Quid contíngere dúlcius.
Præsens Christus adest; hoc duce, péndulus
Longa perfrúeris supplícii mora,
Affixúsque cruci, nóbilis æmulus,
Jesum, qua licet, éxprimis.
Patri máxima laus, qui creat ómnia;
Mundum qui rédimit, máxima Fílio;
Quo torménta petit doctus homo crucis,
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat, Aña. Unus ex duóbus qui secúti sunt Dóminum, erat Andréas frater Simónis Petri.

Oratio.

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus : ut fidem resurrectiónis áugeat in nobis beáti Andréæ solémnitas, in qua ipsíus immortális glóriæ pígnora venerámur. Per Dóminum.

Ad matutinum.

Invit. Regem Apostolórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Adéste, sancti Cœlites;
Piis Boníque, vestra dum
Colúntur ossa rítibus,
Votis favéte súpplicum.
Licet sepúlcris trístibus
Claudántur, in pulvísculum
Licet redácta squáleant,
Virtus Dei non déserit.
Sed sancta præsénti fovet
Implétque templa númine,
Et jam futúræ Spíritus
Post sæcla servat glóriæ.
Hinc, Andréæ sancta latens
Corpus sub ara cónditum,
Ægris medétur éfficax,
Torquet, fugátque dæmones.
Sit summa, Christe, laus tibi,
Ventúre judex sæculi,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sæculórum sæcula. Amen.

In primo Nocturno, Psalmi de Communi Apostolorum.

Aña. Vidit Dóminus Petrum et Andréam, et vocáviteos.
Aña. Veníte post me, dicit Dóminus; fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.
Aña. Relíctis rétibus suis, secúti sunt Dóminum Redemptórem.
℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. *Cap.* x.

Finis legis Christus ad justítiam omni credénti. Móyses enim scripsit quóniam justítiam quæ ex lege est, qui fécerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est justítia sic dicit : Ne díxeris in corde tuo : Quis ascéndit in cœlum? id est, Christum dedúcere. Aut quis descéndet in abyssum? hoc est Christum a mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra? Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo, hoc est verbum fídei quod prædicámus. Quia si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, et in corde tuo credíderis quod Deus illum suscitávit a mórtuis, salvus eris.

℟. Cum perambuláret Dóminus juxta mare Galilææ, vidit Petrum et Andréam rétia mitténtes in mare, et vocávit eos, dicens : * Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. ℣. Erant enim piscatóres; et ait illis.—Veníte.

Lectio ij.

Corde enim créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra : Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi et Græci : nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non crediderunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur? Sicut scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona!

℟. Mox ut vocem Dómini prædicántis audívit beátus Andréas, relíctis rétibus quorum usu actúque vivébat, * Ætérnæ vitæ secútus est præmia largiéntem. ℣. Hic est qui pro amóre Christi pepéndit in cruce, et pro lege ejus sustínuit passiónem.—Ætérnæ.

Lectio iij.

Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per

verbum Christi. Sed dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico : Numquid Israel non cognóvit? Primus Móyses dicit : Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem : in gentem insipiéntem, in iram vos mittam. Isaías autem audet et dicit : Invéntus sum a non quæréntibus me, palam appárui iis qui me non interrogábant. Ad Israel autem dicit : Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem et contradicéntem.

℟. Doctor bonus et amícus Dei, Andréas dúcitur ad crucem; quam a longe adspíciens, dixit : Salve, Crux, * Súscipe discípulum ejus qui pepéndit in te magíster meus Christus. ℣. Salve, Crux, quæ in córpore Christi dedicáta es, et ex membris ejus tamquam margarítis ornáta. — Súscipe. Glória Patri. Súscipe.

In secundo Nocturno,

Aña. Dignum sibi Dóminus computávit Mártyrem, quem vocávit Apóstolum, dum esset in mari.

Aña. Diléxit Andréam Dóminus in odórem suavitátis.

Aña. Bíduo vivens pendébat in cruce beátus Andréas, pro Christi nómine, et docébat pópulum.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Ex Chrónico sancti Hierónymi. *Martyrol. Rom. et Adonis.*

Lectio iv.

BEátus Andréas Apóstolus, iísdem crucis vestígiis vivus et móriens Christum secútus in cœlum, honorífice Patris, urbe Achaiæ, ubi et martyrium pértulit, a Maximílla pia matróna sepultúræ tráditus est. Deínde ejus relíquiæ, itémque Lucæ Evangelístæ, vigésimo anno impérii Constántii, Constantinópolim ab Achaía, séptimo Idus Máii, magna celebritáte translátæ sunt : et apud Sanctórum illórum Relíquias refert beátus Hierónymus quod suo témpore dæmones rugiébant, et illórum se sentíre præséntiam confitebántur. Hujus celebritátis anniversárius dies ágitur ab Ecclésia in locis ubi peculiári offício hujus sancti Apóstoli memória recólitur.

℟. Homo Dei ducebátur ut crucifígerent eum. Pópulus autem clamábat voce magna, dicens : * Innocens ejus sanguis sine causa damnátur. ℣. Cumque dúcerent eum ut crucifigeréntur, factus est concúrsus populórum clamántium et dicéntium — Innocens ejus.

Sermo sancti Hierónymi Presbyteri. *Epist.* xxxviij. *adversus vigilant.*

Lectio v.

Dolet Vigilántius Mártyrum Relíquias pretióso operíri velámine, et non vel pannis, vel cilício colligári, vel prójici in sterquilínium. Ergo sacrílegi sumus, quando Apostolórum basílicas ingrédimur? Sacrílegus fuit Constántius imperátor, qui sacras Relíquias Andréæ, Lucæ et Timóthei tránstulit Constantinópolim, apud quas dæmones rúgiunt, et illórum se sentíre præséntiam confiténtur? Omnes Epíscopi non solum sacrílegi, sed et fátui judicándi, qui rem vilíssimam et cíneres dissolútos in sérico et vase áureo portavérunt? Stulti ómnium Ecclesiárum pópuli, qui occurrérunt sacris Relíquiis, et tanta lætítia suscepérunt? Male facit ergo Románus Epíscopus, qui super mortuórum hóminum Petri et Pauli ossa veneránda offert Dómino sacrifícia, et túmulos eórum Christi arbitrátur altária? O porténtum in terras últimas deportándum!

℟. O bona Crux! quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti, áccipe me ab homínibus, et redde me magístro meo, * Ut per te me recípiat, qui per te me redémit. ℣. Beátus Andréas, expánsis mánibus ad cœlum, orábat, dicens : Salva me, bona Crux. — Ut.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi. *Serm.* cclxxv, *de S. Vincent. Tom. 5.*

Lectio vj.

Magnum Dóminus testimónium præbet téstibus suis, cum ille qui rexit corda certántium, nec córpora déserit mortuórum. Vere pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Quando nec terra carnis, vita deserénte, contémnitur; et invisíbili ánima de domo visíbili discedénte, habitáculum servi cura Dómini custodítur, et in glóriam Dómini a consérvis fidélibus honorátur. Quid enim agit Deus, mira ópera faciéndo circa sanctórum córpora defunctórum, nisi testimónium pérhibet sibi non períre quod móritur? Et ut hinc intelligátur in quali honóre secum hábeat ánimas occisórum, quando caro exánimis tanto efféctu divinitátis ornátur.

℟. Expándi manus meas quotídie in cruce ad pópulum non credéntem, sed contradicéntem mihi, * Qui ámbulant vias non bonas, sed post peccáta sua. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit : exaltáre, qui júdicas terram; redde retributiónem supérbis. — Qui ámbulant. Glória Patri. Qui ámbulant.

In tertio Nocturno,

Aña. Non me permíttas, Dómine, fámulum tuum a te separári : tempus est ut commendétur terræ corpus meum, et me ad te veníre júbeas.

Aña. Andréas vero rogábat pópulum, ut non impedíret passiónem ipsíus.

Aña. Accipe me ab homínibus, et redde me magístro meo, ut per te me recípiat, qui per te me redémit.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* iv.

IN illo témpore : Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mitténtes rete in mare. Et réliqua.

Homilía sancti Euchérii Epíscopi.

Inter Opera Euseb. Emiss., seu potius Gallicani Episcopi.

ECce primos discípulos suos de mari Dóminus vocat; quóniam multos álios per eos, de hujus mundi fluctuósa amaritúdine, ad fidem vocáre disposúerat : ut quia de mari a Dómino vocántur, ipsi quoque periclitántium ánimas de mundi hujus naufrágio, et de vitiórum insurgéntibus procéllis liberáre discant. Et sicut ipsi secúndum carnem fratres erant, ita et céteros et fide et dilectióne fratres esse dóceant. Omnes enim fratres sumus, qui ex una matre, Ecclésia, géniti, et unius Patris fílii sumus. Unde et simul omnes dícimus : Pater noster, qui es in cœlis. Quia enim commúnis Pater est ómnium, commúniter invocátur ab ómnibus.

℟. Orávit sanctus Andréas, dum respíceret in cœlum, et voce magna clamávit et dixit : Tu es Deus meus, quem vidi : ne me patiáris ab ímpio júdice depóni, * Quia virtútem sanctæ Crucis agnóvi. ℣. Tu es magíster meus Christus, quem diléxi, quem cognóvi, quem conféssus sum : tantúmmodo in ista voce exáudi me. — Quia.

Lectio viij.

VOcat autem Dóminus piscatóres, quóniam tales ei necessárii erant, qui aquis assuéti, et piscándi et baptizándi essent períti. Ideóque non artem mutáre eis præcépit, sed longe melióris piscatiónis, et altérius géneris piscium eos piscatóres fore promíttit, dicens : Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. Nisi enim hómines pisces essent, piscatóres hóminum Apóstoli fíeri non possent. Tales enim pisces digni sunt convívio Dei : tales pisces

in baptísmatis flúvio natant, tales pisces hamo fídei et sanctæ prædicatiónis rétibus capiúntur.

℟. Videns crucem Andréas exclamávit, dicens : O Crux admirábilis! o Crux desiderábilis! o Crux quæ per totum mundum rútilas! * Súscipe discípulum Christi, ac per te me recípiat, qui per te móriens me redémit. ℣. O bona Crux! quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti. — Súscipe. Glória. Súscipe. **Lectio ix.**

Sed quid est dícere : Veníte post me? Post Christum namque ire, est ejus vestígia sequi, ejus ópera imitári, ejúsque patiéntiam et humilitátem tenére. Neque enim súfficit nobis pédibus tantum ire post Jesum, nisi et mente et dilectióne eum consequámur. Operæ prétium autem est consideráre quanta fúerit horum beatórum fratrum obediéntia, qui statim, relíctis rétibus, secúti sunt eum. Unde non immérito Simon obédiens, Andréas vero respóndens vel decórus interpretátur. Et illi quidem fratres erant. O felix milítia, quæ ex frátribus collígitur, quibus est cor unum et ánima una, de quibus étiam per Prophétam dictum fúerat : Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! Te Deum.

Ad laudes,

et per Horas, Añæ.

1. Salve, Crux pretiósa : súscipe discípulum ejus qui pepéndit in te, magíster meus Christus.

Psalm. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Laudibus Dominicæ.*

2. Beátus Andréas orábat, dicens : Dómine, Rex ætérnæ glóriæ, súscipe me pendéntem in patíbulo.

3. Andréas, Christi fámulus, dignus Dei Apóstolus, germánus Petri, et in passióne sócius.

4. Maximílla, Christo amábilis, tulit corpus Apóstoli; óptimô loco cum aromátibus sepelívit.

5. Qui persequebántur justum, demersísti eos, Dómine, in inférno, et in ligno crucis dux justi fuísti.

Capitulum. *Rom.* x.

Fratres, Corde enim créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra : Omnis qui credit in illum non confundétur. **Hymnus.**

Vos, unánimes christiádum chori!
Sanctórum túmulos et cíneres patrum,
Dulces exúvias, pígnora Cœlitum,
Lætis dícite cántibus.
Cœlo, quando piis æqua labóribus,
Felíces ánimæ gáudia póssident,

Pœnárum sóciis, débita rédditur
Hic laus et decus óssibus.
Quin et rellíquias et túmulos, sibi
Aras, ipse Deus cónsecrat hóstia;
Conjungénsque suis se caput ártubus,
Hos secum simul ímmolat.
Vos, quorum cíneres supplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis;
Si vos nostra movent, subsídium, boni,
Vestris ferte cliéntibus:
Ut cum nostra novis spléndida dótibus,
Surget juncta choris spirítuum caro,
Indivísa Trias sit Deus ómnia [Amen.
Nobis semper in ómnibus.

℣. Diléxit Andréam Dóminus. ℟. In odórem suavitátis.

Ad Bened. Aña. Concéde nobis hóminem sanctum, ne interfícias hóminem Deo carum, justum, mansuétum et pium.

Oratio.

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus: ut fidem resurrectiónis áugeat in nobis beáti Andréæ solémnitas, in qua ipsíus immortális glóriæ pígnora venerámur. Per Dóminum.

Ad primam,

Aña. Salve, Crux.

Ad Absolut. Capit. Lectio br. Isaías enim dicit.

Ad tertiam,

Aña. Beátus Andréas.

Capit. Fratres, Corde. *ut supra.*

℟. *br.* In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exívit sonus eórum. Glória Patri. In omnem.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Ad sextam,

Aña. Andréas Christi fámulus.

Capitulum. *Rom.* x.

Non enim est distínctio Judæi et Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℟. *br.* Constítues eos príncipes * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. Super. Glória Patri. Constítues.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Ad nonam,

Aña. Qui persequebántur.

Capitulum. *Rom.* x.

Isaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus

autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.
℟. *br.* Nimis honoráti sunt * Amíci tui, Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci tui. Glória Patri. Nimis.
℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

In ij. vesperis,

Aña. Salve, Crux. *cum reliq. de Laudibus; Psalm.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de ij. Vesp. Comm. Apostol. Capitul.* Fratres, Corde enim. *Hymn.* Andréæ rédiit lux. *ut supra ad Vesperas;* ℣. Diléxit. *ad Laudes. Ad Magnif. Aña.* Cum pervenísset beátus Andréas ad locum ubi crux paráta erat, exclamávit et dixit : O bona Crux, diu desideráta, et jam concupiscénti ánimo præparáta, secúrus et gaudens vénio ad te : ita et tu exsúltans suscípias me, discípulum ejus qui pependit in te.

DIE XI. MAII.
In Festo
S. Catharinæ Senensis.
Duplex.
(*In Kalend.*, 30. *Aprilis.*)

DIE XIII. MAII.
In Festo
S. Monicæ.
Viduæ. Duplex.
(*In Kalend.*, 4. *Maii.*)

DIE XIV. MAII.
In Festo
S. Gregorii Nazianzeni *Episc., Conf. et Doct. Duplex.*
(*In Kalend.*, 9. *Maii.*)
In Hymno. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus. Commemor. S. Bonifacii, Martyris.*

DIE XVI. MAII.
In Festo
S. Fortis
Episc. et Mart. Duplex.
Omnia de Communi unius Martyris, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beáto Forti victóriam martyrii contulísti : concéde propítius : ut fortes in fide facti, ita legítime certémus in terris, ut cum ipso coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Inter sanctíssimos Burdígalæ tutóres, beáti Fortis memória frequentíssimo incolárum concúrsu décimo sexto Máii solet quotánnis celebrári. Epíscopum et Mártyrem fuísse vetustíssima tradítio est : eóque honóre et cultu habétur, ut ex statútis civitátis Burdigalénsis, major urbis, quem vocant tum syndicus seu actor públicus,

nec non scriba, quamprímum his magistrátibus per electiónem insigniúntur, compellántur juráre ad sacrum ipsíus bráchium, quod a réliquo córpore avúlsum, theca argéntea inclúsum fuit, se múnia sua fidéliter atque ut decet obitúros. Quod sacraméntum emíttere debent in insígni ecclésia sancti Severíni in subúrbio, ubi sancti Máryris íntegrum corpus a plúribus sæculis asservátur et cólitur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Sermo sancti Gregórii Nysséni Epíscopi.

Lectio v.

Vos qui pópulus Christi, qui grex sanctus, ac regále estis sacerdótium, qui úndique ex úrbibus et ex agris catervátim confluxístis; unde, signo itíneris accépto, ad hunc sacrum locum venístis? Quis vobis huc veniéndi ádeo sériam ac quasi præstitútam necessitátem impósuit! An palam est quod sanctus Martyr multos ex divérsis regiónibus excitátos ad suæ requiétis locum ac sedem vocávit? Anima quidem ejus, ex quo sublímis ábiit, in suo loco acquiéscit, et córpore solúta, cum suis simílibus una vivit : corpus vero, venerándum et immaculátum illíus instruméntum, cum multo honóre et cultu compósitum atque ornátum, in augústo sacróque loco situm, in tempus regeneratiónis reservátur, multis singuláribus et exímiis rebus præditum.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine : * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

Quicúmque vénerit ad locum hunc, ubi hódie noster convéntus habétur, ubi memória justi, sanctæque Relíquiæ sunt, cupit ipsionditório appropinquáre, sanctificatiónem ac benedictiónem, contrectatiónem ejus esse, credens. Quasi corpus enim per se vivens et florens qui intuéntur, amplectúntur, óculis, ori, áuribus, ómnibus sénsuum instruméntis adhibéntes : deínde offícii et affectiónis lácrymas, Mártyri, quasi íntegr esset et apparéret, superfundéntes, ut pro ipsis deprecátor intercédat, súpplices preces ófferunt; quasi accipiéntem dona, cum velit, invocántes. Ex his ómnibus, o pópule pie, díscite quod pretiósa ac ho-

noráta coram Dómino sit mors sanctórum ejus. Cui regum talis honor habétur? Quis ex iis qui supra modum inter hómines excéllere visi sunt, tali memória celebrátur?
℟. Stola jucunditátis.

In tertio Nocturno,
Homilia in Evang. Si quis vult. *de Comm. ij. loco.*

DIE XVII. MAII.
In Festo
S. Joannis Nepomuceni *Mart. Duplex.*

Omnia ut in Supplemento Breviarii,

DIE XXI. MAII.
In Festo
S. Paschalis Baylon
Confessoris. Duplex.

Omnia ut in Breviario, XVII. Maii.
In Hymno. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*

DIE XXII. MAII.
In Festo
S. Quitteriæ
Virg. et Mart. Duplex.

Omnia de Communi Virginum et Martyrum, præter sequentia.

Ad vesp. et ad laudes,
Hymnus.

Fuso purpúrei sánguine Mártyres,
Et puro níveæ péctore Vírgines,
Christi Quittériam dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.

Virgo blandítias inter amábiles,
Luxus, alta petens, déspicit áulicos;
Ardet, digna Deo cónjuge, nóbiles,
Toto péctore, núptias.

Nequícquam thálamos propósuit pater,
Jam despónsa Deo, Virgo perhórruit :
Voto, se pénitus, non violábili,
Christo débita cónsecrat.

Quas non ille preces móllior áddidit!
Quas non incrépitans áddidit et minas!
Christo rite datam, díscite, Vírgines,
Virgo non témerat fidem.

Sed quid cogis, amor? Fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem,
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præcláræ sítiens necis.

Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque sacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia sústinent,
Spreto fúnere, Vírgines.
Amen.

Oratio.

Deus, qui stulta mundi éligis ut confúndas sapiéntes : da nobis, piis beátæ Quittériæ précibus, ut in sapiéntia ambulántes, mundi blandiménta vitémus, et ad eum, qui factus est nobis a Deo

sapiéntia, perveníre possímus. Per Dóminum.

In primo Nocturno,
Lectiones de Script. occurr.
In secundo Nocturno.
Ex antiquis Breviariis Hispaniæ, et Flore Sanctorum Hispan.

Lectio iv.


Quittéria, Gallæciæ príncipis, ut dicunt, fília, paréntibus ínsciis, sacro baptísmatis fonte ablúta, fideíque christiánæ móribus et mystériis óptime institúta, virginitátem suam Christo consecrávit. Cumque a patre infidéli de núptiis interpellarétur, fídei suæ cavens et virginitáti, e domo patérna clam abscéssit, et ad vallem dictam Aufrágiam se cóntulit. Quod cum rescísset pater, misit illuc satéllites ut fíliam redúcerent, et nisi, abnegáta fide, núptias quas illi destináret amplecterétur, interfícerent. Qui, patris ímpii impérium execúti, Quittériam in suo voto et fide constántem cápite minuérunt. Ejus corpus a christiánis sepúltum est prope civitátem Adurénsem, quæ illíus gaudet et fulcítur patrocínio. Imploràri solent ejus súffrágia advérsus rábiem et rabidórum morsus animálium. Et dissipátis licet furóre hæreticórum sacris illíus Relíquiis, locus tamen sepúlcri cultu speciáli honorátur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi. *Homilia* j. *de S. Pelagia. Tom.* 2.

Lectio v.


Enedíctus Deus : étiam mulíeres, virginésque ádmodum júvenes et innúptæ mortem irrídent. Hæc porro bona ómnia per Christum ex vírgine natum alláta nobis sunt : nam post beátum partum illum et admirábilem ortum, mortis nervi solúti sunt, et fracta est poténtia diáboli, qui deínceps non a viris tantum, sed étiam a muliéribus contémnitur; nec a muliéribus modo, sed a puéllis. Christus mortem natúræ nostræ formidábilem generíque nostro terríbilem corrípuit, ejúsque metum dissólvit; ita ut étiam vírgines ipsam derídeant. Quamóbrem beáta Virgo nostra, tanta cum voluptáte ad eam cucúrrit, ut ne quidem in judícium ingrederétur, sed própria ánimi magnitúdine carnífícum crudelitátem prævérteret.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj. *Homilia* ij.

O Puéllam, génere quidem et sexu féminam, ánimo autem ipso marem! O Vírginem duóbus nomínibus extolléndam, quod in Vírginum grege et Mártyrum choro numeráta sis! O puéllam ita continéntem, ut neque adspéctu quidem ipso fruéndi facultátem præbúeris! Hujus ígitur puéllæ temperántiam et nos imitémur; et contra voluptátes ipsas victóriæ trophæa erigámus: incontinéntiæ atque intemperántiæ ímpetum frangámus; et ánimum ipsum ad pietátem servándam corroborémus. Cum opportúnum est, non abjéctos, sed audáces nos præstémus. Dénique membra nostra, quæ sunt super terram, mortificémus, ut Dóminus ipse hoc húmile corpus nostrum tale reddat et in hanc conditiónem tránsferat, ut córporis sui formam commúnicet : cui sit glória et impérium in sæcula.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

De div. quæst. lxxxiij.

DEcem vírginum, quod quinque admittúntur, quinque excludúntur, bonórum et malórum discretiónem signíficat. Quaprópter si virginitátis nomen est honorábile, cur recéptis exclusísque commúne est? deínde quid sibi vult númerus in utráque parte quinárius? Quid autem signíficat óleum? Mirum vidétur. Item quod sapiéntes peténtibus non commúnicant, cum invidére fas non sit eas quæ ita perféctæ sunt, ut a sponso recipiántur, quo nómine, nullo dubitánte, Dóminus Jesus Christus significátur; ut misericórdes esse opórteat ad præstándum ex eo quod habent, præscribénte illa senténtia ejúsdem Dómini dicéntis : Omni poscénti te, tríbue. Quid est autem quod possit, dando, non sufficere utrísque? Hæc máxime augent quæstiónis difficultátem.

℟. Hæc est virgo sápiens quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.—Et veniénte.

Lectio viij.

Vidéntur ítaque mihi quinque vírgines significáre quinque partítam continéntiam a carnis illécebris. Continéndus est enim ánimi appetítus a voluptáte oculórum, a voluptáte áurium, a voluptáte olfaciéndi, gustándi, tangéndi. Sed quia ista continéntia partim coram Deo fit, ut illi placeátur in interióri gáudio consciéntiæ; partim coram homínibus tantum, ut glória humána capiátur; quinque dicúntur sapiéntes et quinque stultæ, utræque tamen vírgines, quia útraque continéntia est, quamvis divérso fómite gáudeat. Lámpades autem, quia mánibus portántur, sunt ópera, quæ secúndum istam continéntiam fiunt. Dictum est autem : Lúceant ópera vestra bona coram homínibus. Omnes vero accepérunt lámpades suas, et venérunt óbviam sponso. Intelligéndum ergo est, Christi nómine censéri, de quibus ágitur; non enim possunt, qui christiáni non sunt, sponso Christo veníre óbviam. Sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus suis, non sumpsérunt óleum secum. Multi enim, quamvis de Christi bonitáte plúrimum sperent, gáudium non habent, dum continénter vivunt, nisi in láudibus hóminum.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit; exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. — Ecce sponsus. Glória Patri. Ecce sponsus.

Lectio ix. *Paulo infer.*

Dixérunt stultæ ad sapiéntes : Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur. Quorum enim facta aliéna laude fulciúntur, eádem subtrácta, defíciunt, et de consuetúdine id semper inquírit ánimus, unde gaudére solet. Sed quid respondérunt sapiéntes? Ne forte non suffíciat nobis et vobis. Unusquísque enim pro se ratiónem reddet; et vix cuíque súfficit ut ei testimónium perhíbeat consciéntia sua. Ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Non consílium dedísse putándæ sunt, sed crimen eárum ex oblíquo commemorásse. Vendunt enim óleum adulatóres, qui sive falsa, sive ignoráta laudándo, in erróres ánimas mittunt, et eis vana gáudia tamquam fátuis conciliándo, áliquam de eis mercédem sive cibórum, sive pecúniæ, sive honóris, sive alicújus cómmodi temporális accípiunt, non intelligéntibus quod dictum est : Qui vos felíces dicunt, in errórem vos mittunt.

Te Deum laudámus.

DIE XXIII. MAII.
In Festo
S. Ubaldi
Episc. et Conf. Semid.
(*In Kalend.*, 16. *Maii.*)
In Hymno. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*

DIE XXIV. MAII.
In Festo
B. Mariæ Virginis *sub titulo* **Auxilium Christianorum.** *Dupl. maj.*
Omnia ut in Supplemento Breviarii.

DIE XXVIII. MAII.
In Festo sanctarum mulierum **Mariæ Jacobi et Salome** *Sororum B. M. V. Duplex.*
Officium de Communi nec Virginis nec Martyris, præter sequentia.

Ad vesperas,

Hymnus.

Amóre quæ jam próvido
Vivum solébant páscere,
Tristes recénti fúnere
Jesum dolébant mórtuum.
At vos, dolórem pónite;
Se suscitávit mórtuum :
Indígna mortis víncula
Rumpéndo, se probat Deum.
Pervásit ingéntem petram :
Artus sacros dat tángere;
Serváta monstrat vúlnera,
Nostræ salútis óbsides.
Qui te beátis féminis,
Jesu, revelásti, Deus :
Et te, ne vacíllet fides,
Nostris revéla méntibus.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ad Magnif. Aña. María Magdaléne, et María Jacóbi, et Sálome, emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum.

Oratio.

Exáudi nos, Christe salutáris noster : ut sicut te beátis mulíeribus Maríæ Jacóbi et Sálome, post resurrectiónem, vidéndum et tangéndum præbuísti in terris; ita in ætérnum te frui mereámur in cœlis. Qui vivis.

Ad matutinum,

Invit. Laudémus Deum nostrum, * In confessióne sanctárum mulíerum.
Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Per quos gradus cœlum petunt,
Hac ire vos omnes docent,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos, solútæ cónjuges.
Cultu nitent, sed símplice,
Puris placébant móribus.
Quas súbtrahunt, duræ sibi,
Opes refúndunt páuperi.
Carnem terunt jejúniis,
Linguam domant siléntio;
Per dura Christum prœlia,
Per damna non timent sequi.

Pacem domi, pacem foris
Alta colunt prudéntia :
Lites amant compónere,
Ut una mens sit ómnibus.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas sigíllis fœdera.
Amen.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.
Ex Antiquo Breviario Burdigalensi, et Martyrologio Romano.

Lectio iv.

Beatárum mulíerum Maríæ Jacóbi et Sálome, quarum plúrima laus est in Evangélio, festívitas hódie celebrátur. Illas beatíssimæ Vírginis Maríæ soróres seu propínquas fuísse commúnis tradítio est : cujus cómites exstitísse in Christi Passióne, atque ad monuméntum Christi venísse cum aromátibus, ut illum úngerent, et prióres illíus resurrectiónem ab Angelo audivísse, Evangélia réferunt. Obiísse in Judæa, et illic sepúltæ legúntur, relíquiæ tamen Maríæ Jacóbi, Vérulas, Látii civitátem, translátæ perhibéntur, et ibi decentíssime asservári, atque illustrári miráculis. Hac vero die, translátio illa facta est, quæ occásio esse pótuit ut hac eádem die utriúsque soróris cultus et memória jungeréntur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Ex Epístola sancti Fulgéntii Epíscopi ad Gallam. *De statu viduali, cap.* vij. xij. xvj.

Lectio v.

In eo quod ex conjugáta facta es vídua, donum Dei auctum tibi magis exístima, non ablátum : neque enim te deséruit, qui tibi sequéndam viam vitæ melióris osténdit. Grádibus te vóluit Dóminus ad melióra conscéndere, ut prímitus conjugáta cum uno viro fidéliter víveres, quo póstmodum sine difficultáte absque viro vídua permanéres. Si ergo sanctæ mulíeres, étiam conjugátæ, non sunt monílibus commendátæ, sed móribus, et eo magis humilitáte debent ornári quam veste; qualis debet esse víduæ hábitus et incéssus, quæ non hómini viro cupit placére, sed Christo! Quæ necessitáte corporális absolúta connúbii, spirituália tantum debet ornaménta sectári.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

Quocírca castigatióne córporis acquíre pulchritúdinem cordis: vílibus caro tegátur operiméntis, et pretiósis ánima véstibus induátur: nec quæras ut pláceas óculis hóminum, sed ut Christi non offéndas adspéctum. Ille in te, quod díligit vídeat, quod dedit invéniat, quo delectátur agnóscat. Oratiónibus óperam da, jejúniis insta. Quidquid tuis apparátibus súbtrahis, esuriéntibus tríbue, et quidquid tibi dedúcis, egénis expénde. Voluntárium jejúnium tuum esúriem súblevet jejunántium, ut in fructu misericórdiæ tuórum possit jejuniórum fecúnditas apparére.

℟. Fallax grátia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* xvj.

In illo témpore: María Magdaléne, et María Jacóbi, et Sálome, emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi. *Lib. de Isaac et anima, cap.* v.

Quóniam per Evangélium in terris vidémus cœléstia mystéria figuráta, veniámus ad illam Maríam, veniámus ad Magdalénam. Considerémus quemádmodum Christum in cubíli córporis sui, in quo defúnctus jacébat, in nóctibus quæsíverint, quando dixit illis Angelus: Jesum qui crucifíxus est quæritis; non est hic, surréxit enim. Quid ígitur quæritis vivéntem cum mórtuis? Quid quæritis in vínculis sepultúræ, universórum víncula solvéntem? Non sepúlcrum huic sedes, sed cœlum est. Tamen dum vadunt Apóstolis nuntiáre, miserátus quæréntes, occúrrit eis Jesus dicens: Avéte. Illæ autem accessérunt, et tenuérunt pedes ejus, et adoravérunt eum. Tenétur ergo Jesus, sed delectátur sic tenéri, quia fide tenétur.

℟. María Magdaléne, et María Jacóbi, et Sálome, emérunt arómata, * Ut veniéntes úngerent Jesum. ℣. Et valde mane una Sabbatórum, véniunt ad monuméntum, orto jam sole. — Ut.

Lectio viij.

Delectávit eum et illa múlier quæ tétigit eum, et curáta est sánguinis fluxu, de qua dixit: Tétigit me áliquis: nam séntio virtútem de me exiísse. Tange ergo, et fide tene eum, et constrínge fidéliter pedes ejus, ut virtus de eo éxeat, et sanet ánimam tuam. Et si dicat: Noli me tángere, tu tene; nondum enim ascéndi ad Patrem meum, dixit semel. Dixit: Noli me tángere, quando resurréxit: aut

forte illi dixit, quæ putábat furto esse sublátum, et non virtúte própria resuscitátum.
℟. Et ecce Jesus occúrrit illis, dicens : Avéte. * Illæ autem accessérunt, et tenuérunt eum. ℣. Tunc ait illis Jesus : Nolíte timére : ite, nuntiáte frátribus meis, ut eant in Galilæam. — Illæ autem. Glória Patri. Illæ.

Lectio ix.

Denique in álio libro habes quia tenéntibus pedes et adorántibus, dixit : Nolíte timére. Tene ergo et tu, ánima, sicut tenébat et María, et dic : Ténui eum, et non dimíttam, sicut dicébant ambæ : Teneámus te. Dicat ergo ánima tua : Téneo te, et indúcam te in domum matris meæ, et in secrétum ejus quæ concépit me; ut cognóscam mystéria tua, ut háuriam sacraménta tua.
Te Deum laudámus.

Ad laudes,

Hymnus.

Adéste, sanctæ cónjuges;
Cœléstis aula pánditur;
En Christus; omnes óbviæ
Exíte, castæ Víduæ.
Desiderátus est dies
Qui, longa post suspíria,
Dat ómnibus, dat síngulis
Jam plénius frui Deo.
Quæ casta vobis gáudia,
Quos afflet ignes, dícite,
Ab ore cujus púrior
Torrens volúptas éffluit.
Felix nimis connúbium
Per quod Deo mens júngitur :
Ætérna sunt hæc fœdera,
Quæ nulla dissólvat dies.
Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

Ad Bened. Aña. Respóndens Angelus, dixit muliéribus : Jesum quem quæritis non est hic; surréxit sicut locútus est; præcédet vos in Galilæam; ibi eum vidébitis.
In secundis Vesperis, omnia ut in primis.

DIE I. JUNII.
In Festo
S. Clari
Episc. et Mart. Duplex.
Omnia de Communi unius Martyris, præter sequentia.

In utrisque vesperis et ad laudes,

Hymnus.

Nunc agnósce tuum, réspice Mártyrem, Princeps Christe, salus única Mártyrum :
Expréssit móriens, qua pótuit, tuæ
Clarus mortis imáginem.
Lecta cum júvenum vénerat huc manu;
Desérta pátria, ceu tot Apóstoli;
Cæcis in stygia nocte jacéntibus
Portant lúmina Gálliis.
Illis ludus erant propósitæ neces;
Audébant, vel oves, crédere se lupis;

Omnes, unánima terríbiles fide,
Christo sub duce mílitant.
Urbes per médias, sævit ubi furor, [rícula
Ardent ire; novos ipsa pe-
Illis dant ánimos : quis téneat duces
Vitam fúndere pródigos?
At Clarus sócios férvidus émicat [ágminis :
Inter; christíferi dux erat
Vertunt, ædíficant, et bona sémina
Spargunt, et simul írrigant.
Patri máxima laus : máxima Fílio;
Ambórum tibi par laus quoque, Spíritus,
Præsens Martyribus qui velut ébriis [Amen.
Christi sánguine, das mori.

Oratio.

Mentes nostras, quæsumus, Dómine, lúmine tuæ claritátis illústra : ut, intercedénte beáto Claro, Mártyre tuo atque Pontífice, vidére possímus quæ agénda sunt, et quæ recta sunt ágere valeámus. Per Dóminum.

Ad matutinum,

Hymnus.

Ad sanctos cíneres cúrrite, cívitas :
Sunt hæc plena Deo pígnora Mártyrum;
Sanctórum túmulos et cíneres sacros
Lætis dícite cántibus.
Hic quot prodígiis se Deus ásserit! [áudiunt :
Hic surdi pátulis áuribus
Cæcis et sua lux rédditur, et suus
Contráctis vigor ártubus.
Vos, quorum cíneres supplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis; [dium, boni,
Si vos nostra movent, subsí-
Vestris ferte cliéntibus.
Ut cum nostra, novis spléndida dótibus,
Surget, juncta choris spirítuum, caro,
Indivísa Trias, sit Deus ómnia [Amen.
Nobis semper in ómnibus.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.
Ex Breviariis antiquis Burdigalensi et Vazatensi, aliisque monumentis.

Lectio iv.

Clarus, cum sex áliis sóciis doctrína et sanctitáte præstántibus, Justíno, Gerúntio, Sevéro, Polycárpo, Joánne et Babylio, pátriam, paréntes, súaque ómnia, propagándi Evangélii causa, tráditur reliquísse. Hinc Romam véniens, ibídem episcopáli dignitáte insignítus, supérna miseratióne diréctus est in Gállias, in quas spargebátur rumor generósos úndique Christiános ad martyrium, pro fídei tuitióne, conveníre. Itaque Clarus cum sóciis Gállias ingréssus, ubíque suæ caritátis pro salúte animárum manifésta relínquit vestígia.

115

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v.

TAndem in Aquitániam divíno instínctu accersítur, ut ibi de thesáuro cœlésti, quo affátim dives erat, promat nova et vétera. Mirum quam libénter, exémplo Apóstoli, et impéndat, et superimpendátur. Intentátæ minæ, cárceres, cruces, ferrum, mors dénique ipsa præ óculis, nec tantíllum quidem sanctum Pontíficem impédiunt quóminus idóla úndique evértat, et idololatríæ vesániam totis víribus et palam insectétur, et prófliget. Benígnus vero Dóminus multitúdine miraculórum, tamquam certis auctoritátis suæ sigíllis, doctrínam servi sui muniébat. Cæcis visus, ut habent antíqua de eo scripta, reddebátur; surdis audítus; integrabántur débiles, et per ista dæmonum cultus ad níhilum reducebátur.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine : * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis; posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

LAcóram (quæ nunc Lectóra dícitur, fuítque sedes episcopális usque ad nefándos dies perturbatiónis Galliárum) proféctus, ut ibídem sólitas cœléstis ignis, quo ardébat, scintíllas spárgeret, ab idolórum sacrifículis in cárcerem tráditur. Unde post vária gravissímaque supplícia edúctus, jubétur simulácro, quod Diánæ fuísse dicunt, immoláre. Verum ad Sancti conspéctum, statim idólum, quod sublími admódum loco situm erat, córruit, evanuítque in púlverem. Idololátræ in furórem versi, insíliunt in servum Dei, cæsúmque crudelíssime et pene dilacerátum íterum incárcerant. At nocte ab Angelo invísitur et fovétur, ac instántis sui martyrii gratíssimum súscipit núntium, quod revéra sequénti die, mira fortitúdine et ardóre pértulit. Passos fuísse simíliter sex illíus sócios tradítio est, atque ut in vita conjúncti fúerant, sic eórum sacræ Relíquiæ in ecclésia sanctæ Euláliæ Burdígalæ, in eádem capélla recúmbunt, illuc a Cárolo Magno, ut ex véteri scripto lápidi ejúsdem basílicæ inscúlpto, légitur, allátæ. Natális sancti Clari dies Kaléndis Június celebrátur, máximo Burdigalénsium appláusu, et aliórum qui ex vicis et pagis eo quotánnis

solent accúrrere, pelléc̄ti benefíciis quæ per ejúsdem suffrágia cónsequi solent.
℟. Stola jucunditátis.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xvj.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Basílii Epíscopi. *In Reg. fus. tract., interrog.* vj.

SI nos metípsos abnegémus, et crucem Christi tollámus, opórtet nos ipsum sequi. Abnegáre autem semetípsum, est præteritórum prorsus oblivísci, atque a voluntátibus suis secédere : quem secéssum, in promíscua hóminum consuetúdine serváre difficíllimum est, ne dicam víribus omníno impar. Etenim ne quis tollat crucem suam Christúmque sequátur, impediménto est ejúsmodi vitæ socíetas. Nam præparáre se ad mortem pro Christo perferéndam, mortificáre membra quæ sunt super terram, accíngi quasi in instrúcta ácie, ad perículum omne subeúndum pro Christi nómine, vitáque præsénti non áffici, hoc est crucem suam tóllere : ad quod magna nobis impediménta accédere vidémus, a commúni vitæ consuetúdine.
℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viij. *Interrog.* viij.

CUm Dóminus noster Jesus Christus, post documénta multa, dicat ómnibus : Si quis venit ad me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me, et íterum : Sic ergo omnis ex vobis qui non renúntiat ómnibus quæ póssidet, non potest esse meus discípulus; arbitrámur hoc præcéptum ad plura a quibus abalienáre nos opórtet pertinére. Nam et diábolo, ante ómnia, et carnis afféctibus renuntiámus. Renuntiávimus et occúltis turpitudínibus, cognatiónibus corpóreis, hóminum amicítiis, et vitæ consuetúdini, quæ integritáti Evangélii salútis adversátur. Et quod his magis necessárium est, sibi ipse renúntiat qui éxuit véterem hóminem cum áctibus ipsíus, qui corrúmpitur secúndum desidéria erróris.
℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis gló-

riam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui. Glória Patri. Qui. Lectio ix.

His cui, propter Christum, mundus totus crucifíxus est et ipse mundo, quómodo adhuc potest curárum mundanárum párticeps esse? Cum Dóminus noster Jesus Christus, et ánimæ ódium, et sui ipsíus abnegatiónem, ad summum perdúcat his verbis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et rursus : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Quamóbrem in eo sita est perfécta renuntiátio, si quem nec ipsíus vitæ amor móveat, sed hábeat senténtiam mortis, sic ut nihil sibi confídat. Si vidélicet alienémur a rebus extérnis, exémpli causa, a passiónibus, ab ináni glória, a rerum inutílium stúdio. Te Deum laudámus.

DIE XV. JUNII.
In Festo
S. Germanæ Cousin
Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virg. non Mart., exceptis quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátam Germánam, Vírginem tuam, caritátis et patiéntiæ decóre excéllere disposuísti : ejus méritis et intercessióne concéde; ut, crucem júgiter feréntes, te semper dilígere valeámus. Per Dóminum.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.
Ex instrumentis causæ Beatificationis ejus.

Lectio iv.

Germána Cousin Pibráci, quod óppidum est Tolosánæ diœcésis, húmili loco nata, ab ipsa pene infántia grávibus ærúmnis fuit obnóxia. Quum enim manca esset et strumis inféсta, statim post óbitum matris in ódium novércæ íncidit, ejúsque ópere e patérna domo ejécta, et custodiéndis grégibus addícta, solo pane et aqua víctitans, et super stramen aut áridos pálmites in ipsa pécudum caula somnum carpens, vitam in summa egestáte rerúmque ómnium inópia tolerávit. Hæc et ália, quibus quotídie premebátur, frígoris, æstus et ímbrium incómmoda, quin étiam domesticórum convícia et insectatiónes forti semper ánimo, et ore ad hilaritátem compósito, non solum pa-

tientíssime tulit, sed majóra pati exoptávit, ut confórmis fíeret imágini Fílii Dei, quem únice toto cordis affé-ctu diléxit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

Sive enim gregem ad páscua ágeret, sive in arvis stámina e colo dúceret, mente et cogitatióne in Deum defíxa, assíduas fundébat preces, et pósitis humi génibus ante crucis signum, ardentíssimi amóris æstus rerum cœléstium contemplatióne temperábat. Quotídie templum adíre, sacrifício Missæ interésse, et síngulis diébus festis se divínæ mensæ pábulo refícere in more hábuit. Deíparam Vírginem singulári religióne cóluit, eíque frequens exhíbuit obséquii et pietátis offícia. Caritáte erga omnes affécta, púeros et puéllas christiánæ fídei mystériis erudíre, eorúmque ánimos ad virtútem et rectam vivéndi ratiónem informáre, egéntium inópiæ subveníre consuévit, detrácto étiam panis frústulo quo únice vescebátur. Castitátis vero et innocéntiæ laudem tantam proméruit, ut ad mortem usque illibátam servàverit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.



Hanc fámulæ suæ occúltam sanctitátem Deus, éditis e cœlo signis, mirabíliter declarávit. Nam et flúvium aquis exundántem, dum Pibracénse templum péteret, Germána sicco pede sæpius tránsiit, et panem paupéribus erogándum, ut novércam latéret, hibérno témpore in flores convértit. Virtútibus et prodígiis illustráta, ad cœléstis Agni núptias tandem inopináto éxitu emigrávit, annum agens secúndum supra vigésimum. Mortáles Vírginis exúviæ, anno quadragésimo et ultra postquam e vita decésserat, incorrúptæ et íntegræ, recentibúsque conspérsæ flóribus repértæ sunt. Huic prodígio ália multa per annos ferme ducéntos divína virtúte ad túmulum júgiter patráta mirácula accessérunt, quæ innocéntis puéllæ famam et nomen longe latéque propagárunt. Quibus permótus Pius nonus Póntifex Máximus, et virtútibus cum miráculis rite probátis, eámdem Beatárum Vírginum fastis primum adscrípsit. Subínde vero novis fulgén-

tem prodígiis idem Póntifex, anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo, ea ipsa die qua sæculária Apostolórum príncipum solémnia agebántur, Sanctórum albo accénsuit.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

OMnes lámpades habent, sed non omnes óleum habent; quia plerúmque bona in se ópera cum eléctis et réprobis osténdunt : sed solæ ad sponsum cum óleo véniunt, quæ de his quæ foris égerint intus glóriam requírunt. Unde per Psalmístam quoque de sancta Electórum Ecclésia dícitur : Omnis glória ejus Fíliæ Regis ab intus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt; quia dum veníre Judex ad extrémum judícium differt, elécti et réprobi in mortis somno sopiúntur.

℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.—Et.

Lectio viij.

DE advéntu sponsi clamor in média nocte fit; quia sic dies judícii surrépit ut prævidéri non váleat quando venit. Unde scriptum est : Dies Dómini sicut fur in nocte ita véniet. Tunc omnes Vírgines surgunt; quia et elécti et réprobi a somno suæ mortis excitántur. Lámpades ornant; quia secum ópera númerant, pro quibus ætérnam recípere beatitúdinem exspéctant. Sed lámpades fatuárum Vírginum exstinguúntur; quia eárum ópera quæ clara homínibus foris apparuérunt, in advéntu Júdicis intus obscuréntur : et a Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes quas amavérunt.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. — Ecce. Glória Patri. Ecce.

Lectio ix. SS. Viti, Modésti et Crescéntiæ, Mart., *ut in Breviario.*

DIE XVI. JUNII.

In Festo

S. Joannis Francisci Regis

Confessoris. Duplex.

Omnia ut in Supplemento Breviarii.

DIE XVIII. JUNII.

In Festo

S. Amandi

Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. præter sequentia.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, interveniénte pro nobis beáto Amándo, Confessóre tuo atque Pontífice, inveniámur et in fide stábiles, et in amóre tuo fervéntes. Per Dñum.

Fit Commem. SS. Mart. Marci et Marcelliani, Aña. Istórum est. ℣. Lætámini.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui sanctórum Mártyrum tuórum Marci et Marcelliáni natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus eórum intercessiónibus liberémur. Per Dóminum.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Ex Archivis Eccles. Burdig. Greg. Tur. L. 2. Hist. Fran., et de Glória Conf. *cap.* 45, *et antiquis Manuscriptis.*

Lectio iv.



Mándus, Burdigalénsis Epíscopus beáti Delphíni in eádem sede succéssor, sancti Paulíni contemporáneus, eíque arctíssimo amicítiæ fœdere conjúnctus fuit, ut ex frequéntibus Paulíni ad ipsum datis lítteris innotéscit. Quantus sanctitáte fúerit, et quam felix fecundúmque dignis Præsúlibus sæculum quo vixit, Paulínus ípsemet adhuc Présbyter his verbis enúntiat: Si hos vídeas dignos Dómino Sacerdótes, vel Exupérium Tolósæ, vel Simplícium Viénnæ, vel Amándum Burdígalæ, vel Diogeniánum Albígæ, vel Dynámium Angolísmæ, vel venerándum Arvérnis, vel Alythium Cadúrcis, vel nunc Pacátum Petragóriis, vidébis proféсto digníssimos totíus fídei religionísque custódes. Háctenus sanctus Paulínus, inter sanctos adhuc vivéntes, Amándum étiam supérstitem, tamquam sanctum connúmerans.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.



stud autem inter cétera, Amándus suæ caritátis veríque Pastóris illústre præbuit argu-

méntum. Cum jam fractus labóribus, sólitas pro grege sibi crédito excúbias ágere, operásque deínceps impéndere non posset, ideóque et collábi in dies disciplínam morésque depravári cérneret, ad oratiónem, quæ commúne illi erat perfúgium, se recépit, álium a Deo Antístitem in suum locum substítui obníxe súpplicans, cujus vigóre et indústria felíciter perficerétur quod ipse támdiu frustra tentásset. Ejus précibus Deus ánnuit. Et quidem Severínum in Aquitániam jubet proficísci. Amándus, de futúri successóris accéssu, deque ómnibus quæ geréndа essent divínitus admónitus, ei prodit óbviam.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

PRimo congréssu, própriis nomínibus vicíssim se salútant, licet ad hanc horam alter álteri fuísset ignótus. Amándus ígitur Severínum, in urbem honorífice dedúctum, inspectánte clero et pópulo, in sede pontificáli, auctoritáte divína constítuit. Unde tanta morum mutátio in ómnibus ordínibus repénte facta est, ut ália civitátis fácies magna cum admiratióne cernerétur. Quare voti compos beátus Amándus, et de subsídio sibi misso divínitus, et de sui gregis emendatióne maximópere lætus, réliquum vitæ tempus cum beáto Severíno, cui tamen aliquánto témpore supervíxit, in omni pietáte atque sanctitáte transégit, et cum eódem nunc felícium labórum ætérna præmia in cœlis pércipit.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi. *Homil. in illud :* Si esuríerit inimícus tuus, *etc.*, *tom.* 3.

NOn medíocre malum est fratrum curam non gérere, sed extrémum supplícium est, et inevitábilis pœna, quod ipsum, is qui taléntum defóderat, indicávit. Sane nihil ei vítio vertebátur, quod in vita peccásset, neque male quidquam in depósiti custódia commíserat; íntegrum enim illud restítuit : sed tamen in depósiti negotiatióne male se gésserat. Non enim id

quod créditum fúerat duplicárat; quam ob causam étiam pœnas dedit. Unde maniféstum evádit, licet studiósi simus et instrúcti, licet ad sacram audiéndam Scriptúram multa cupiditáte exardescámus, id tamen ad nostram salútem non suffiícere. Duplicándum namque depósitum est : porro duplum fit quando cum salúte nostra curam aliórum quoque suscípimus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum; stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio viij.

Ipse dixit : Ecce salvum habes quod tuum est; sed hoc ad excusatiónem illi satis non fuit. Opórtuit enim, inquit, et commíttere nummulâriis quod tibi commíssum est. Idcírco cruciátus et compédibus vinctus, ille in ténebras jactus est. Quod ne nobis étiam áccidat, doctrínam frátribus committámus, sive persuadeántur, sive non persuadeántur. Si enim persuási fúerint, et de seípsis et de nobis bene merebúntur : si non fúerint persuási, supplícium sibi accérsent inevitábile, nobis autem ne tantíllum quidem nocére póterunt. Quod enim nostri múneris fuit præstítimus, cum consílium dedérimus : quod si persuási non fúerint, nihil inde póssumus cápere detriménti. Síquidem crimen est non si mínime persuáseris, sed si mínime consílium déderis.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.— Et vos. Glória Patri. Et.

De SS. Marco et Marcelliano, Lectio ix.



Marcus et Marcelliánus, fratres Románi, propter christiánam fidem, a Fabiáno duce comprehénsi, ad stípitem alligáti sunt, pédibus clavis infíxis. Ad quos cum ita loquerétur judex : Resipíscite, míseri, et vos ipsos ab his cruciátibus erípite; respondérunt : Nunquam tam jucúnde epuláti sumus, quam hæc libénter Jesu Christi causa perférimus, in cujus amóre nunc fixi esse cœpimus : útinam támdiu nos hæc pati sinat, quámdiu hoc corruptíbili córpore vestíti érimus! Qui diem noctémque in torméntis divínas laudes canéntes, dénique telis transfíxi, ad martyrii glóriam pervenérunt. Quorum córpora via Ardeatína sepúlta sunt. Te Deum

DIE XXII. JUNII.
In Festo
S. Paulini
Episc. et Conf. Duplex.
Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia.

In I. vesperis,
Hymnus.

Quæ dies terris tibi sacra, Præsul,
Hæc redit, nobis celebránda cultu :
Tu pius, sedens super astra, nostros
Súscipe cantus.

Náuseras, sacros meditándo libros,
Magna cœléstis documénta vitæ :
Hinc inardéscunt calefácta puris
Péctora flammis.

Páuperis Christi decus æmuláris :
Te bonis ultro spólias patérnis :
Véndito fundo, Deus ipse dives
Fit tibi fundus.

Dives hæc cœlo tamen est egéstas;
Namque thesáuros cúmulat perénnes,
Quos nec ærúgo, neque dente vermis
Rodat iníquus.

Cui sapit Christus, peritúra mundi :
Cuncta viléscunt simulácra vani
More torréntis, fugitívus illi
Præterit orbis.

Qui bonis pro te fugit abdicátis,
Hujus exémplum, Deus, æmulémur :
Cuncta decréscent, modo crescat unus
Péctore Christus.

Sit Patri, sit laus Génito, sit almo
Flámini, sit laus tribus una semper,
Et tibi cunctis, Deus unus, æqua
Glória sæclis. Amen.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, Dómine, imitári quod cólimus : ut beáti Paulíni, Confessóris tui atque Pontíficis, vestígiis inhæréntes, et peritúra contémnere, et semper mansúra obtinére valeámus. Per Dóminum.

Ad matutinum,
Hymnus.

Possides fundo, quot opes avíto,
Non tuas dicis, sibi vindicáre modáti
Páuperes credis, quasi commodáti
Pródigus auri.

Cárceres pandis, prétio nocéntes
Eximis vinclis, aliéna solvis
Æra, nil debens, nisi caritáti
Quæ magis urget.

In Dei cultum sacra templa ponis,
Quot situ lapsæ, réparas tot aras,
Erigis cunctis patefácta morbis,
Hóspita tecta.

Ne quid in dulci pátria retárdet,
Et tuos inter nimis aula mentem
Blándiens frangat, fugis in remótas
Próvidus oras.

Non ad antíquas, tua tecta, turres
Sponte discédens, óculos retórques :

Pátriam, cives, bona, res, amícos,
Teque relínquis.
Lúminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus veneré-tur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis. Amen.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.
Ex Ambrosio Ep. xxxvj. *Augustino de Civit. C.* x. *Gregor. Mag. L.* iij. *Dial. C.* ij. *et ipso Paulino.*

Lectio iv.

Paulínus, Burdígalæ natus, splendóre prosápiæ animíque dótibus sic enítuit, ut Romæ, ad senatóriam dignitátem et ad consulátum, aliósque honóris ápices sit evéctus. Verum degustáta evangélicæ fídei sublimitáte, ad christiánas opes cœpit anheláre. A beáto ígitur Delphíno, Burdigalénsi Antístite, baptísmi grátiam suscépit, et quidem cum tanta divíni Spíritus effusióne, ut terrénis pénitus sese expedíre deínceps statúerit, fidelíssimam votórum suórum suæque pietátis adjutrícem nactus, Terásiam. Ne vero vel honóres prístini, vel paréntum amor, vel ipsíus pátriæ titillátio moram injícerent, ad anterióra et perfectióra laborántibus, ex Aquitánia Barcinónam se cónferunt, sperántes se in aliéno solo delitescéntes, vitam abscónditam in Christo tútius actúros. Atque, vénditis ómnibus facultátibus, et pecúnia in egénos colláta, perféctæ paupertátis, quæ secúndum Evangélium sublímior est philosophía, Paulínus viam ingréssus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei.
℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus enim

Lectio v.

Accénsa lampas sub módio occultári diu non pótuit. Paulínus enim, a Lampádio Epíscopo, per vim inflammátæ súbito plebis, ut ipse fatétur, ad presbytérii órdinem, étiam rénuens præ humilitáte, promovétur. Animadvértens autem in dies magis magísque nóminis sui famam dilatári, post várias peregrinatiónes Nolam migrat, ubi, post áliquot annos, virtúte et eruditióne clarus, Nolánus creátur Epíscopus : in quo múnere magna suæ caritátis arguménta præbuit, præsértim occupáta a Gothis Nolána civitáte; quo témpore, ut scribit Augustínus, ex opulentíssimo díve, voluntáte paupérrimus et copiosíssime sanctus, sic inter Bárbaros precabátur :

Dómine, ne excrúcier propter aurum et argéntum; ubi enim sint ómnia mea, tu scis. Refert quoque Gregórius Magnus quod cum vastáta a Vándalis Campánia, pro rediméndis captívis alendísque paupéribus étiam insumpsísset quæ sibi necessária reserváverat, rogátus a vídua ut fílium suum redímeret, cum pecúnia non posset, sese pro illo servitúti addíxerit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

IGitur in Africam ductus a dómino, qui regis erat gener, horto coléndo præfícitur. Verum cum eídem, ex prophetíæ spíritu, regis mortem prædixísset, et rex in sómniis Paulínum sedéntem médium inter duos júdices, sibi e mánibus flagéllum, quod aliquándo accéperat, eripiéntes, vidísset; tantus vir cógnitus, honorificentíssime dimíssus est, condonátis ei ómnibus suis cívibus qui captívi detinebántur. Nolam revérsus, cum omnes verbo et exémplo ad christiánam pietátem inflammáret, láterum dolóre corréptus, paulo post ánimam Deo réddidit atque eádem hora céllula ejus ingénti terræmótu contrémuit. Vixit ad annos octogínta tres. Summam ejus in sacris et humanióribus lítteris eruditiónem, quæ scripsit solúta et stricta oratióne satis índicant. Plúribus fulsit miráculis, sed máxime poténtia advérsus dæmones. Præcláras ipsíus laudes, sancti Ambrósius, Hierónymus, Augustínus et Gregórius celebrárunt. Corpus ejus Romam translátum in ecclésia sancti Bartholomæi in ínsula, una cum ejúsdem Apóstoli córpore honorífice asservátur.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xij.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis. Et réliqua.

Homilía sancti Paulíni Epíscopi. *Ep.* xxxvj. *ad Pammach., sub finem.*

NOn módica ánimis credéntium volúptas est, promíssa fidélibus bona dulci cogitatióne præsúmere, et in paradíso jam ánimis deambuláre. Si agrícolam juvat spem messis in ségete mirári, dum a messe fructum labóris exspéctat, faciliúsque fert moram témporum avarítia, votórum si

pascat óculos, dum sperat evéntus; quanto majórem nos cápere póssumus voluptátem, quibus sparsi séminis non apud dúbiam terræ fidem, sed apud incommutábilem Dei veritátem rátio mandáta est, qui hoc sperámus quod Véritas ipsa promísit? Quod ut assequámur, non de veritáte tanti boni, sed de nostri captu mériti dubitáre póssumus. Sed agámus quæ Christus jussit, ut adipiscámur quæ Christus spopóndit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et.

In Epist xxxiv. *Serm. de Gazophil.* **Lectio viij.**

Fœnerémus ígitur Dóminum de donis Dómini : nihil enim sine ejus múnere possidémus, sine cujus nutu nec ipsi sumus. Sua ígitur dona Dómino referámus, demus illi qui in omni páupere áccipit. Demus, inquam, gaudéntes, ut recipiámus ab ipso exsultántes. Placet enim ipsi talis injúria, ut vim regno ipsíus inferámus, bonis opéribus cœli claustra frangéntes. Dóminus enim noster, qui solus bonus, ut unus Deus, non avarítiæ stúdio accípere desíderat, sed largitátis afféctu. Quid enim non hábeat, qui ómnia dedit? Aut quid non possídeat, qui ipse póssidet possidéntes? Sed imménsa ejus justítia páriter et bónitas de ipsis munéribus suis vult sibi múnera ínvicem fíeri, ut sibi matériam erga te beneficéntiæ páriat.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix. *Post pauca.*



O abundántia bonitátis Dei! Vult fœnerári ex eis quæ ipse largítus est. Cupit débitor fíeri bonórum suórum, ut cum multa tibi ratióne tuam reddat usúram. Própera ígitur tam úberem tibi obstríngere debitórem, ut et amícum te ex servo vocet, et in tuis terréstribus nummis te expértum fidélem, de suis cœléstibus thesáuris te dívitem fáciat. Ne trépides, ne cunctéris, ne páveas. Esto violéntus Deo, rape regna cœlórum. Qui vetat aliéna contíngi, sua gaudet invádi : et qui damnat avarítiæ rapacitátem, laudat fídei rapínam. Potúerat Dóminus omnípotens æque univérsos dívites fácere, ut nemo indigéret áltero : sed infinítæ

bonitátis consílio sic parávit miséricors et miserátor Dóminus, ut tuam in illis mentem probet. Fecit míserum, ut agnósceret misericórdem; fecit ínopem, ut exercéret opuléntum.
Te Deum laudámus.

Ad laudes,

Hymnus.

Qui fugit longe, pátria relícta,
Sæculi pompam male blandiéntem;
Omnium votis rápitur Sacérdos,
Póstea Præsul.

Jam gregi notus, bonus ille Pastor
Grexque Pastóri, vigil ex[cubávit
Crédito ne quid, rábie lupórum,
De grege perdat.

Lux fuit cæco, cólumen labánti,
Et salus ægro, mísero le[vámen;
Et suum cinxit latus, indigéntum
Turba satélles.

Sola Crux, totum decus et supéllex;
Vilis et pauper, velut ante, mensa:
Quin opes inter magis af[fluéntes
Splendet egéstas.

Africæ partes trahit in remótas,
Te tenens Christi mélior [caténa.
Cómpedes fregit tua quam tegébas
Cógnita virtus.

Mille captívos, veneránde Præsul,
Líberas vinctus. Per opáca [noctis
Increpas regem, tua visa major
Terret imágo.

Christe, qui nobis, Patre sic jubénte,
Póntifex factus, tibi laus, tuóque
Una sit Patri, sit et una sancto
Semper Amóri. Amen.

DIE III. JULII.

In Festo

S. Martialis

Episcopi et Confessoris.

Duplex. (m. t. v.)

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, solemnitátem diéi hujus propítius intuére, et Ecclésiam tuam, intercedénte beáto Martiále, Confessóre tuo atque Pontífice, contínua celebritáte gaudére tríbuas, et ómnium in te credéntium vota perfícias. Per Dóminum.

Et fit Commem. Octavæ.

In primo Nocturno,

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Floro, apud Boll. concil. Bitur. an. 1031. Bino Lemov. Gregor. Tur. S. Audoeno.

Lectio iv.

Martiális, a beáto Petro Apóstolo Epíscopus ordinátus, et ab eo in Gállias, una cum duóbus

Presbyteris Alpiniáno et Austricliáno ad fidem Christi prædicándam missus, antiquíssima constantissimáque Ecclésiæ Lemovicénsis traditióne perhibétur. Qui, in partes Aquitániæ véniens, jactis, per vária hujus provínciæ óppida, religiónis sanctæ fundaméntis, Lemóvicas tandem aggréssus est. Ea in urbe, patefácto sibi per mirácula prædicatiónis áditu, ut verbum evangélicum disseminàre cœpit, crédidit, ac proféssa est, præ céteris, Valéria, Leocádii senatóris fília, quæ virginitátem Deo vovit, ac mox prima ómnium in Aquitánia sánguinem suum profúdit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

Nihil óperi Dei brevis hæc procélla nócuit. Ita enim deínceps, Martiális exémplo et virtútibus, salútis doctrína conváluit, ut omnis fere pópulus, abjéctis simulacrórum rítibus, ad cultum Dei sese contúlerit, nec ipse álibi sedem episcopátus sui collocándam dúxerit. Ex iis ergo quos fídei jugo subjécerat, adlégit quosdam minístros, Aureliánum in primis et Andréam, idolórum, ut fertur, ántea pontífices, quibúscum curam pópuli partirétur; atque ita Ecclésiam, quæ necdum illis in locis fúerat, ex clero et pópulo, secúndum formam apostólicam instítuit, quam ipse primus administrávit. Non tamen ídeo semper intra Lemovicénses fines se contínuit, nec vicínas Pictónum Santonúmque regiónes prorsus negléxit, in quibus Burdígalam usque palam ac líbere annuntiásse regnum Dei in senectúte tráditur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

Demum post plures annos ministério verbi impénsos, Martiális, designáto sibi successóre Aureliáno, felíciter migrávit ad Deum. Cónditum est corpus ejus in crypta quam miráculis plúrimis suo témpore inclaruísse refert Gregórius Turonénsis. Inde extráctum et in basílica sanctíssimi Salvatóris honorificentíssime collocátum, pia cólitur veneratióne totíus Aquitániæ populórum, apud quos Martiális multis abhinc sæculis Apóstolus nuncupátur.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xij.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi. *Serm.* cviij. *de verb. Ev. T. 5.*

DOminus noster Jesus Christus et venit ad hómines, et abscéssit ab homínibus, et ventúrus est ad hómines. De hoc audístis modo Evangélium quid monúerit nos, cautos nos fáciens, et volens esse expedítos et parátos ad exspectánda novíssima : ut, post novíssima quæ sunt in hoc sæculo metuénda, succédat réquies quæ non habet finem. Beáti qui partícipes facti fúerint. Erunt autem tunc secúri, qui modo non sunt secúri : et íterum tunc timébunt, qui modo timére nolunt. Ad hanc exspectatiónem et propter hanc spem Christiáni facti sumus. Nonne spes nostra est de hoc sæculo? Non amémus sæculum. Ab amóre sæculi hujus vocáti sumus, ut áliud sæculum sperémus et diligámus.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et. Lectio viij.

DEbémus ab ómnibus illícitis concupiscéntiis in hoc sæculo abstinére nos, hoc est, lumbos accínctos habére debémus, et fervére et lucére in opéribus bonis, hoc est, lucérnas ardéntes habére. Ideo lumbos accínctos nostros esse vóluit, et lucérnas ardéntes. Quid est, lumbos accínctos? Declína a malo. Quid est, lucére? Quid est, lucérnas ardéntes habére? Hoc est : Et fac bonum. Quid est quod adjúnxit et ait : Et vos símiles estóte homínibus exspectántibus dóminum suum, quando véniat a núptiis; nisi quod in illo Psalmo séquitur : Inquíre pacem, et séquere eam.

℞. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et. Lectio ix.

HÆc tria, hoc est, abstinéntia a malo, et operátio boni, et spes præmii ætérni, commemoráta sunt in Actibus Apostolórum, ubi scriptum est : Quia docébat eos Paulus de continéntia, de justítia, et spe vitæ ætérnæ.

Ad continéntiam pértinet : Sint lumbi vestri accíncti. Ad justítiam pértinet : Et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Ad exspectatiónem Dómini pértinet, quæ est spes vitæ ætérnæ : Símiles estóte homínibus exspectántibus dóminum suum, quando véniat a núptiis. Te Deum.

DIE XI. JULII.
In Festo
S. Leontii
Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia.

Oratio.

Exsultémus, quæsumus, Dómine Deus noster, in solemnitáte beáti Leóntii, Confessóris tui atque Pontíficis; ut ejus natalítia celebrántes, ad impetrándam misericórdiam tuam semper ejus patrocíniis adjuvémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Pii, Papæ et Martyris.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Fortunato potissimum et Gregorio Turonensi.

Leóntius, in Aquitánia, e clioríssima et antiquíssima stirpe oriúndus, apud Sántonas natus est, circa annum quingentésimum décimum. In primo juventútis flore, parvus adhuc annis, erat gravitáte senex. Milítiam proféssus, Childebértum regem contra Visígothas decertatúrum secútus in Septimániam (quæ tunc témporis Hispániæ nómine frequénter designabátur), strénui prudentísque ducis famam proméruit. Revérsus, Placidínam ex præfectórum prætório et imperatórum sánguine ortam, et sancti Sidónii Apollináris pronéptem, uxórem duxit. Cónjugem sui simíllimam sortítus, in pietátis, justítiæ et misericórdiæ offíciis æmulam sociámque hábuit. Egrégiis virtútum exémplis prælúcens, demórtuo Leóntio Senióre dicto, Antístite Burdigalénsi, ómnium votis expetítus, in sede episcopáli succéssor delígitur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

Mutuo consénsu ab uxóre separátus, eam deínceps pro soróre hábuit, ípsaque totam se bonis opéribus mancipávit. Nobilióri sponsæ, scílicet Ecclésiæ, alligátus Leóntius, múneri pastorâli totus incúbuit, et in eo exsequéndo pietátem et vigilántiam singulárem adhíbuit. Concíliis secúndo et tértio Parisiénsibus per se-

ípsum, et Aurelianénsi quinto per Vincéntium Presbyterum intérfuit. Congregávit et ipse concília in província sua, inter quæ célebre illud quod in Santonénsi urbe indíxit, ubi vigóris episcopális exémplum præbens in depositióne Emérii, Santonénsis Epíscopi, qui absque consénsu Metropolitáni eléctus et ordinátus fúerat, Charibérti regis Clotárii fílii iram experíri non est véritus. Rumóre súbdole sparso Leóntium vita functum, auctor falsi núntii sedem Burdigalénsem inváserat; sed advéniens sanctus Præsul, expúlso invasóre, singulári ómnium lætítia, quasi de novo cívibus rédditus, excéptus est.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus. Lectio vj.

Templa multa eréxit, refécit, decorávit, tum Burdígalæ et in diœcési, tum máxime in urbe Santonénsi, in honórem beátæ Maríæ et aliórum Sanctórum. In dedicatióne ecclésiæ sancti Vincéntii, quam ipse ædificáverat, quidam arréptus a dæmone ecclésiam ingréssus conféstim liberátus est. Sancti Mártyris Nazárii basílicam restaurávit, quæ, ut ait Fortunátus, prius angústo fabricáta máchina gyro, ibi non póterat plebs veneránda capi; dejectámque solo rursus fundávit ab imo. Tot piórum súmptuum et sanctórum óperum mercédem a Dómino reportávit anno círciter quingentésimo sexagésimo quarto, ætátis quinquagésimo quarto, Placidína uxóre adhuc supérstite. In sancti Leóntii honórem et memóriam templum erígitur prope Garúmnam, in território Langoracénsi, regióne et ejus novo patróno dignum. Hujus ædis média inter exsultántium concinentiúmque vota primárium lápidem pósuit Eminentíssimus Cardinális Donnet, Archiepíscopus Burdigalénsis, anno millésimo octingentésimo quinquagésimo tértio.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxv.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre profiscíscens, vocávit servos suos et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Ex libro Pastorális Curæ sancti Gregórii Papæ.

Part. ij. *cap.* 1.

Tantum debet actiónem pópuli áctio transcéndere Præsulis, quantum distáre solet a grege

vita Pastóris. Opórtet namque ut metíri sollícite stúdeat quanta tenéndæ rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus æstimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo necésse est cogitatióne mundus, actióne præcípuus, discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspénsus, bene agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ eréctus, internórum curam in exteriórum occupatióne non mínuens, exteriórum providéntiam in internórum sollicitúdine non relínquens.
℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio viij.

Rector semper cogitatióne sit mundus, quátenus nulla hunc immundítia pólluat, qui hoc suscépit offícii ut in aliénis quoque córdibus pollutiónis máculas tergat. Quia necésse est ut esse munda stúdeat manus quæ dilúere aliórum sordes curat, ne tacta quæque detérius ínquinet, si sórdida ínsequens, lutum tenet. Hinc divína voce præcípitur ut in Aaron péctore Rationále judícii vittis ligántibus imprimátur : quátenus sacerdotále cor nequáquam cogitatiónes fluxæ possídeant, sed rátio sola constríngat. Nec indiscrétum quid vel inútile cógitet, qui ad exémplum áliis constitútus, ex gravitáte vitæ semper debet osténdere quantam in péctore ratiónem portet.
℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.
Lectio ix. S. Pii Papæ et Martyris.

DIE XVII. JULII.
In Festo
B. Simonis Stockii
Conf. Duplex.
Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui précibus et méritis beáti Simónis, Confessóris tui, Montis Carméli órdinem per manus Genitrícis Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, singulári privilégio decorásti : concéde; ut, ipso interveniénte, ad glóriam quam diligéntibus te præparásti, perveníre valeámus. Per eúmdem.
In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurr.

In Ecclèsia vero Metropolitana Lect. Beátus vir. *de Communi Conf. non Pont. ij. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Imon Stóckius, Cántiæ in Anglia nobilíssimis paréntibus ortus, cum puer liberalióribus disciplínis studéret, in sortem Dómini eléctus est. Nam duodécimum annum agens, relíctis paréntibus et spretis rebus familiáribus ac mundi pompis, in solitúdinem secéssit, ubi in cóncavæ quercus trunco delitéscens, ab omni hóminum commércio separátus, tanto copiósius mentem pavit cœléstibus contemplatiónis delíciis, quanto párcius corpus fovit terrénis aliméntis; eo libérius hábuit cum sanctis communiónem, quo rárius cum homínibus collóquium. Jejúniis ádeo déditus erat, ut aquam frígidam tantúmmodo bíberet, herbis, radícibus et pomis silvéstribus vescerétur. Sedébat solitárius in árbore, orábat assíduus, profúnda fundens suspíria; dormiébat raríssime, et carnem vépribus constríctam, spinárum verbéribus subjiciébat spirítui.
℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam.
℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et.

Lectio v.

Um in tanta asperitáte vigínti annos transegísset, divíno mónitus oráculo, Carmelitárum Ordinem, qui tunc in Anglia sanctitáte et doctrína florescébat, ingréssus est. Cujus ingénium singuláre, raris virtútibus ornátum, demiráti Ordinis superióres, emíssis solemnióribus religiósæ vitæ votis, Oxónium, divinárum litterárum stúdii causa, eum misérunt, ubi propter humilitátem qua præ céteris eminébat, fratrum suórum et magistrórum Oxoniénsium précibus victus, invítus inferiórem tantum theologíæ gradum admísit. Applícuit deínde ánimum salúti animárum; quo in múnere quales quantósque fructus Ecclésiæ pepérerit diffícile est dictu. Multa scripsit de patiéntia christiána præclára in laudem Christi matris, cui peculiári obséquio famulabátur. Tandem in locum Aláni, qui totíus Ordinis præpositúram abdicáverat, ómnium votis, Aislefórdiæ, suffféctus est. Addidit tantæ dignitátis óneri frequentióres vigílias, uberióres lácrymas, et acutióra cilícia; et sevérior in se factus, mitis in omnes, novo flagrórum génere corpus afflictábat. Virginitátem illæsam perpétuo servávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi.

HANC vitæ sanctitátem públice multis miráculis comprobátam vóluit Deus; plúrima enim futúra prædíxit spíritu prophético; morbos insanábiles curávit. Régulæ confirmatiónem a Summis Pontifícibus impetrávit. Precánti ei divam Vírginem ut Ordinem jam confirmátum, qui sacro título ejus gaudet singulári, áliquo privilégio a céteris discérneret, appáruit ipsa Virgo benedícta, Angelórum multitúdine comitáta, tenens præ mánibus Scapuláre Ordinis, dicens : Hoc erit signum tibi et cunctis Carmélitis privilégium, quod in hoc pie móriens ætérnum non patiétur incéndium. Ordinem sibi créditum, ut vir cœlitus missus ad propagándum in Európa Elíæ zelum, mira prudéntia et summa cum laude rexit. Post centésimum ætátis annum, in convéntu suo, Burdígalæ migrávit ad Dóminum, anno Christi millésimo ducentésimo sexagésimo quinto. Ejus sacrum corpus, primum in eódem convéntu recónditum, póstea, témpore perturbatiónum quæ religiónem in toto Galliárum regno, prætereúnte sæculo décimo octávo, afflixérunt, ex impiórum tunc regnántium mánibus, devotórum quorúmdam Carmelitárum fratrum pia fraude subdúctum, in ecclésiam metropolitánam ejúsdem urbis translátum, ibídem religiosíssime servátur. Anno vero millésimo octingentésimo vigésimo, Pius Papa séptimus précibus illustríssimi ac reverendíssimi Cároli Francísci d'Aviau Dubois de Sanzai, Archiepíscopi Burdigalénsis, ánnuens, ad devotiónem erga eúmdem sanctum Simónem augéndam, festum pro Ecclésia Burdigalénsi primum a Nicoláo tértio, póstea vero pro toto Carmelitárum Ordine a Paulo quinto approbátum, ritu dúplici in tota diœcési celebrári indúlsit.

℟. Iste homo perfécit.

In tertio Nocturno,

Homilia in Evang. Sint lumbi vestri. *de Communi j. loco.*

DIE XXI. JULII.

In Festo

S. Alexii

Conf. Semiduplex.

(*In Kalend., XVII. Julii.*)

In Hymno. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*

Et fit Commem. S. Praxedis, Virginis.

DIE VIII. AUGUSTI.

In Festo

S. Mummoli

Abbatis. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Múmmolum mansuetúdinis virtúte decorásti : da nobis, ejus intercessióne; ut sollíciti serváre unitátem spíritus, cum omni humilitáte et mansuetúdine ambulémus. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Mummolus, Abbas Floriacénsis, religiósæ vitæ institúto atque sanctitáte mirábilis, inter ália quæ Gálliæ benefícia cóntulit, venerándæ sunt Relíquiæ sancti Benedícti Abbátis. Cum enim Cassinénse cœnóbium, a Longobárdis Itáliam depopulántibus dírutum, et in solitúdinem redáctum esset, divíno mónitu beátus Múmmolus eo mittit Aigúlphum, discípulum suum, qui póstea Lirinénsis monastérii fuit Abbas, et tandem Martyr, ad transvehéndas Floríacum sanctíssimi Patris Benedícti Relíquias; quod ille, auctóre Deo atque adjutóre, felíciter perfécit, magna totíus Gálliæ gratulatióne.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v.

Beátus Múmmolus toto vitæ témpore omni génere virtútum cláruit, sed máxime cleméntia et lenitáte : ita ut díxerit, cum esset in extrémis, se, Dei grátia juvánte, nunquam iræ passióne fuísse perturbátum. Ergo ut vitæ suæ dignam corónidem ádderet, licet gravis annis, venit in Aquitániam, fovéndæ causa, ut putátur, ac promovéndæ reguláris observántiæ in monastério Régulæ, quod tunc Floriacénsibus regéndum tráditum fúerat. Sed cum in morbum incidísset, Burdígalæ diem clausit extrémum, in monastério sanctæ Crucis, Ordinis sancti Benedícti, ubi ex præscripto régulæ Ordinis ejúsdem, hospítio a frátribus honorífice, ut merebátur, excéptus fúerat.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

UBi vero funus ab eísdem frátribus pie et religióse curátum est, miraculórum multitúdine sepúlcrum illíus frequentári cœpit. Nam et energúmeni, et paralytici, et membrórum usu destitúti, aliísque córporis ægritudínibus afféᴄti, sanitátem ejus méritis ac précibus a Deo impetrárunt. Obiit autem anno quinto Clodovéi regis hoc nómine secúndi, qui íncidit in annum a Christo nato sexcentésimum septuagésimum séptimum, ut ex epitáphio constat in mármore incíso, quod paríeti túmulo ejus vicíno affíxum est.

℟. Iste homo.

In tertio Noᴄturno.

Léᴄtio sanᴄti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xix.

IN illo témpore : Dixit Simon Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sanᴄti Gregórii Nysséni.

Orat. 1. *de Beatitud., circa medium. Tom.* 3.

DUo divitiárum esse génera a Scriptúra didícimus : unum quod probétur et expetátur, álterum quod damnétur et improbétur. Expeténdæ quidem atque probándæ sunt virtútum divítiæ: criminatiónibus autem obnóxiæ sunt et improbántur materiáles páriter atque terrénæ : quóniam illæ quidem ánimæ opes exsístunt : hæ vero ad decipiénda sénsuum vasa idóneæ sunt. Quamóbrem has collígere Dóminus vetat, quippe quæ tineárum corruptióni, insidiísque noᴄturnórum furum expósitæ sunt : sublímium autem rerum divítiis, quas vis corrúptrix non attíngit, studére nos jubet. Tíneæ autem et furis mentióne faᴄta, perníciem esse ánimæ thesáuros osténdit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

SI ígitur divítiis oppónitur paupértas, juxta analogíam et conveniéntem ratiónem, dúplicem plane paupertátem quoque animadvértere licet : unam quidem rejiciéndam; álteram vero quæ beáta judicétur. Quicúmque ígitur a temperántia, sobrietáte atque modéstia nudus et inops, aut pretiosárum justítiæ opum, aut sapiéntiæ, aut prudéntiæ, aut álius cujúsquam pretiosá-

rum atque reconditárum rerum egénus, pauper et mendícus invenítur, paupertátis nómine ærumnósus ac miserábilis est. At quicúmque sponte sua eárum rerum ómnium quæ per vítium et nequítiam intelligúntur, inops et egénus est, ac nihil ex diabólicis ópibus in suis conclávibus recónditum habet, sed spíritu fervet, et per hoc sibi paupertátem cólligit et quærit, ille versári osténditur in ea egestáte quæ a Verbo beáta habétur, cujus egestátis fructus est regnum cœlórum.
℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

In fine Orat.

Quis intellígere quis pauper spíritu sit? Qui corporálem opuléntiam ánimæ divítiis permútat : qui propter spíritum egénus est : qui terrénas divítias véluti quoddam onus excússit et abjécit, ut, sicut ait Apóstolus, sublímis in nube per áerem sursum rapiátur una cum Deo per cœléstia tendens. Si ígitur ad supérna nos accédere opórtet, ab iis quæ deórsum trahunt et ínopes et egéni simus, ut in supérnis versémur. Quis autem sit modus quo id efficiátur præscríbit psalmódia : Dispérsit, ínquiens, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi. Qui pauper impertítus fúerit, in partem ejus qui propter nos pauper fuit seípsum constítuet. Egénus fuit Dóminus, ne tu quidem métuas egestátem. Ergo si cum eo qui egénus fuit una pauper eris, cum regnánte quoque una regnábis.
Te Deum laudámus.

DIE IX. AUGUSTI.

In Festo

SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi

Martyrum. Semiduplex.

In Kalend., 8. Augusti, cum Comm. Vigiliæ S. Laurentii, et S. Romani, Mart.

DIE XVI. AUGUSTI.

In Festo

S. Rochi

Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

Subvéniat nobis, quæsumus, Dómine, beáti Rochi apud te intercéssio, quæ iræ tuæ flagélla a nobis avértat, et tuæ nos reconcíliet Majestáti. Per Dóminum.

Et fit Commem. Octavæ.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.


Ochus, urbe Montepessulána in Gállia Narbonénsi equéstri génere oriúndus, paréntibus vita functis, a quibus pie semper fúerat institútus, profectiónem Románam, religiónis ergo ac stúdio sanctórum Apostolórum Martyrúmque venerándi relíquias, suscépit, cum prius óppida patérna pátruo commisísset, relíquas autem facultátes, Christi consílium secútus, paupéribus erogásset. Iter ingréssus, in hospitáles domos divertébat, et quod unum inter ália, in mandátis, a pio patre moritúro accéperat, páuperes et ægros, quacúmque póterat ratióne atque subsídio, solabátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v.


Este ígitur in Itália tum gráviter sæviénte, præcláram nactus exercéndæ caritátis opportunitátem, strénuam in juvándis ac sanándis iis quos lues inféceras óperam naváre cœpit, eorúmque plúrimis signo crucis valetúdinem restítuit. Quin étiam, illíus assíduis précibus Aquapéndens, Cesénna, Aríminum, aliæque urbes Itáliæ a contagióne liberátæ sunt. Ejus porro mérita étiam augére Deus vóluit, dum eádem peste, a qua tam multos liberáverat, Placéntiæ corréptus est. Quam ob causam urbe egréssus, in próximam silvam se recépit, ubi vir quidam nóbilis et pius, Gothárdus nómine, ipsi necessária aliménta suppeditávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.


Anitátem vero divínitus adéptus, in Gálliam vexátam bellis revérti parat. Sed velut explorátor comprehénsus, in cárcerem conjícitur, ubi quinquénnium male tractátus, cum summa patiéntiæ laude et jugi meditatióne Passiónis Christi, excéssit e vivis, anno Dómini millésimo trecentésimo vigésimo secúndo, ætátis suæ trigésimo secúndo, décimo sexto Kaléndas Septémbris. Ejus vivéntis sanctitátem et defúncti glóriam crebra testántur mirácula, máxime ad depelléndam pestis contagiónem, in quo génere illíus præséntis auxílium Burdigalénses sibi frequén-

ter adésse sensérunt. Constántiæ quoque in Germánia, cum illic generále concílium haberétur, eídem honóres Sanctis débiti sunt impénsi, et inde sumpto exémplo, ubíque locórum, atque ídeo Romæ, Summo Pontífice consentiénte, in ejus honórem altária, sacélla, témplaque Deo sunt consecráta. ℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xij.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Et réliqua.

Homilía S. Basílii Epíscopi. *In divites circa med. T.* 2.

SUnt qui ália quidem mandáta confícere volunt, sed opes exúere recúsant. Vidi ego non paucos jejunántes, orántes, ingemiscéntes, pietátem omnem, quæ sine impénsa exercéri potest, excoléntes : at néquidem óbolum egénis offeréntes. Quæ his utílitas est réliquæ virtútis? Non enim éxcipit ipsos regnum cœlórum. Nam, inquit, facílius est camélum per forámen acus transíre, quam dívitem intráre in regnum cœlórum. Utique sic perspícua senténtia est : verax qui enúntiat; et tamen qui morem gerant pauci. Et quómodo, inquis, vivémus, relíctis ómnibus? Cave sciscitéris ex me eórum quæ præcépta sunt intelligéntiam : novit legislátor effícere ut id étiam quod fíeri non potest, possit tamen cum lege compóni atque aptári. ℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

NAm putáre debent qui prudénter júdicant, usum divitiárum ad dispensatiónem concéssum esse, non ad voluptátem. Quid ígitur afflictáris? Quid ánimo discruciáris, cum audis : Et vende quæ habes? Etenim si te sequeréntur in futúrum sæculum, nec sic quidem essent studiósius exquirénda, útpote quæ a præmiis illic repósitis obscuréntur. Sin autem necésse est ea hic manére, cur his divénditis lucrum inde non exportámus? Quid respondébis Júdici? Tu, qui paríetes vestis, hóminem non vestis? Qui equos ornas, fratrem pannículis láceris coopértum aspernáris? Qui putréscere

sinis fruméntum, esuriéntes non alis? Qui défodis aurum, oppréssum contémnis? ℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix. *Et post multa.*

SEd, inquis, póstea quam divítiis frúitus fúero per omnem vitam meam, páuperes constituam herédes facultátum meárum, eósque tábulis públicis ac testaméntis bonórum meórum dóminos declarábo. Cum jam non versáberis inter hómines, tunc humánus fies et liberális? Cum mórtuum te vídero, tunc dicam te fratris amántem? Multa tibi debébitur grátia ob munificéntiam, quod in sepúlcro jacens et in terram resolútus, jam in súmptibus faciéndis largus exstíteris atque magnánimus? Dic mihi, quæso, quorúmnam témporum mercédem expósces : eorúmne quibus vixísti, an eórum quæ post mortem secúta sunt? Sed quo témpore vivébas, voluptátibus vitæ déditus, et delíciis díffluens, ne adspícere quidem egénos sustinuísti. Jam autem quænam áctio est mórtui? Quæ quoque óperis merces debétur? Osténde ópera, et repósce remuneratiónem.

Te Deum laudámus.

DIE XVIII. AUGUSTI.

In Festo

S. Hyacinthi

Confessoris. Duplex.

(*In Kalend., 16 Augusti.*) *In Hymno.* Iste Conféssor. *mutatur tertius versus. Et fit Commem. Octavæ, et S. Agapiti, Martyris.*

DIE XXII. AUGUSTI.

Octava Assumptionis B. M. V. *Duplex.*

Omnia ut in Breviario, præter sequentia.

PRIDIE

Ad vesperas,

Commemoratio Voti Ludovici XIII. Aña. Reges et regínæ, vultu in terram demísso, adorábunt te, et fílios tuos ego salvábo.

℣. Thronus ejus sicut sol in conspéctu meo. ℟. Et sicut luna perfécta in ætérnum. **Oratio.**

DEus, qui sanctíssimam Vírginem Maríam, genitrícem tuam, super choros Angelórum exaltátam, fidélibus tuis patrónam providísti : óculis misericórdiæ Francórum respícere dignéris impérium, quod tutélæ ejúsdem Vírginis rex piíssimus voto perpétuo commendávit. Qui vivis.

Pro Commemoratione Voti Ludovici XIII.

Lectio ix.



Udovícus décimus tértius, Francórum rex, memor gratiárum quas a Deo óptimo máximo, favénte Vírgine Deípara, fúerat consecútus, ut grati ánimi sensus futúris sæculis testarétur, se suúmque regnum solémni voto beátæ Maríæ Vírgini consecrávit, edícto in hæc verba propósito : Beatíssimam et gloriosíssimam Vírginem in speciálem regni nostri patrónam assuméntes, eídem speciáli modo nos, nostrum sceptrum, nostram corónam, nostrósque omnes súbditos dicámus et consecrámus. Cujus nostri mancipátus ne memória apud pósteros éxcidat, mandámus fíeri post Vésperas diéi festi Assumptiónis processiónem, ritu et apparátu quam máxime solémni in síngulis dominatiónis nostræ ecclésiis, tam cathedrálibus quam parochiálibus et conventuálibus cujuscúmque civitátis et pagi : præcipiéntes ínsuper quátenus superióres cúriæ ac locórum optimátes dictæ processióni intérsint. Móneant étiam Epíscopi pópulos omnes nostros, ut peculiári erga beatíssimam Vírginem amóre afficiántur, ipsiúsque patrocínium die illa solémni implórent, ut fretum ádeo poténtis patrónæ præsídio, regnum nostrum ob ómnibus hóstium tutum sit insídiis, et diutúrna gáudeat pace; Deúsque óptimus máximus tanta in eo colátur reveréntia, ut nos subditíque omnes ad beátum finem cui sumus cónditi téndere ac perveníre valeámus. Vita functo Ludovíco décimo tértio, edíctum pii cónjugis confirmávit Anna Austríaca, regni moderátrix : quod votum christianíssimi reges, avítam pietátem sectántes, exínde renovárunt. Unde peculiáris hujúsce voti memória ad Domínicam infra Octávam Assumptiónis indícta est.

Ad laudes,

Commemoratio Voti Ludovici XIII. Aña. Dixit ad regem : Si invéni grátiam in óculis tuis, o rex, et si tibi placet, dona mihi pópulum meum pro quo óbsecro.

℣. Tríbuat tibi Dñus secúndum cor tuum. ℟. Et omne consílium tuum confírmet.

Oratio. Deus, qui. *ut supra ad Vesperas.*

In ij. vesperis,

Commemoratio Voti Ludovici XIII. Aña. Beáti servi tui qui assístunt coram te. Quia díligit Deus Israel, et vult serváre eum in ætérnum, idcírco pósuit te super eum.

℣. Glóriam regni tui dicent. ℟. Et poténtiam tuam loquéntur.

Oratio. Deus, qui. *supra.* 45.

DIE XXVIII. AUGUSTI.
In Festo
S. Augustini
Episcopi, Confessoris et Doctoris. Duplex.

(*In Ecclesia Metropolitana solum, Duplex j. classis sine Commem., et cum Octava.*) *Officium ut in Breviario, cum Hymnis sequentibus.*

Ad vesp. et matutin.
Hymnus.

Nunc cœlo, stygiis líbera péstibus,
Effer conspícuum, rellígio, caput :
Augustínus adest : cédite, Tártara,
Tanto cédite lúmini.

Assértor fídei summus et árbiter,
Inconcússa stetit quo duce véritas :
Illi nuda patent, quæ fúerant prius
Densis óbsita núbibus.

Tanti vix cápiens flúmina lúminis,
Scribit plena Deo mille volúmina
Omnes unde bibant lárgius, et Deum
Pluris fóntibus háuriant.

Dictat nempe tibi, qui Deus ássidet,
Scriptis ipse præest; ipse regit manum,
Cœléstes áperit non penetrábilis
Thesáuros sapiéntiæ.

Hinc hostes cálami figis acúmine,
Illinc ore potens fulmíneo tonas :
Christi vellis agro, quæ ségetem necant,
Errórum mala sémina.

Qui lucis pater est, glória sit Patri;
Qui lux ipsa Patris, glória Fílio;
Amborúmque tibi, nexus amábilis,
Compar glória, Spíritus. Amen.

Lectioni vj. additur seq.

Anno autem millésimo octingentésimo quadragésimo secúndo, reverendíssimus Adólphus Dupuch, Júliæ-Cæsáreæ primus Epíscopus, beáti Augustíni nullo mediánte succéssor, obtínuit unum ex bráchii dextri óssibus, quod Hippónem solémni pompa translátum est, præside reverendíssimo Ferdinándo Donnet, Burdigalénsi Archiepíscopo, plúribus comitántibus Epíscopis, scílicet reverendíssimis de Mazenod, Massiliénsi; de Prilly, Catalaunénsi; Chatrousse, Valentinénsi; Sibour, Diniénsi; qui cum reverendíssimo Dufêtre, Nivernénsi eléto, sese Præsuli Júliæ-Cæsáreæ adjúnxerant. Trigésima die Octóbris supradícti anni, súmptibus Episcopórum Gálliæ, in Hipponénsi colle altáre eréctum, sacrum pignus, ómnibus, étiam indigénis, plaudéntibus, recipiébat. Reverendíssimus Dupuch, Ecclésiæ Burdigalénsis olim Canónicus, partículam insígnem hujus relíquiæ ejúsdem Ecclésiæ capítulo dono dedit,

Ad laudes,

Hymnus.


CHristi sponsa, novas scissa per hæreses,
Per te tuta suis fulget honóribus :
Quot spectánda moves úndique prælia,
Tot nectis tibi láureas.
Greges emáculas; crímina dédoces :
Cœli pandis iter tot male déviis;
Detrúncas Erebi monstra ferócia,
Fundas impérium Dei.
Judex ipse tui, te prior íncrepas;
Ipsi censor eras difficilis tibi,
Promptus, legítimis, quæ male díscrepant,
Scriptis, scripta reféllere.
Doctor jam dócilis, magnánimus sequi
Quo te cumque vocat prævia Véritas,
Qua sola régeris rebus in árduis,
Hac sola regis ómnia.
Qui lucis pater est, glória sit Patri;
Qui lux ipsa Patris, glória Fílio,
Amborúmque tibi, nexus amábilis,
Compar glória, Spíritus. Amen.

DIE XXIX. AUGUSTI.

II. DIE INFRA OCTAVAM S. Augustini

Fit de Decollat. S. Joannis Baptistæ. Duplex majus ut in Breviario cum Commem. Octavæ.

DIE XXX. AUGUSTI.

III. DIE INFRA OCTAVAM S. Augustini.

Fit de S. Rosa Virgine Limana. Duplex, cum Comm. SS. Martyrum Felicis, etc., et Octavæ.

DIE XXXI. AUGUSTI.

IV. DIE INFRA OCTAVAM S. Augustini

Fit de S. Raymundo Nonnato. Duplex, cum Comm. Octavæ.

DIE I. SEPTEMBRIS.

V. DIE INFRA OCTAVAM S. Augustini.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.

Ex Possídio, Calaménsi Epíscopo, in Vita sancti Augustíni.

Lectio iv. *Cap.* xxj.


SAnctórum concília Sacerdótum per divérsas províncias celebráta, cum pótuit frequentávit beátus Augustínus; non in eis quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærens, ut vel fides sanctæ Ecclésiæ cathólicæ invioláta manéret, vel nonnúlli Sacerdótes et clérici, sive per fas, sive per nefas excommunicáti, vel absolveréntur, vel abjiceréntur. In ordinándis Sacerdótibus et cléricis consénsum majórem christianórum, et consuetúdinem Ecclésiæ sequéndam arbitrabátur. Vestes ejus et cal-

ceaménta vel lectuália ex moderáto et competénti hábitu erant, nec nítida nímium, nec abjécta plúrimum; quia iis plerúmque vel jactáre se insolénter hómines solent, vel abjícere, ex utróque non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt, iídem quæréntes. At iste, ut dixi, médium tenébat, neque in déxteram, neque in sinístram declínans.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v. *Cap.* xxij.

Mensa usus est frugáli et parca, quæ quidem inter ólera et legúmina, étiam carnes aliquándo, propter hóspites vel quosque infirmióres; semper autem vinum habébat. Cochleáribus argénteis utens, cétera vasa, quibus mensæ inferebántur cibi, vel téstea, vel lígnea, vel marmórea fuérunt, non tamen necessitátis inópia, sed propósito voluntátis. Sed et hospitalitátem semper exhíbuit. Et in ipsa mensa magis lectiónem vel disputatiónem quam epulatiónem potationémque diligébat. Et contra pestiléntiam humánæ consuetúdinis, in ea scriptum ita habébat: Quisquis amat dictis abséntum ródere vitam, hanc mensam vétitam nóverit esse sibi; et ídeo omnem convívam a supérfluis et nóxiis fábulis et detractiónibus sese abstinére debére admonébat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vj. *Cap.* xxiij. *et* xxiv.

Pauperum semper memor erat, eísque inde erogábat unde et sibi suísque secum habitántibus erogabátur, hoc est, vel ex redítibus possessiónum Ecclésiæ, vel étiam ex oblatiónibus fidélium. Domus Ecclésiæ curam omnémque substántiam, ad vices valentióribus cléricis delegábat et credébat. Sed ab eísdem domus præpósitis, cuncta et accépta et erogáta notabántur, quæ, anno completo, eídem recitabántur, quo scirétur quantum accéptum quantúmque dispensátum fuísset, vel quid dispensándum remansísset. Domum, agrum et villam nunquam émere vóluit. Verum si forte Ecclésiæ a quoquam sponte tale áliquid vel donarétur, vel título legáti dimitterétur, non respuébat, sed súscipi jubébat. In his autem quæ Ecclésia habébat et possidébat, inténtus amóre vel implicátus non erat; sed majóribus magis

et spiritálibus suspénsus et inhærens rebus, vix aliquándo seípsum ad illa temporália ab æternórum cogitatióne relaxábat et deponébat.
℟. Iste est qui ante.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* v.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ; quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Et réliqua.

Homilía sancti Chromátii Epíscopi. *Concion.* j. *de Oct. Beatitudinibus.*

NOn immérito sancti Apóstoli sal terræ nuncupántur. Et cujus terræ? Promptum est nóscere, id est, terræ córporis nostri, quam dudum insipiéntem ac sensu vanitátis insúlsam, evangélicæ prædicatiónis sapiéntia saliérunt. Ipsi enim sal terræ nostræ facti sunt, quia per ipsos et verba sapiéntiæ accépimus, et per cœléstem nativitátem in spiritálem sumus deputáti natúram. Sicut autem sal hoc, id est, sal terræ, indiscréte ómnibus opus est, régibus ac poténtibus, divítibus et paupéribus, servis ac dóminis; sic et cœléstis sapiéntiæ verbum, quod per Apóstolos prædicátum est, necessárium est cunctis ad vitam.
℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio viij.

SEd quia de natúra vel grátia salis secúndum intelligéntiam spiritálem jam supérius dictum est, nunc quoque de ipsa salis virtúte tractémus. Vos ergo, inquit, estis sal terræ. Itaque sicut sal, cum operátur in carne quálibet, corruptélam non admíttit, fetóres aufert, sordes expúrgat, vermes non sinit generári; ita et cœléstis grátia ac fides quæ per Apóstolos data est, símili exémplo in nobis operátur. Aufert enim carnális concupiscéntiæ corruptélam, peccatórum sordes expúrgat, odórem malæ conversatiónis exclúdit, vermes delictórum non sinit generári, id est de córpore libidinóso mortíferas voluptátes exsúrgere, consérvans córpora nostra étiam ab illo immortáli verme, qui indeféssa pœna peccatóres excrúciat, de quo scriptum est : Vermis eórum non moriétur, et ignis eórum non exstinguétur.
℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus : * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus. ℣. Ju-

cunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. — Et. Glória. Et.

Lectio ix. et Commem. de S. Ægidio, ut in Breviario sub hac die.

DIE II. SEPTEMBRIS.

VI. DIE INFRA OCTAVAM

S. Augustini.

Fit de S. Stephano Hungariæ Rege, Semid., cum Commemoratione Octavæ.

DIE III. SEPTEMBRIS.

VII. DIE INFRA OCTAVAM

S. Augustini.

In primo Nocturno,

Lect. de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Ex Possídio, Calaménsi Epíscopo, in Vita sancti Augustíni.

Lectio iv. *Cap.* xxiv. *et* xxv.

FAbricárum novárum nunquam stúdium hábuit Augustínus, devítans in eis implicatiónem sui ánimi, quem semper líberum habére volébat ab omni moléstia temporáli. Dum ecclésiæ pecúnia defíceret, hoc ipsum pópulo christiáno denuntiábat, non se habére quod indigéntibus erogáret. Nam et de vasis domínicis, propter captivos et quamplúrimos indigéntes, frangi et conflári jubébat, et indigéntibus dispensári. Quod non commemorássem, nisi contra carnálem sensum quorúmdam fíeri pervidérem. Cum ipso semper clérici, una étiam domo ac mensa sumptibúsque commúnibus, alebántur et vestiebántur. Indisciplinatiónes vero et transgressiónes suórum a régula recta et honestáte arguébat, et tolerábat quantum decébat et oportébat : in tálibus præcípue docens ne cujúsquam cor declinarétur in verba malígna, ad excusándas excusatiónes in peccátis.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v. *Cap.* xxvj.

FEminárum intra domum ejus nulla unquam conversáta est, nulla mansit, ne quidem germána soror, quæ vídua, Deo sérviens, multo témpore usque in diem óbitus sui, præpósita ancillárum Dei vixit; sed nec pátrui sui fíliæ, et fratris sui fíliæ, quæ páriter Deo serviébant. Dicébat vero quia et si dè soróre et néptibus secum commorántibus, nulla nasci posset mala suspício, tamen, quóniam illæ persónæ, sine áliis necessáriis secúmque manéntibus féminis esse non possent, et quod ad eas áliæ étiam a foris intrárent, de his posse offendículum aut scándalum infirmióribus

nasci : et illos qui cum Epíscopo vel quólibet clérico forte manérent, ex illis ómnibus feminárum persónis posse, una commorántibus vel adventántibus, aut tentatiónibus humánis períre, aut certe malis hóminum suspiciónibus péssime diffamári.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vj.

OB hoc ergo dicébat nunquam debére féminas cum servis Dei, étiam castíssimis, una manére domo; ne, ut dictum est, áliquod scándalum aut offendículum tali exémplo ponerétur infirmióribus. Et si forte ab alíquibus féminis ut viderétur vel salutarétur rogabátur, nunquam sine cléricis téstibus ad eum intrábant, vel solus cum solis unquam est locútus, nec si secretórum áliquid interésset. In visitatiónibus vero modum tenébat ab Apóstolo definítum, ut non nisi pupíllos et víduas in tribulatiónibus constitútas visitáret. Et si forte ab ægrotántibus ob hoc peterétur, ut pro eis in præsénti Dóminum rogáret, eísque manus impóneret, sine mora pergébat. Feminárum autem monastéria, non nisi urgéntibus necessitátibus, visitábat.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* v.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ; quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Et réliqua.

De Homilía sancti Chromátii Epíscopi. *Conc.* j. *de Oct. Beat.*

HOs Deo dignos esse qui sale cœléstis sapiéntiæ condiúntur dudum præcedénte figúra legis osténsum est; quia omne sacrifícium offeréndum Deo, sale saliebátur. Quod ipsum Evangelísta commemorávit, dicéndo : Omne sacrifícium sale saliétur; osténdens eum hóminem dignum vere sacrifícium Deo fíeri, qui cœléstis sapiéntiæ virtúte esset infúsus. Si quis ítaque hoc cœlésti sale usus fúerit condiétur; qui autem nolúerit, infatuábitur. Non immérito et Apóstolus sermónem nostrum semper grátiæ sale condítum esse debére commónuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus

lorícam fídei, et ornávit eum.—Et. Lectio viij.

Adhuc salis grátiam ac virtútem étiam in libris Regum invenímus præosténsam. Cum in Jéricho essent aquæ malígnæ quæ stériles faciébant, petítus est sanctus Elisæus Prophéta ut iísdem aquis remédium salutáre præbéret. Tunc sanctus Elisæus, cœléstis mystérii non ignárus, dixit afférri sibi vas fíctile, et mitti in eo salem. Et venit, et misit salem ad éxitus aquárum, et sic sanáta stérilis natúra aquárum, in fecunditátem mutáta est. Quod in sacraméntum futúræ veritátis gestum manifésta ratióne cognóscimus, nam per aquas gentes significári evidénter Apocalypsis rétulit, dicéndo : Aquæ quas vidísti, pópuli et gentes, et turbæ et natiónes sunt : quæ áliter sanári, vel remédium salutáre accípere non póterant, nisi sal in vas fíctile mitterétur, id est, nisi Dei sapiéntia humánum corpus accíperet.

℞. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus : * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus. ℣. Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. — Et implévit. Glória Patri. Et. Lectio ix.

Unde non immérito Dóminus Apóstolos suos sal terræ appéllat, quos divína ex se et cœlésti sapiéntia replévit. Sic autem eos sal terræ esse testátus est, sicut et lucem mundi. Nam cum ipse lucem mundi se esse proféssus sit, tamen étiam discípulos suos hoc nómine vóluit nuncupári, non áuferens quod suum est lumen, sed lárgiens : quia lumen verum et ætérnum quod suum est, sine áliquo detriménto própriæ natúræ largítur. Scimus sane nonnúllos sales de terra generári; sed hæc similitúdo cóngruit Apostolórum persónæ; quia quamvis nati de terra humáni córporis videréntur, áliud tamen per fidem Christi esse jam cœperant : ut non jam terra, sed sal terræ haberéntur; quia de carnálibus facti sunt spiritáles, idónei qui fide possint condíre insúlsa corda credéntium. Te Deum laudámus.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

Octava S. Augustini.

Duplex.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.

Ex Possídio, Calaménsi Epíscopo, in Vita sancti Augustíni. Lectio iv.

Uscépto império a Theodósio Junióre, Arcádii fílio, prótinus éfferæ Vandalórum, Alanórum Gothorúmque gentes, ex Hispániis in Africam penetrárunt, eámque subáctam

occupárunt; non ætáti, non órdini, non séxui parcéntes ulli, ferróque et flamma, ac devastatiónibus ómnia deléntes. Ariánam demum impietátem invehéntes, tandem ad Hipponénsẽ civitátem pervenérunt, quam válida manu circumvallárunt. ℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus. **Lectio v.**

Cumque Hipponénsis cívitas obsidióni jam hostíli succúmberet, beátus Augustínus, convocátis ad se frátribus suis, dixit eis : Ecce rogávi Dóminum ut aut nos hisce perículis éximat, aut patiéntia nos múniat, aut me ex mortálium commércio ad ætérnum illud domicílium évocet, ne calamitátes ingruéntes vidére compéllar. Itaque novíssimi voti compos efféctus, tértio obsidiónis mense fébribus corréptus, lecto decúbuit, Deóque, anno salútis quadringentésimo trigésimo quarto, suæ vero ætátis septuagésimo sexto, ánimam reddens in Hipponénsi civitáte, a fidélibus, in basílica sancti Stéphani, univérso clero ac Hipponénsi pópulo multis cum lácrymis ac laméntis prosequéntibus, sepúltus est.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus. **Lectio vj.**

Invalescénte vero Barbarórum vesánia, et nequáquam se remitténte furóre, capta Hipponénsi civitáte, sanctíssimum beáti Augustíni corpus, in Sardíniam ínsulam, jussu atque cura sancti Fulgéntii, Afri Ruspénsis Epíscopi, qui cum beáto Augustíno in erémo conversátus fúerat, transportátum fuit, anno Dñi quadringentésimo nonagésimo sexto. Ubi, annis ducéntis vigínti tribus jacens, multis miráculis clarum, Pápiam deínde, regis Luitprándi jussu, translátum est. ℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* v.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ; quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Et réliqua.

De Homilía sancti Chromátii Epíscopi.

Conc. j. *de Oct. Beatitud.*

Infatuári eos osténdit qui cum semel per fidem et sapiéntiam cœléstem erudíti, fidéles ac stá-

biles débeant permanére, relícta fide et sapiéntia divína, aut in hæresim ruunt, aut ad stultítiam Gentílium rédeunt. Et idcírco ait : Si autem sal infatuátum fúerit, in quo condiétur? Quia infatuáti fraude diáboli, hujúsmodi hómines, amíssa fídei grátia, evanéscunt. Qui, cum potuíssent étiam álios non credéntes, adhuc a fide aliénos, divínæ prædicatiónis verbo condíre, étiam sibi inútiles exstitérunt. Et ídeo áddidit Dóminus dicens : Ad níhilum valet, nisi ut projiciátur foras, et conculcétur ab homínibus; quia hujúsmodi jam non fidéles ac doméstici, sed et projécti ab Ecclésia ut extránei et fídei hostes, necésse est ut divérsis vítiis carnis et váriis voluptátibus sæculi conculcéntur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio viij.

SAl terræ Dóminus discípulos suos appellávit, quia infatuáta a diábolo corda humáni géneris, per cœléstem sapiéntiam condiérunt. Nunc quoque lumen mundi eos núncupat, quia a seípso, qui verum et ætérnum lumen est, illumináti, ipse quoque lumen facti sunt tenebrárum. Nam quia ipse Sol justítiæ est, non immérito étiam discípulos suos lumen mundi cognóminat; quia per ipsos, quasi per quosdam micántes rádios, univérso orbi cognitiónis suæ lumen infúdit : fugavérunt enim a córdibus hóminum ténebras erróris, luce veritátis osténsa. Per ipsos namque illumináti étiam nos, ex ténebris lumen sumus effécti, dicénte Apóstolo : Erátis enim aliquándo ténebræ, nunc autem lux in Dómino; sicut fílii lucis ambuláte.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus : * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus. ℣. Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. — Et. Glória. Et.


Lectio ix. *Paulo post.*

NEque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed supra candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Videámus et hujus dicti Domínici ratiónem. Scimus lucérnam ad hoc accéndi ut non módio aut áliquo impediménto tegátur; quod si fiat, usus ejus nulli rei próderit. Sed ídeo accénditur in candelábro, ut in édito loco pósita, cæcitátem obscúræ noctis abjíciat, et lucis suæ usum in domo constitútis impértiat. Quod ídeo Dóminus commémo-

rat, quo scirémus et nos idcírco grátia fídei accénsos, et luce spíritus illuminátos, ut et ipsi per ópera fídei atque justítiæ velut lucérna spirituáliter lucerémus, et hos qui in ténebris erróris sunt pósiti, ignorántiæ nocte depúlsa, veritátis ipsíus lúmine illustrarémus. Unde Apóstolus ait : Inter quos lucétis sicut luminária in hoc mundo, verba vitæ continéntes, quod non solum verbis operándum est, sed et factis, nec ut dóceas tantum, sed ut quod docúeris fácias.

Te Deum laudámus.

NOTA. *Extra Adventum, Quadragesimam, Ferias, Octavas Vigiliasque privilegiatas, in singulis Feriis V., more votivo et sub ritu semidupl. fit de SS. Sacramento ut in Supplemento Breviarii. Itemque in Sabbatis de Immaculata Conceptione B. M. V., dummodo his Feriis V. et Sabbatis non occurrat Officium ix. Lectionum, etiam translatum.*



Imprimatur.
Tornaci, die 18 Maii 1885.
G. BOUVRY Vic. Gen.

Typis Soc. S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. — Tornaci.



Officia Propria Sanctorum pro clero civitatis atque integrae Dioecesis Burdigalensis.

Pars Autumnalis.

Festa mobilia.

DOMIN. INFRA OCTAV. NATIVITATIS B. M. V.

In Festo

SS. Nominis B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario.

DOM. III. SEPTEMBR.

In Festo

Septem Dolorum B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario.

DOM. I. OCTOBRIS.

In Festo

SS. Rosarii B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario.

DOM. II. OCTOBRIS.

In Festo

Maternitatis B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento Breviarii.

DOM. III. OCTOBRIS.

In Festo

Puritatis B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento Breviarii.

DOM. IV. OCTOBRIS.

In Festo

Patrocinii B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento Breviarii.

DOMIN. POST OCTAV. OMNIUM SANCTORUM.

Anniversarium **Dedicationis omnium Ecclesiarum** *in Gallia.*

Duplex j. classis cum Oct.

Omnia ut in Breviario.

DOM. POST FESTUM DEDICATIONIS.

Dies Octava

ejusdem Festi. Duplex.

Omnia ut in Breviario.

Festa Sanctorum.

DIE XXI. OCTOBRIS.

In Festo

S. Severini

Episcopi et Confessoris.

Duplex ij. class. cum Oct.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

Ad vesperas,

Hymnus.



SAncta res cunctos vocat esse cives,
Anxios omnes tenet unus ardor,
Advenit Pastor vigil, ac Amándi
Pascet ovíle.
Clarus exémplo, méritis abúndans
Et potens verbo, Severínus hic est.
Hujus in laudes sociáte cantus,
Civis et hospes.
Eligit qui te cómitem labórum,
Jam senex fato propióre, Amándus
Sacra depónit, tibi sustinénda,
Póndera mitræ.
Templa te poscunt : rogat ecce Præsul,
In sui partem vénias labóris;
Te vocant cives, cúpiunt docéri;
Annue votis.
Ut gregis vocem miserátus audis,
Mox pedum sumis, trepidánte dextra :
Sic vocas dignos pópulis regéndis,
Christe, minístros.
Summa laus Patri, genitóque Verbo;
Et tibi compar, utriúsque nexus,
Qui sacerdótes, Deus, intus ungis,
Spíritus alme. Amen.

Oratio.



ADjuvent nos, quæsumus, Dómine, mérita tibi plácita sancti Confessóris tui atque Pontíficis Severíni : et pro grégibus quos sincéro ministério gubernávit, pietátem tuam semper exóret. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Cantii.

Ad matutinum,

Hymnus.



IGneus Præsul tonat ore Christum;
Signa nec verbis manifésta desunt;
Pastor est cura, pater est amóre,
Voce magíster.

Quos docet nondum stábiles alúmnos
Firmat exémplis, animátque factis;
Monstrat accénsa face quæ tenénda
Sit via cœlo.
Ipse jejúnos dape, veste nudos,
Hóspites tecto recreábat omnes;
Blándius mulcens, gravióra curis
Corda levábat.
Alter ut Moses, prece fretus una,
Arcet a muris inimíca castra.
Mille porténtis manifésta virtus
Cónsulit urbi.
Christe, Pastórum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre,
Fac ut ætérne súbeant opíma
Páscua vitæ. Amen.

In primo Nocturno,

Lectiones. Fidélis sermo. *de Communi.*

In secundo Nocturno,

Ex libro sancti Gregórii Epíscopi Turonénsis, de Glória Confessórum.

Lectio iv. *Cap.* xlv.

HAbet Burdigalénsis urbs Patrónos venerábiles, qui sæpius se virtútibus manifestant; sanctum Severínum Epíscopum, suburbáno murórum summa éxcolens fide. Sanctus ígitur Severínus, ut ipsórum Burdigalénsium clericórum fidélis relátio profert, de pártibus Oriéntis ad eámdem destinátur urbem. Dum autem iter ágeret, et Ecclésiam Burdigalénsem Amándus Epíscopus rége-ret, appáruit ei Dóminus in visu noctis, dicens : Surge, et egrédere in occúrsum fámulo meo Severíno, et honóra eum sicut honorári Scriptúra sancta docet amícum Divinitátis : mélior est enim te, meritísque sublímior.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

xsúrgens autem Amándus Epíscopus, accépto bacíllo in manu sua, perréxit in occúrsum ejus, nihil de viro sancto sciens, nisi quæ Dóminus revelásset. Et ecce sanctus Severínus veniébat quasi óbviam ei. Tunc appropinquántes sibi, ac própriis se nomínibus salutántes, ruunt páriter in ampléxus, deosculatíque, fusa oratióne, ecclésiam cum magno psalléntio sunt ingréssi. Quem deínceps in tantum diléxit ac venerátus est Amándus Epíscopus, ut eum in locum suum substitúeret, ac ipse quasi júnior habebátur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Ma-

nus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus. Lectio vj.

DEnique post paucos annos óbiit beatíssimus Severínus. Quo sepúlto, Amándus Epíscopus recépit locum suum, quem ei non dúbium est per obediéntiam rédditum, quam in Dei Sanctum exércuit. Ex hoc íncolæ, cógnita ejus sanctitáte, patrónum sibi adscíscunt, certi quod si quandóque urbem aut morbus obrépat, aut hostílitas obsídeat, aut áliqua queréla percéllat, prótinus concurréntes pópuli ad basílicam Sancti, indíctis jejúniis, vigílias célebrant, devotíssime oratiónem fundéntes : et mox ab imminénti calamitáte salvántur. ℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre profícíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homil. ix. *in Evang.*

IS qui unum taléntum accéperat, ábiens, fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Taléntum in terra abscóndere, est accéptum ingénium in terrénis rebus implicáre, lucrum spirituále non quærere, cor a terrénis cogitatiónibus nunquam leváre. Sunt namque nonnúlli qui donum intelligéntiæ percepérunt, sed tamen sola quæ carnis sunt sápiunt; de quibus per Prophétam dícitur : Sapiéntes sunt ut fáciant mala : bene autem fácere nesciérunt. ℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio viij.

SEd dóminus qui talénta servis cóntulit, ratiónem positúrus redit; quia is qui nunc pie spirituália dona tríbuit, districte in judício mérita exquíret; quid quisque accépit consíderat, et quod lucrum de accéptis repórtet pensat. Servus qui gemináta talénta rétulit, a Dómino laudátur, atque ad ætérnam remuneratiónem percípitur, cum ei voce Domínica dícitur : Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium Dñi tui. ℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus ex-

spectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix. de S. Hilarione (ex duobus una), ut in Breviario sub hac die.

Ad laudes,

Hymnus.

Christe, pastórum caput atque princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequéntat.

Ille non vano ténuit treméndam
Spíritu sedem, próprio nec ausu :
Sed sacrum jussus, Dómino vocánte,
Sumpsit honórem.

Fit gregis pastor, pater, atque forma :
Omnium curas levat et labóres,
Lætus impéndit sua, seque; cunctis
Súfficit unus.

Pro reis orat, réficit geméntes,
Erigit lapsos, tenebrásque pellit;
Fit potens verbo; docet alta; pravum
Cónterit hostem.

Fac ut illíus précibus juvémur,
Christe; fac Patrem, paritérque tecum,
Spíritum jugi celebrémus hymno [Amen.
Omne per ævum.

Et fit Commem. S. Hilarionis, Abbatis, et SS. Ursulæ et Sociarum, Virginum et Martyrum.

DIE XXII. OCTOBRIS.
II. DIE INFRA OCTAVAM
S. Severini.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno,

Ex Epístola secúnda sancti Hierónymi Presbyteri ad Heliodórum.

De Mort. Nepot.

Lectio iv.

Vidimus eléctum Móyse Presbyterum, quem ipse sciret esse Presbyterum. Igitur clericátum non honórem intélligens, sed onus, primam curam hábuit ut humilitáte superáret invídiam; deínde ut nullam obscéni in se rumóris fábulam daret. Subveníre paupéribus, visitáre languéntes, provocáre hospítio, leníre blandítiis, gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus. Cæcórum báculus, esuriéntium cibus, spes miserórum, solámen lugéntium fuit. Ita in síngulis virtútibus eminébat, quasi céteras non habéret. Inter Presbyteros et coæquáles primus in ópere, extrémus in órdine. Vírgines et víduas Christi honoráre ut matres, hortári ut soró-

res cum omni castitáte; creber in oratiónibus, vígilans in precándo.
℟. Invéni David.

Lectio v.

SErmo ejus de Scriptúris áliquid propónere, libénter audíre, respondére verecúnde, recta suscípere, prava non ácriter confutáre. Lectióne assídua et meditatióne diutúrna pectus suum fécerat bibliothécam Christi. Unde hic fervor, nisi ex amóre Dei? Unde legis Christi indeféssa meditátio, nisi ex desidério ejus qui legem dedit? Alii nummum addant nummo, sint ditióres clérici quam fúerant sæculáres; possídeant opes sub Christo páuperes, quas sub locupléte diábolo non habúerant, et suspíret eos Ecclésia dívites, quos ténuit mundus ante mendícos: Sanctus noster aurum calcans, sicut sui in carne contémptor est, ut paupertáte incédit ornátior, ita totum ánimæ invéstigat ornátum.
℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

ERat sollícitus si nitéret altáre, si paríetes absque fulígine, si paviménta tersa, si jánitor creber in porta, vela semper in óstiis, si sacrárium mundum, si vasa lucéntia; et in omnes cæremónias pia sollicitúdo dispósita, non minus, non majus negligébat offícium: ubicúmque eum quæreres, in ecclésia inveníres. Basílicas ecclésiæ, et Mártyrum conciliábula, divérsis flóribus, árborum comis vitúmque pampínis adumbrábat, ut quidquid placébat in ecclésia, tam dispositióne quam visu, Presbyteri labórem et stúdium testarétur.
℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxv.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre profíciscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ.

ix. *sub finem.*

SCiéndum est quod nullus piger a talénti acceptióne secúrus est. Nullus namque est qui veráciter dicat: Taléntum mínime accépi; non est unde ratiónes pónere cogar. Talénti enim nómine, cuílibet páuperi étiam hoc ipsum reputábitur quod vel mínimum accépit. Alius namque accépit intelligéntiam; prædicatiónis ministérium debet ex talénto. Alius terrénam substántiam accépit; erogatiónem talénti debet ex rebus. Alius nec internórum intelligéntiam, nec

rerum affluéntiam accépit, sed tamen dídicit artem qua páscitur, ipsa ars et in talénti acceptióne reputátur. Alius nihil horum assecútus est, sed tamen fortásse familiaritátis locum apud dívitem méruit, taléntum proféсto familiaritátis accépit. Si ergo nihil ei pro indigéntibus lóquitur, pro talénti retentióne damnátur.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

Habens ergo intelléctum, curet omníno ne táceat : habens rerum affluéntiam, vígilet ne a misericórdiæ largitáte torpéscat. Habens artem qua régitur, magnópere stúdeat ut usum atque utilitátem illíus cum próximo partiátur. Habens loquéndi locum apud dívitem, damnatiónem pro reténto talénto tímeat, si, cum valet, non apud eum pro paupéribus intercédit. Tantum quippe ab uno quoque nostrum ventúrus Judex éxiget, quantum dedit. Ut ergo de talénti sui ratiónibus, redeúnte Dómino, quisque secúrus sit, cum tremóre penset quotídie quid accépit. Ecce namque jam juxta est ut ille qui péregre proféctus est rédeat. Quasi quippe péregre ábiit, qui de hac terra in qua natus est longe discéssit : sed proféсto revértitur, ut de taléntis ratiónes ponat : quia si a bona actióne torpéscimus, de ipsis donis quæ cóntulit nos districtius júdicat.

℟. Sint lumbi vestri.

Lectio ix.

Considerémus ergo quæ accépimus, atque in eórum erogatióne vigilémus. Nulla nos a spiritáli ópere terréna cura impédiat; ne si in terra taléntum abscónditur, talénti dóminus ad iracúndiam provocétur. Piger étenim servus cum jam culpas judex exáminat, taléntum de terra levat : quia sunt pleríque qui tunc se a terrénis desidériis vel opéribus súbtrahunt, quando jam, per animadversiónem júdicis, ad ætérnum supplícium trahúntur. Ante ergo de talénti nostri ponénda ratióne vigilémus, ut cum jam judex ad feriéndum ímminet, lucrum quod nos fécimus excúset.

DIE XXIII. OCTOBRIS.

In Festo

SS. Redemptoris.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento Breviarii, cum Commem. Oct. S. Severini.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

In Festo

S. Raphaelis

Archangeli. Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento Breviarii, cum Commem. Oct. S. Severini.

DIE XXV. OCTOBRIS.

V. DIE INFRA OCTAVAM

S. Severini.

In primo Nocturno,

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Joánnis Chrysóstomi de Sacerdótio. *Lib.* 3. *cap.* iv.

Lectio iv.

SAcerdótium quidem in terra perágitur, sed in rerum cœléstium classem ordinémque reseréndum est. Atque id perquam mérito : non enim homo, non Angelus, non Archángelus, non ália quævis creáta poténtia; sed ipse Paraclétus órdinem hujúsmodi dispósuit, qui mortálibus homínibus, etiámnum in carne manéntibus, auctor fuit ut Angelórum ministérium ánimo concíperent. Idcírco necésse est Sacerdótem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocátur, inter cœléstes illas virtútes médius staret. Terribília namque atque horrífica erant, quæ grátiæ tempus præcessérunt : at vero si quis ea quæ ad grátiam spectant consíderet, quod de lege a Paulo dictum est hic verum esse deprehéndet, nempe : Non glorificátum est quod cláruit in hac parte, propter excelléntem glóriam.

℟. Invéni David.

Lectio v.

CUm enim víderis Dóminum immolátum et jacéntem, et Sacerdótem sacrifício incumbéntem, ac preces fundéntem, omnémque turbam circumfúsam, pretióso illo sánguine intínctam et rubéntem, an putas te inter mortáles et in terra adhuc versári? an non pótius in cœlos transférri? O miráculum! O Dei benignitátem! Admiránda sunt hæc; at non mira tantum, sed ómnium stupórem superántia. Si quis enim secum réputet quantum id sit mystérium, nempe hóminem carne et sánguine involútum, prope beátam illam et immortálem natúram constítui, tunc probe intélliget quanto honóre Spíritus grátiæ Sacerdótes ornáverit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj. *Cap.* v.

PEr eos hæc peragúntur, aliáque his níhilo inferióra, quæ ad dignitátis salutísque nostræ ratiónem spectant. Etenim qui terram íncolunt, ad ea quæ in cœlis sunt dispensánda commíssi sunt, potestatémque accepérunt quam neque Angelis, neque Archángelis Deus dedit. Neque enim illis dictum est : Quæcúmque ligavéritis in terra, erunt ligáta et in cœlo : et quæcúmque solvéritis in terra, erunt solúta et in cœlo. Quæcúm-

que inférne sacerdótes fáciunt, éadem Deus supérne confírmat, servorúmque senténtiam ipse Dóminus ratam facit. Quid enim áliud illis dedit, quam omnem cœléstium rerum potestátem? Nam : Quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis; et quorum retinuéritis, reténta sunt.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre profíciscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi. *Homil.* xli. *in Genesim.*

LIcet, jacto spirituáli sémine, ob auditórum ignáviam fructum non capiámus, perfécta nobis est tamen futúra merces. Pecúniam enim concréditam expéndimus, et mandátum Dómini implévimus : céterum posthac auditóres ratiónem reddent ei qui concrédita cum usúra repetitúrus est. Verum hoc nos non considerámus, nos extra damnum esse, et quod nostrum est implére : sed vólumus ut et vos, ex dinumerátis pecúniis multum negotiémini, ut ne obnóxii sitis supplício quod luit ille qui taléntum recóndidit, et domínicam pecúniam non solum non multiplicávit, sed et ipsam in terra defódit. Tales sunt qui doctrínæ sermónes áudiunt; taléntum enim hoc vocat, et pecúniam : neque óperam dant ut fructum áfferant, et multum negotiéntur.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

SEd forte díxerit quíspiam parábolam istam talentórum de doctóribus esse dictam : id ego quoque fáteor. Verum si diligénter eam scrutémini, sciétis doctórum quidem offícium esse dinumeráre pecúniam, sed vos non solum depósitam custodíre, sed étiam negotiári debétis. Post multum, inquit, tempus, cum advenísset paterfamílias, venérunt servi : et ille quidem qui accéperat quinque talénta, accéssit dicens : Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque talénta superlucrátus sum. Magna servi grátia et próbitas, larga étiam Dómini benígnitas. Et quid dicit? Euge, serve bone et fidélis, super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, ingrédere in gáudium dómini tui. Quóniam, inquit, in iis quæ tibi crédita sunt, gratum præ te tulísti ánimum, dignus es cui et majóra tradántur.

℟. Sint lumbi vestri.

Lectio ix. et Commemoratio SS. Chrysanthi et Dariæ, Mart. ut in Brev. sub hac die. Ad Vesperas, Commemor. S. Evaristi, Pap. et Mart.

DIE XXVI. OCTOBRIS.

VI. DIE INFRA OCTAVAM

S. Severini

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex libro Pastorális Curæ sancti Gregórii Papæ. *Part.* ij. *cap.* j.

Lectio iv.

TAntum debet actiónem pópuli áctio transcéndere Præsulis, quantum distáre solet a grege vita pastóris. Opórtet namque ut metíri sollícite stúdeat quanta tenéndæ rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus æstimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo necésse est cogitatióne mundus, actióne præcípuus, discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspénsus, bene agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ eréctus, internórum curam in exteriórum occupatióne non mínuens, exteriórum providéntiam in internórum sollicitúdine non relínquens.
℟. Invéni David.

Lectio v. *Cap.* ij.

REctor semper cogitatióne sit mundus, quátenus nulla hunc immundítia pólluat, qui hoc suscēpit offícii ut in aliénis quoque córdibus pollutiónis máculas tergat. Quia necésse est ut esse munda stúdeat manus quæ dilúere alíórum sordes curat; ne tacta quæque detérius ínquinet, si sórdida ínsequens, lutum tenet. Hinc divína voce præcípitur ut in Aaron péctore Rationále judícii vittis ligántibus imprimátur : quátenus sacerdotále cor nequáquam cogitatiónes fluxæ possídeant, sed rátio sola constríngat. Nec indiscrétũ quid vel inútile cógitet, qui ad exémplum áliis constitútus, ex gravitáte vitæ semper debet osténdere quantum in péctore ratiónem portet.
℟. Pósui.

Lectio vj.

IN quo étiam Rationáli vigilánter adjúngitur, ut duódecim Patriarchárum nómina describántur. Adscríptos étenim Patres semper in péctore ferre, est antiquórum vitam sine intermissióne cogitáre. Nam tunc Sacérdos irreprehensibíliter gráditur, cum exémpla Patrum præcedéntium indesinénter intuétur, cum Sanctórum vestígia sine cessatióne consíderat, et cogitatiónes illícitas déprimit, ne extra órdinis límitem, óperis pedem ponat. ℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.
Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Lectio vij. *Cap.* xxv.
In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.
Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi. *Serm.* vij. *in Genesim.*
Non ea solum réddere jubémur quæ recépimus, sed et Dómino duplicáta offérre. Quamquam si ea custodíre tantum jussum nobis esset, multa sollicitúdine ac stúdio res indigéret. Cum vero ut étiam multiplicéntur nobis Dóminus imperárit, cógita quantum labóris et curæ sit a nobis, quibus ea commíssa sunt, conferéndum. Ideo quidam, cui commíssa fúerant talénta quinque, non tótidem óbtulit, sed duplicáta. Nam illa quidem benignitátis erant dómini: sed opórtuit étiam servum suam exhibére diligéntiam. Simíliter et is cui duo talénta crédita fúerant, ália duo lucrátus est, atque idcírco pari eum dóminus honóre dignátus est. ℟. Amávit.
Lectio viij.
Ille vero, cui taléntum unum créditum fúerat, et illud ipsum obtúlerat quod créditum erat, qui non imminúerat, non detérius reddíderat illud depósitum, neque dimidiátum tantum reddíderat; quia quæstum non fécerat neque duplicátum obtúlerat quod créditum fúerat, extrémo supplício punítus fuit, ac mérito sane. Nam si ea custodíri tantum voluíssem, inquit, nec áliud lucrum ex istis acquíri, non illa servórum mánibus tradidíssem. Tu vero dómini benignitátem consídera. Is cui talénta quinque commíssa fúerant, óbtulit ália quinque, et is cui duo, áltera tanta; et éadem utérque præmia rétulit: utríque enim dixit: Euge, serve bone ac fidélis; super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam. Provéntus haud idem est, et merces est éadem; et utérque eódem honóre dignátus est; quóniam non eórum quæ obláta sunt quantitátem, sed eórum virtútem qui negotiáti fúerant attendébat Deus.
℟. Sint lumbi vestri.
Lectio ix. et Commemoratio S. Evaristi, Papæ et Martyris,. ut in Breviario sub hac die.

DIE XXVII. OCTOBR.
VII. DIE INFRA OCTAVAM
S. Severini.
In primo Nocturno,
Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex libro Pastorális Curæ sancti Gregórii Papæ. *Part.* ij. *cap.* iij.

Lectio iv.



It rector operatióne præcípuus, ut vitæ viam súbditis vivéndo denúntiet; et grex qui pastóris vocem morésque séquitur, per exémpla mélius quam per verba gradiátur. Qui enim loci sui necessitáte exígitur summa dícere, hac eádem necessitáte compéllitur summa monstráre. Illa namque vox libéntius auditórum cor pénetrat, quam dicéntis vita comméndat: quia quod loquéndo ímperat, ostendéndo ádjuvat ut fiat.

℟. Invéni David.

Lectio v. *Cap.* iv.



It rector discrétus in siléntio, útilis in verbo: ne aut tacénda próferat, aut proferénda reticéscat. Nam sicut incáuta locútio in errórem pértrahit, ita indiscrétum siléntium hos qui erudíri póterant, in erróre derelínquit. Sæpe namque rectóres impróvidi, humánam amíttere grátiam formidántes, loqui líbere recta pertiméscunt, et juxta veritátis vocem nequáquam jam gregis custódiæ pastórum stúdio, sed mercenariórum vice desérviunt, quia, veniénte lupo, fúgiunt, dum se sub siléntio abscóndunt. Hinc namque eos per Prophétam Dóminus íncrepat, dicens: Canes muti, non valéntes latráre. Hinc rursum quéritur, dicens: Non ascendístis ex advérso, nec opposuístis murum pro domo Israel, ut starétis in prœlio in die Dómini.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj. *Paulo post.*



Ræcónis quippe offícium súscipit quisquis ad sacerdótium accédit: ut ante advéntum Júdicis, qui terríbiliter séquitur, ipse scílicet clamándo gradiátur. Sacérdos ergo si prædicatiónis est néscius, quam clamóris vocem datúrus est præco mutus? Hinc est enim quod super pastóres primos, in linguárum spécie Spíritus sanctus insédit: quia nimírum quos repléverit, de se prótinus loquéntes facit. Hinc Paulus ait: Ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos qui contradícunt argúere. Hinc et per Malachíam dícitur: Lábia Sacerdótis custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus: quia Angelus Dómini exercítuum est. ℟. Iste est.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxv.



N illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens,

vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi. *Homil.* xlj. *in Genesim.*

HÆc ómnia de magístris dicta sunt, ut talénta sibi concrédita non abscóndant, sed omni diligéntia díscere cupiéntibus appónant. Verum deínceps audi, dilécte, ex indignatióne erga illum qui taléntum occultávit, quómodo étiam auditóres evádant rei, et non solum illa repetántur quæ concrédita sunt, sed ut cum usúra exactiónem patiántur. Quid enim dicit illis Dóminus? Serve nequam! Terríbilis indignátio, et minæ valéntes per se percéllere ánimam. Sciébas, inquit, quod metam ubi non seminávi, et cóngregem ubi non dispérsi : oportébat ígitur te pecúniam meam dinumeráre mensáriis, et ego, cum veníssem, cum fénore repetiíssem illam. Pecúniam vocat elóquia pretiósa.

℟. Amávit eum.

Lectio viij. *Paulo post.*

QUocírca, dilécti, cum vobis concrédita dinumeravérimus, vobis necessárium erit dúplicem afférre labórem et vigilántiam, tum quod dinumeráta custodiénda sunt, ut fixa máneant; tum quod operándum ut et áliis communicéntur, et multos in viam virtútis indúcant : ut bifáriam vobis lucrum accréscat, tum pro salúte vestra, tum pro aliórum utilitáte. Quod si hoc fecéritis, et nos reddétis beátos. Beátus enim, inquit, qui dicit in aures audiéntium; et faciétis ut lárgior vobis hæc spirituális apponátur mensa. Igitur fratres vestros nolíte neglígere, neque solum spectáte quæ ad vos áttinent; sed unicuíque cura sit quómodo próximum suum e diáboli fáucibus erípiat.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix. et Commemor. Vigiliæ SS. Apostolorum Simonis et Judæ.

DIE XXVIII. OCTOBR.

Octava S. Severini.

Fit de Festo SS. Apostolorum Simonis et Judæ, cum Commem. Oct. in utrisque Vesperis et Laudibus.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

In Festo

S. Austindi

Episc. et Confess. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. præter sequentia.

Oratio.

COnsuétam misericórdiam tuam, Dómine, super nos cleménter osténde, ut qui beáti Austíndi, Confessóris tui atque Pontíficis, memóriam ágimus, vestígiis ejus inhærére non desinámus. Per Dóminum.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Gallia Christiana et monum. Eccl. Auscitan.


Ustíndus, Burdígalæ natus, ex Abbáte monastérii sancti Oriéntii, undécimo sæculo Archiepíscopus Auscitánus eléctus est. Destrúctam incéndio ecclésiam cathedrálem resarcívit. In locum monachórum quibus præfúerat, ut disciplína stríctior observarétur, Cluniacénses curávit introdúci. In fundo quem suis émerat súmptibus, fundávit ecclésiam Nugaroliénsem, quam sub invocatióne sancti Nicolái, adstántibus Epíscopis et Abbátibus Novempopulániæ, consecrávit. Eámdem ditávit Sanctórum relíquiis, in eáque canonicórum instítuit collégium.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.


Ntérfuit dedicatióni ecclésiæ Moissiacénsis, órdinis Cluniacénsium Concílio, quod Socæ, in Hispánia, anno millésimo sexagésimo hábitum est, præfuit, cui interfuérunt Heráclius Epíscopus Bigerrónum, Stéphanus Oleronénsis et Joánnes Lactorénsis. Ad morum reformatiónem concília indíxit, Nugaróli unum, álterum Auscis. In synodo, cui præerat Cardinális Hugoálbus, asséruit libertátem monastérii sancti Oriéntii, cujus ántea fúerat Abbas.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus enim.

Lectio vj.


Res suæ diœcésis cómites, qui vi apérta bona Ecclésiæ repúerant, patérnis reluctántes monitiónibus, excommunicatiónis pœna cénsuit feriéndos; qua de causa exsuláre coáctus est. Pace autem réddita, gregi restitútus, ad Dei glóriam et salútem próximi non déstitit se impéndere. Tot functus labóribus, et spectáta conspícuus sanctitáte, quiévit in Dómino, die vigésima quinta Septémbris anno millésimo sexagésima octávo. Sepúltus est in ecclésia cathedráli, ubi cum summa veneratióne recólitur, ejúsque caput étiam nunc in theca servátur. ℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ in Evang. Homo péregre. *de Communi Conf. Pont.*

Lectio ix. de Vigilia Sanctorum omnium, ejusque Commem. in Laudibus.

DIE XIII. NOVEMBR.
In Festo
S. Abbonis
Mart. et Abbatis. Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris, præter sequentia.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut qui beáti Abbónis, Mártyris tui et Abbátis, natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lect. de Scriptura occurr. In secundo Nocturno,

Lectio iv.

SAnctus Abbo, Aurelianénsi pago oriúndus, patre Læto, matre Ermengárde, vir fuit in lítteris sacris et philosóphicis ac mathemáticis doctíssimus, vitæ quoque sanctimónia clarus, a Deo ante et post mortem miráculis illustrátus. Is primum in Floriacénsi monastério scholæ clericórum tráditus est lítteris imbuéndus : deínde in eódem cœnóbio vitam monásticam cœpit profitéri sub Vuilfáldo abbáte (qui póstea fuit Carnoténsis Epíscopus). Cumque in virtútibus ac sciéntiis mirum in modum profecísset, factus est ibídem scholæ magíster.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

INde in Angliam ab Oylbóldo abbáte diréctus est, ubi mónachis sciéntia imbuéndis fere per biénnium deténtus, sanctórum Antístitum Oswáldi et Dunstáni amíca familiaritáte usus est, ac tandem a sancto Oswáldo présbyter ordinátus, Floriácum est revérsus; ubi Oylbóldo humánis rebus exémpto, electióne fratrum et regis accénsu, factus est Abbas Floriacénsis trigésimus. Quo in múnere cum per séxdecim annos strénue laborásset, et multo auro et argénto altária Floriáci contexísset, in Vuascóniam proféctus est, ad monastérium quod Régula nuncupátur, cujúsque cura ipsi incumbébat, et ibi, rebus rite ordinátis, quosdam ex suis relíquit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine : * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis; posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vj.

SEd Floriácum revérsus paulo post compúlsus est rursum ad præfátum monastérium Régulæ se conférre : ubi a seditiósis quibúsdam ictu lánceæ percússus, óbiit ídibus Novémbris, et in ecclésia dicti monastérii sepúltus est; ubi ad ejus túmulum duo cæci lumen recepérunt, et vir longa febre conflictátus convâluit.
℟. Stola jucunditátis.

In tertio Nocturno,
Homilia de Communi primo loco.

DIE XVI. NOVEMBR.
In Festo
S. Æmiliani
Abbatis. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

DEus, ómnium bonórum auctor, qui beátum Æmiliánum, Abbátem, humilitáte et caritáte admirábilem effecísti : quæsumus; ut ejus intercessióne fidéles tui terréna despíciant, et ad cœléstia semper adspírent. Per Dóminum.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

AEmiliánus, in urbe Veneténsi minóris Británniæ natus, a paréntibus obscúri nóminis, sed christiánæ religiónis observantíssimis, educátus est. Ab ineúnte ætáte, únicum Jesu Christi amórem et singulárem in próximum caritátem respirábat. Cum Veneténsis cómitis rebus doméstícis aliquámdiu præfuísset, profusióris in páuperes liberalitátis accusátur. Igitur quadam die, dum de more paucos panes quos paupéribus elargirétur in veste occultátos deférret, óbvians comes : Quid est, inquit, quod in sinu portas? Cui Æmiliánus : Ligna ad calefaciéndos páuperes. Et íntuens comes, nihil nisi ligna invénit, quæ, ántequam Æmiliánus paupéribus distribúeret, íterum in panes convérsa sunt. Cum hujus miráculi fama lóngius manáret, et multi ad virum Dei pietátis stúdio concúrrerent, ipse in erémum se recípere conténdit.
℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam.
℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

SEd fatigátus ex itínere, cum ad cœnóbium Saliginénse apud Sántones pervenísset, vestésque monásticas suscepísset, in locum cellerárii sufféctus est. Reguláris disciplínæ observantíssimus,

nihil de jejuniórum, vigiliárum et oratiónum stúdio unquam remísit. In suo múnere vix dici potest quantum pietáte, caritáte, mansuetúdine, zelo, et imprímis patiéntia excellúerit. Quorúmdam vero sodálium invídiæ cedens, et ut Deo libérius vacáret, in silvam agri Burdigalénsis, quæ a Cumbis tunc témporis vocabátur, se ábdidit, Dordóneo flúmini vicínam; ad cujus latus rupes módice assúrgens tuguríolum viro Dei præbuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

ILlic ómnium virtútum bonum odórem spargens, multos a vicínis úrbibus attráxit, quibus áliis mystéria fídei, áliis consília aut solátium tradébat; inter quos mulíeri crucis signo visum réddidit. Petram pro sede, mensa et léctulo habébat. Multos discípulos sibi adscítos sub régula sancti Benedícti in viam perfectiónis prógredi curávit. Dénique morbo corréptus, sublátis in cœlum óculis, Christum allocútus : Beáti viri tui et beáti servi tui qui stant coram te semper et erúdiunt sapiéntiam. En ipse vénio ut vídeam óculis meis quæ mihi in terra aliéna narráta sunt de te. Eripe me de hoc luto corpóreo, ut quæ soli tibi vixit ánima, in unius tui intúitu vivat in ætérnum. Tum Ecclésiæ sacraméntis rite sanctéque reféctus, mánibus in modum crucis conformátis, et nómine Jesu sæpíssime invocáto, obdormívit in Dómino, anno Dómini septingentésimo sexagésimo séptimo. Póstea sub nómine et in laudem sancti Æmiliáni exstrúctum monastérium et basílicam in rupe excísam, Archiepíscopi Burdigalénses et multi nóbiles viri donis cumulárunt, et pópuli píetas veneránda semper hábuit. Coórtis autem Gálliæ tumúltibus, miránda in rupe excísa basílica fuit pollúta et derelícta. Elápsis vero fere quinquagínta annis, a reverendíssimo Dómino Ferdinándo Donnet, Burdigalénsi Archiepíscopo, pietáti fidélium fuit restitúta anno millésimo octingentésimo trigésimo octávo.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno, *Homilia in Evang.* Sint vestri. *de Communi primo loco.*

DIE XXIV. NOVEMBR.
In Festo **S. Romani** *Presbyt. et Conf. Duplex.*
Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Ad vesperas,

Hymnus.

Quis novus terræ Blaviénsis hospes?
Mysta Románus, decus urbis et lux :
Annuos hujus celebrémus hymnis
Rite triúmphos.
Intrat hanc urbem ténebris sepúltam;
Cernit et totam Jove pro furéntem :
Cívitas omnis, velut alta silva,
Hórrida dumis.
Prosit ut cunctis, Gáronas ad oras
Próximas urbi sibi ponit ædes;
Quas et illústrat sua mors, suíque
Fama sepúlcri.
Hinc Jovis sternit simulácra vana,
Prisca divíni monuménta cultus.
Bárbaras gentes docet, et salúbri
Abluit unda.
Ista plebs, per te modo christiána,
Se tibi debet; tibi cessit error;
Luce lustrásti pópulos sub alta
Nocte jacéntes.
Nostra te summum célebrent Paréntem
Ora : te summo génitum Parénte :
Par sit ambórum tibi laus per omne,
Spíritus, ævum. Amen.

Oratio.

Deus, qui per beátum Románum, Confessórem tuum, magna mirácula nobis contulísti : exáudi preces nostras; et eo interveniénte, déxteram super nos tuæ protectiónis exténde. Per.
Et fit Commem. S. Clementis et S. Chrysogoni, ut in Breviario.

Ad matutinum,

Hymnus.

Te Sacerdótem pia plebs repóscit,
Teque Martínus sacrat; et Sacérdos,
Instar accénsæ facis emicábis
Unctus ab alto.
Illa quam felix Blaviána tellus,
Quos bonos fructus tulit hoc colóno!
Seque dedíscens, oleáster ipse
Factus olíva.
Prófuit vivus, favet et sepúltus;
Nam salutáris sedet in sepúlcro
Virtus, et quivis redit, impetráto
Múnere, lætus.
Cum procellósi tumuére fluctus,
Ut jubet, proni siluére venti :
Hunc vocant nautæ, maris æstuósi
Unda quiéscit.
En vides quantis agitáta curis

Corda; quot tristes rápiant procéllæ;
Advola promptus, rege nos, dolósum
Cúrrimus æquor.
Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque nexus,
Qui Sacerdótes, Deus, intus ungis,
Spíritus alme. Amen.

In primo Nocturno,

Lect. de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Gregorii Turonensis de Glória Confessórum, *et veteri Breviario Burdigalensi.*

Lectio iv.

BEátus Románus, quem Gregórius Turonénsis inter Burdigalénses Patrónos venerábiles enúmerat, fuit a sancto Martíno, Turonénsi Epíscopo, Présbyter ordinátus, et ad castéllum Bláviam, Evangélii prædicándi causa, missus. Cum ítaque in subúrbio, ad littus amnis Garúmnæ, céllulam sibi construxísset, tanta virtúte fidem christiánam prædicávit, totque et tantis coruscávit miráculis, ut univérsi Blaviénsis agri íncolæ ad Christum convérsi, grátiam Baptísmi suscéperint, ac famósum, quod illic erat, idóli fanum, in ecclésiam fúerit convérsum. Cumque pascéndo gregi sibi commísso vir apostólicus plúrimum elaborásset, divínitus ad ipsum diréctus est sanctus Antístes Martínus, in cujus ampléxu felíciter ad Dóminum migrásse ferunt, atque ab ipso sepultúræ fuísse mandátum in eódem líttore ubi póstea ædificáta fuit ecclésia a Cárolo Magno, et fundátum monastérium quod décimo quarto sæculo, furénte bello, evérsum fuit et fúnditus destrúctum. Ipsíus vero beáti Románi relíquias célebris ecclésia sancti Dionysii in Fráncia possidére se gloriátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam.
℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Ex libro sancti Gregorii Turonensis de Glória Confessórum.

Lectio v. *Cap.* xlvj.

HAbétur in território Burdigalénsi sanctus Románus Présbyter, quem, ut scripta vitæ ejus édocent, Martínus noster sepultúræ locávit. Est autem sepúlcrum ejus contíguum Blaviénsi castéllo, super littus amnis Garúmnæ : in quo sæpius naufrágio peritúros virtútis suæ salvat occúrsu, proclamántes inter fluctus torréntis undósi : Miserére nostri, sancte Románe, Conféssor Dei. Nam mox, sedáta tem-

pestáte, optáto littore potiúntur. Nec fas est ullum períre naufrágio, qui ejus basílicam amnis de médio contemplári merúerit. Quod et nos valde in grandi necessitáte expérti sumus. Nam cum amnis Garúmnia, impellénte vento, válidis flúctibus exundáret, elevarentúrque flúctuum montes válidi, qui non parvum intuéntibus ingérerent metum, exorátus beátus Conféssor obtínuit, sicut crédimus, virtútis suæ suffrágio, ut compréssis fragóribus, ad ripam álteram sine perículo simus devécti.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum.— Et ad.

Ex Commentário sancti Hierónymi Presbyteri in Epístolam ad Titum.

Lectio vj. *Cap.* j.

Videámus qualis Présbyter sive Epíscopus ordinándus sit : Si quis sine crímine est. Primum ítaque sine crímine sit : quod, puto, álio verbo ad Timótheum, irreprehensíbilem nominátum. Non quod eo tantum témpore quo ordinándus est sine ullo sit crímine, et prætéritas máculas nova conversatióne dilúerit; sed ex eo témpore quo in Christo renátus est, nulla peccáti consciéntia remordeátur. Quómodo enim potest præses Ecclésiæ auférre malum de médio ejus qui in delícto símili corrúerit? Aut qua libertáte corrípere peccántem, cum tácitus sibi ipse respóndeat éadem admisísse quæ córripit?

℟. Iste homo perfécit.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* v.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ... Vos estis lux mundi. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

In cap. ij. *Aggæi.*

Consídera Sacerdótum esse offícii de lege interrogánti respondére. Si Sacérdos est, sciat legem Dómini : si ignórat legem, ipse se árguit non esse Sacerdótem. Sacerdótis enim est scire legem, et ad interrogatiónem respondére de lege. Quod quidem et in Deuteronómio légimus : Ut sícubi in úrbibus Israel quæstio fúerit exórta inter sánguinem et sánguinem, inter judícium et judícium, lepram et lepram, contradictiónem et contradictiónem, eant ad sacerdótes atque levítas, et ad pontíficem qui in diébus illis fúerit constitútus, et quærant ab eo legem Dómini. Quibus

respondéntibus, fáciant quod jubéntur; quod si non fécerint, exterminéntur de pópulo suo.
℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

Et ne fórsitan in véteri solum instruménto hæc præcépta videántur, lóquitur et Apóstolus ad Timótheum : Epíscopum non solum irreprehensíbilem esse debére, et uníus uxóris virum, et sapiéntem, et pudícum, et ornátum, et hospitálem, sed étiam Doctórem. Et ne casu hoc dixísse viderétur, ad Titum quoque super Presbyteris ordinándis eádem cautéla servátur. Hæc pósui, ut tam ex véteri quam ex novo Testaménto Sacerdótum esse offícium novérimus scire legem Dei, et respondére ad quæ fúerint interrogáti. Nec simplicitátem et cibórum continéntiam in magístro sufficere, nisi quod ipse facit possit et álios erudíre.
℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix. et Commem. de S. Chrysogono, ut in Breviario sub hac die.

Ad laudes,

Hymnus.

Jam satis fluxit cruor hostiárum,
Prístinæ cessent holocáusta legis :
Christe, quos formas, melióra libant
Sacra minístri.

Pingue libámen, novus et Sacérdos,
Orbe jam toto Deus immolátur;
Se manu nostra litat incruénto
Fúnere Christus.

O Sacerdótum veneránda jura!
Ceu vices Christi téneant, salútis
Arbitri claudunt reseréntque nobis
Atria cœli.

Omne pendéntes scelus in statéra,
Cum reum solvunt, Deus ipse solvit :
Cum ligant sontem, Deus ipse sontis
Víncula nectit.

Dum Sacerdótes tua sacra tractant,
Christe, fac sacris quibus applicásti
Cónsonent mores, populíque fiat
Forma Sacérdos.

Lúminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis;
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis. Amen.

DIE XXVI. NOVEMBR.
In Festo
S. Joannis a Cruce,
Confessoris. Duplex.

(*In Kalend.* xxiv. *hujus.*)
In Hymno. Iste Conféssor. *mutatur tertius versus.*
Fit Commemor. S. Petri Alexandrini, Ep. et Mart.

DIE XXX. NOVEMBR.
In Festo
S. Andreæ
Apostoli Ecclesiæ Metropolitanæ ac totius diœcesis Patroni. Duplex j. class. cum Octava.

(*Si occurrat Domin. I. Adventus, transfertur Offic. in primam diem Decembris non autem Octava.*)
Omnia ut in Breviario cum Hymnis hic propriis.

In j. vesperis,

Hymnus.

ANdréa cymbam repeténte læto,
Petrus occúrrit. Mihi plaude, clamat;
Ecce Messíæ pia tecta, frater,
Oraque vidi.
Quid moras nectis? Properémus una;
Æmulis illum pédibus sequámur,
Quem Prophetárum chorus appeténti
Núntiat orbi.
Andréæ Petrus comes it; magístrum
Cernit admírans, venerátur, æstu
Súppari fervet, fieríque Christi
Ardet alúmnus.
Vix erant ambo réduces, propínquam
Tránsmeat Christus maris ecce ripam:
Audiunt fratres gémini benígna
Voce vocántem.
Nave demíssa, patre derelícto,
Hi statim fiunt cómites vocántis:
Una lux ambos et in omne Christo
Cónsecrat ævum.
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus numen venerétur orbis:
Et datos terris hílari magístros
Cármine laudet. Amen.

Ad matutinum,

Hymnus.

I, perge, Christi fide comes, vola
Quocúmque tendit: sub duce mílita
Tutus poténti. Castra miles
Nemo sequi melióra possit.
Petri jacéntem sive levet socrum,
Seu multa parvo míllia nútriat,
Miraculórum te suórum

Partícipem jubet esse Christus. [prævia
Mundi ruínam sígnaque
Tuis amánter crédidit áuribus;
Prænuntiávit destinátas
Discípulis dominóque mortes.
Proh! quantus arsit corde tuo crucis
Amor, parátam quando sibi crucem
Dixit magíster! tunc inésse
Delícias crúcibus putásti.
Non una voto crux dábitur tuo;
Tibi feréndam disce prius crucem
Duri labóris, te priúsquam
Lígnea crux ferat immolándum.
Laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Sanctóque summum Spirítui decus,
Dignos amánti per minístros [Amen.
E ténebris revocáre gentes.

Ad laudes,

Hymnus.

Hostis tartárei victor, ab hórridæ
Vix mortis grémio, Christe, recésseras
In Patris grémium, discípulos reples
Sacri flámine Spíritus.
Haustu muníﬁci Núminis ébrius,
Gentes in várias gréssibus, Andréa,
Festínas rápidis; quo magis est ferox,
Hoc fit gens tibi cárior.
Pernix in Scythiam prótinus évolas,
Et concréta gelu péctora frígido
Torres igne sacro. Máxima décoquit
Ardens frígora cáritas.
Te suadénte, deos Thrácia fíctiles
Epirúsque fugant; et dóminæ Crucis
Vexíllum, quod amans úndique prædicas,
Gráiis fígitur árcibus.
Sanctæ mox fídei lumen Achaícis
Cœléstis tua fax ínferet úrbibus;
Exstinctámque tibi conspícient prius
Vitam quam fídei facem.
Suprémæ Tríadi glória, laus, honor,
Quæ nos christíadas lámpadis íllius,
Cæcis quam pópulis prætulit Andréas,
Puro lúmine dírigit. Amen.

In ij. vesperis,

Hymnus.

CHristi multa jugo dum loca súbjicis,
Procónsul mínitans, et rábie fremens,
Ejuráre fidem si rénuas, tibi
Spondet víncula, cárceres.
Ambis vincla, rogos; non métuis cruces,
Hoc unum métuis: carníficum gregi
Ne quis te rápiat. Supplícii moram
Partem supplícii putas.

Vix erécta procul ligna vides crucis,
O Crux! o bona Crux! o mihi Crux, ais,
Exoptáta diu! dulce decus meum,
Cordis delícium mei!
Per te discípulum suscípiat suum,
Per te qui máculas críminis éluit,
Et salvum próprii pígnore sánguinis
Humánum vóluit genus.
Christo commóriens sic pius Andréas
Indulgére sacris pergit amóribus,
Donec corpóreo líbera cárcere
Mens ad sídera démigret.
Qui dat Martyribus víncere, laus Patri;
Qui dat ferre crucem, laus quoque Fílio;
Qui das mille neces in cruce pérpeti,
Par sit laus tibi, Spíritus. Amen.

DIE I. DECEMBRIS.
Die secunda infra Octav.
S. Andreæ.

Omnia ut in die festo, præter sequentia.

In primo Nocturno,
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.

Sermo sancti Petri Chrysólogi. *Serm.* cxxxiij.

Lectio iv.

BEátus Andréas mérito natus hódie créditur; quando non ad præséntem vitam matérno est effúsus ex útero, sed conspéctu fídei, martyrii partu, cœléstem nóscitur generátus ad glóriam : quando non eum matérna cunábula suscepére vagiéntem, sed supérna triumphántem secréta recepérunt : quando non infírmum lactis pastum genitrícis trahit ex péctore, sed pro Rege suo devotíssimus miles virtútis sánguinem fudit. Vivit, quia mortem cœléstis milítiæ bellátor occídit.

℟. Homo Dei ducebátur ut crucifígerent eum : pópulus autem clamábat voce magna, dicens : * Innocens ejus sanguis sine causa damnátur. ℣. Cumque dúcerent eum ut crucifigerétur, factus est concúrsus populórum clamántium et dicéntium. — Innocens ejus.

Lectio v.

SEquitur hic moriéndo Dóminum æstuans et anhélans; ac toto virtútis gradu Domínicis incúmbit hærére vestígiis; ne eum cursus fáciat dísparem fratri, quem natúra símilem vocátio sócium, parem grátia ipsa perfécerat. Ad unam vocem Dómini, sicut ille, patrem, pátriam, censum relíquit; labóribus, oppróbriis, itinéribus, contuméliis, vigíliis, Christo largiénte, se indefésse germáni societáti donávit. Solum est, quod témpore Domínicæ Passiónis fugit; sed neque hoc impar,

quia fugit ne negáret : negáre autem, si áliqua putátur culpa, non est grávius fúgere quam negáre : sed tacénda sunt ália : æquávit fratres vénia, quos sic discréverat culpa.

℟. O bona Crux, quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti, áccipe me ab homínibus, et redde me magístro meo : * Ut per te me recípiat, qui per te me redémit. ℣. Beátus Andréas, expánsis mánibus ad cœlum, orábat, dicens : Salva me, bona crux. — Ut per.

Lectio vj.

CRucem quam refúgerant, póstea, conjúnctis víribus, ardénter invádunt; ut, unde reátum súmpserant, inde conscénderent cœlum, inde præmium súmerent et corónam. Petrus namque crucem, árborem conscéndit Andréas : ut qui Christo cómpati gestiébant, in semetípsis figúram, formámque ipsíus exprímerent Passiónis, et redémpti ligno, consummaréntur ad palmam. Sic Andréas noster, et si cedit órdini, præmio tamen non cedit, et labóri.

℟. Expándi manus meas tota die in cruce ad pópulum non credéntẽ, sed contradicéntem mihi : * Qui ámbulant vias non bonas, sed post peccáta sua. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit : exaltáre, qui júdicas terram, redde retributiónem supérbis. Qui. Glória Patri. Qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* iv.

IN illo témpore : Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mitténtes rete in mare. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homil. iij. *in Evang.*

MUltum dimísit qui cum re posséssa étiam concupiscéntiis renuntiávit. A sequéntibus ergo tanta dimíssa sunt, quanta a non sequéntibus concupísci potuérunt. Nemo ígitur étiam, cum quosdam cónspicit multa reliquísse, apud semetípsum dicat : Imitári hujus mundi contemptóres volo, sed quod relínquam non hábeo. Multum, fratres, relínquitis, si desidériis terrénis renuntiátis.

℟. Orávit sanctus Andréas, dum respíceret in cœlum, et voce magna clamávit, et dixit : Tu es Deus meus, quem vidi : ne me patiáris ab ímpio júdice depóni : * Quia virtútem sanctæ crucis agnóvi. ℣. Tu es magíster meus Christus, quem diléxi, quem cognóvi, quem conféssus sum : tantúmmo-

do in ista voce exáudi me. Quia.

Lectio viij.

Exterióra étenim nostra Dómino quámlibet parva suffíciunt : cor namque, et non substántiam, pensat, nec perpéndit quantum in ejus sacrifício, sed ex quanto proferátur. Nam si exteriórem substántiam perpendámus, ecce Sancti, negotiatóres nostri, perpétuam Angelórum vitam, datis rétibus et navi, mercáti sunt. Æstimatiónem quippe prétii non habet, sed tamen regnum Dei tantum habes.

℟. Videns crucem Andréas exclamávit, dicens : O crux admirábilis, o crux quæ per totum mundum rútilas! * Súscipe discípulum Christi, ac per te me recípiat, qui per te móriens me redémit. ℣. O bona crux, quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti. Súscipe. Glória Patri. Súscipe.

Lectio ix.

Aluit namque Zachæo dimídium substántiæ; quia dimídium áliud, ab hoc quod injúste ábstulit, restituéndum in quádruplum reservávit. Váluit Petro et Andréæ, dimíssis rétibus et navi. Váluit víduæ, duóbus minútis. Váluit álteri, cálice aquæ frígidæ. Regnum ítaque Dei, ut díximus, tantum valet, quantum habes.

Te Deum laudámus.

Nota. *Extra Adventum, Quadragesimam, Ferias, Octavas Vigiliasque privilegiatas, in singulis Feriis V., more votivo et sub ritu semiduplici fit de SS. Sacramento, ut in Suppl. Breviarii. Itemque in Sabbatis de Immaculata Concept. B. M. V., dummodo his Feriis V. et Sabbatis non occurrat Officium ix. Lectionum, etiam translatum.*

Festa aliorum cujusque Ecclesiæ Patronorum in propriis tantum Ecclesiis celebrabuntur, et omnia fient de Communi, nisi aliquam Lectionem propriam et approbatam habuerint. Si celebrentur cum Octava, per Octavam sumentur Lectiones j. Nocturni ex Scriptura occurrente; ij. vero et iij. Nocturni ex Octavario Romano, seu de Communi.

Imprimatur.
Tornaci, die 18 Maii 1885.
G. BOUVRY Vic. Gen.

Typis Soc. S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. — Tornaci.

Proprium Officiorum Dioecesis Engolismensis

a Sacra Rituum Congregatione approbatum Anno 1884 ac de mandato Illmi et Rmi DD. Alexandri Leopoldi Sebaux Episcopi Engolismensis editum.

Pars Hiemalis.





Tornaci Nerviorum, Typis Societatis S. Joannis Evang.
Desclée, Lefebvre et Soc. M.DCCC.LXXXV.

Engolismen.

T Kalendario perpetuo et Proprio Officiorum ac Missarum in usum Diœceseos Engolismen. nonnulla insererentur Cœlitum Festa, quorum celebratio penes Clerum et populum maxime erat in votis, atque insimul additamenta ac variationes, quæ, volventibus annis, in iisdem Kalendario et Proprio locum habuerunt, ad accuratiorem ordinem disponerentur; Rmus Dominus Alexander Leopoldus Sebaux Episcopus Engolismen. una cum Capitulo suæ cathedralis Ecclesiæ, Kalendarium ipsum et Proprium reformare aggressus est, omne adhibens studium, quatenus cuncta in iis Rubricarum præscriptionibus, et Sanctæ Sedis Decretis apprime responderent: hæc autem omnia, sic apte concinnata, supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII sanctioni demississime subjecit.

Placuit vero eidem Sanctissimo Domino Nostro præfati Kalendarii ac Proprii examen Sacræ Rituum Congregationi committere, quæ, post exquisitum votum in scriptis unius ex Consultoribus Congregationis ipsius, omnibus accurate perpensis, idem Kalendarium ac Proprium a se emendatum atque ordinatum, prouti huic præjacet Decreto, probari posse censuit. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua, referente infrascripto Secretario, ratam habens, concedere dignata est, ut a Clero totius Diœceseos Engolismen. Sæculari ac Regulari, Diœcesano Kalendario utente, tam in Horis Canonicis persolvendis, quam in Missis celebrandis suprascriptum Kalendarium ac Proprium in posterum adhibeatur; attamen sub conditione, ut duplex omnium authenticum exemplar ad ipsam Sacram Congregationem transmittatur statim ac typis ea impressa fuerint. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 Januarii 1884.

D. Cardinalis Bartolinius S. R. C. Præfectus.

L. ✝ S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

Nos, Alexander Leopoldus,

DEI ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA
EPISCOPUS ENGOLISMENSIS.

ER præsentes decernimus ac mandamus ut Kalendarium et Proprium Officiorum ac Missarum a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII per organum S. Rituum Congregationis sub die 24 Januarii 1884 approbatum, a die 1ª Januarii 1885 ab universo Diœcesis Engolismensis Clero tam in horis canonicis persolvendis quam in missis celebrandis perpetuo adhibeatur.

Et juxta Summorum Pontificum Constitutiones, RR. DD. Desclée, Lefebvre et Soc. potestatem facimus Kalendarium et Proprium prædictum, sub modo et forma in exemplari a S. Rituum Congregatione adnotatis, typis dandi atque evulgandi, sive seorsim a Breviario et Missali Romano cudatur, sive appendicis loco ipsis Breviario ac Missali adjiciatur.

Datum Engolismæ sub signo sigilloque Nostris, necnon Cancellarii Nostræ Curiæ subscriptione, die decima nona Martii, anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo quarto.

A. L. Episcopus Engolismensis.

L. ✝ S.

De mandato Illmi ac Rmi Dni Episcopi
G. Tortelli, c. c.

Calendarium Perpetuum.

Januarius.

1. Circumcisio D. N. J. C. *Duplex ii. classis.*
2. Octava S. Stephani Protom. *Dupl.* Com. Octavar.
3. Octava S. Joannis Apost. et Evang. *Dupl.* Com. Octav. et S. Eumachii Conf.
4. Octava SS. Innocentium MM. *Dupl.*
5. Vigilia Epiphaniæ. *Semid.* Com. S. Telesphori Pap. Mart.
6. Epiphania Domini. *Dupl. j. class.* cum Octava.
7. De Octava. *Semid.*
8. De Octava. *Semid.*
9. De Octava. *Semid.*
10. De Octava. *Semid.*
11. De Octava. *Semid.* Com. S. Hygini Pap. Mart.
12. De Octava, vel de Dom. infr. Oct. *Semid.*
13. Octava Epiphaniæ. *Dupl.*
14. Hilarii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl. maj.* Com. S. Felicis Presb. Mart.
15. Pauli primi Eremit. Conf. *Dupl.* Com. S. Mauri Abb.
16. Marcelli Pap. Mart. *Semid.*
17. Antonii Abb. *Dupl.*
18. Cathedra S. Petri Apost. Romæ. *Dupl. maj.* (in Ecc. Cathedr. *Dupl. ij. classis.*) Com. S. Pauli Apost. et S. Priscæ Virg. Mart.
19. Canuti Regis Martyris, *Semid.* ad libitum. Commem. SS. Marii et Soc. MM.
20. Fabiani Pap. et Sebastiani MM. *Dupl.*
21. Agnetis Virg. Mart. *Dupl.*
22. Vincentii et Anastasii MM. *Semid.*
23. Desponsatio B. M. V. *Dupl. maj.* Com. S. Joseph et S. Emerentianæ Virg. Mart.
24. Timothei Episc. Mart. *Dupl.*
25. Conversio S. Pauli Apost. *Dupl. maj.* Com. S. Petri Apost.
26. Polycarpi Episc. Mart. *Dupl.*
27. Joannis Chrysost. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
28. Agnetis secundo. *Simpl.*
29. Francisci Salesii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
30. Bathildis Regin. Vid. *Dupl.*
31. Petri Nolasci Conf. *Dupl.*

Festa mobilia.

Domin. II. post Epiph. SS. Nominis Jesu. *Duplex ij. classis.* Commem. Domin.

Feria III. post Dom. Septuag. Orationis D. N. J. C. in Monte Olivarum. *Dupl. maj.*

Feria III. post. Domin. Sexag. Commem. Passionis D. N. J. C. *Duplex majus.*

Calendarium perpetuum.

Februarius.

1. Ignatii Episc. Mart. *Dupl.*
2. PURIFICATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.*
3. Blasii Episc. Mart. *Simpl.*
4. Joannæ Valesiæ Vid. *Dupl.*
5. Agathæ Virg. Mart. *Dupl.*
6. Andreæ Corsini Episc. Conf. (d. a. ex 4. huj.) *Dupl.* Com. S. Dorotheæ Virg. Mart.
7. Romualdi Abb. *Dupl.*
8. Joannis de Matha Conf. *Dupl.*
9. Cyrilli Alexandr. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Apolloniæ Virg. Mart.
10. Scholasticæ Virg. *Dupl.*
11. Raymundi de Pennafort Conf. (d. a. ex 23. Jan.) *Semid.*
12. Titi Episc. Conf. *Dupl.*
13. Cæsarii Archidiaconi Engolismen. Conf. *Dupl.*
14. Genovefæ Virg. *Dupl.* Com. S. Valentini Presb. Mart.
15. Martinæ Virg. (d. a. ex 30. Jan.) *Semid.* Com. SS. Faustini et Soc. MM.
16.
17.
18. Simeonis Episc. Mart. *Simpl.*
19.
20.
21.
22. Cathedra S. Petri Apost. Antiochiæ. *Dupl. maj.* (in Ecc. Cathedr. *Dupl. ij. class.*) Com. S. Pauli Apost.
23. Petri Damiani Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Vigil.
24. MATHIÆ APOST. *Dupl. ij. class.*
25.
26.
27.
28.

In anno Bissextili Februarius habet dies 29, et tunc de S. Mathia fit die 25.

Festa mobilia.

Feria VI. post Cineres, Sacr. Spineæ Coronæ D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. I. Quadrag. Lanceæ et Clavor. D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag. Sacratiss. Sindonis D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.



Martius.

1. Amantii Buxiensis Conf. *Dupl.*
2. Albini Episc. Conf. *Semid.*
3.
4. Casimiri Conf. *Semid.* Com. S. Lucii Pap. Mart.
5.
6.

7. Thomæ de Aquino Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. SS. Perpetuæ et Soc. MM.
8. Joannis de Deo Conf. *Dupl.*
9. Franciscæ Romanæ Vid. *Dupl.*
10. Quadraginta Martyrum. *Semid.*
11.
12. Gregorii I. Pap. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
13.
14.
15.
16.
17. Patritii Episc. Conf. *Dupl.*
18. Gabrielis Archang. *Dupl. maj.*
19. JOSEPHI CONF. B. M. V. SPONSI. *Dupl. j. class.*
20. Cyrilli Hierosolymit. Episc. Conf. et Ecc. Doct. (d. a. ex 18. huj.) *Dupl.*
21. Benedicti Abb. *Dupl. maj.*
22.
23.
24.
25. ANNUNTIATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.*
26.
27.
28.
29.
30. Translatio S. Ausonii primi Engolism. Episc. Mart. *Dupl. maj.*

Festa mobilia.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Sacror. Quinque Vulnerum D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Pretiosiss. Sanguinis D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. Passionis, Septem Dolorum B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Fer.



Aprilis.

1.
2. Francisci de Paula Conf. *Dupl.*
3.
4. Isidori Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
5. Vincentii Ferrerii Conf. *Dupl.*
6. Julianæ Cornelionen. Virg. *Dupl.*
7.
8.
9.
10.
11. Leonis I. Pap. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
12.
13. Hermenegildi Mart. *Semid.*
14. Justini Philosophi Mart. *Dupl.* Com. SS. Tiburtii et Soc. MM.
15.
16.

17. Aniceti Pap. Mart. *Simpl.*
18.
19.
20. Giraldi de Salis Conf. *Dupl.*
21. Anselmi Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
22. Soteris et Caii Pap. MM. *Semid.*
23. Georgii Mart. *Semid.*
24. Fidelis a Sigmaringa Mart. *Dupl.*
25. MARCI EVANG. *Dupl. ij. class.*
26. Cleti et Marcellini Pap. MM. *Semid.*
27.
28. Pauli a Cruce Conf. *Dupl.* Com. S. Vitalis Mart.
29. Petri Mart. *Dupl.*
30. Eutropii primi Santonen. Episc. Mart. *Dupl. maj.*

Festum mobile.

Dom. III. post Pascha, PATROCINII S. JOSEPHI B. M. V. SPONSI CONF. *Dupl. ij. class.* Com. Dom.



Maius.

1. PHILIPPI ET JACOBI APP. *Dupl. ij. class.*
5. Athanasii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
3. INVENTIO S. CRUCIS. *Dupl. ij. class.* Com. SS. Alexandri et Soc. MM. ac Juvenalis Episc. Conf.
4. Monicæ Vid. *Dupl.*
5. Pii V. Pap. Conf. *Dupl.*
6. Joannis Apost. ante Portam Latinam. *Dupl. maj.*
7. Stanislai Episc. Mart. *Dupl.*
8. Apparitio S. Michaëlis Archang. *Dupl. maj.*
9. Gregorii Nazianz. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
10. Antonini Episc. Conf. *Dupl.* Com. SS. Gordiani et Soc. MM.
11. Gualteri Abb. Stirp. Conf. *Dupl.*
12. Nerei, Achillei, Domitillæ Virg. atque Pancratii MM. *Semid.*
13. Catharinæ Senens. Virg. (d. a. ex 30. April.) *Dupl.*
14. Bonifacii Mart. *Simpl.*
15. Isidori Agricolæ Conf. *Dupl.*
16. Germerii Episc. Tolos. Conf. *Dupl.*
17. Paschalis Baylon Conf. *Dupl.*
18. Venantii Mart. *Dupl.*
19. Petri Cœlestini Pap. Conf. *Dupl.* Com. S. Pudentianæ Virg.
20. Bernardini Senens. Conf. *Semid.*
21. Joannis Nepomuceni Mart. (d. a. ex 16 huj.) *Dupl.*
22. AUSONII PRIMI ENGOLISMEN. EPISC. MART. PRÆCIPUI DIŒC. PATR. *Dupl. j. class.*
23. Ubaldi Episc. Conf. (d. a. ex 16 huj.) *Semid.* Com. Oct.
24. B. M. V. tit. Auxil. Christianor. *Dupl. maj.* Com. Oct.
25. Gregorii VII. Pap. Conf. *Dupl.* Com. Oct. et S. Urbani Pap. Mart.
26. Philippi Nerii Conf. *Dupl.* Com. Oct. et S. Eleutherii Pap. Mart.
27. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *Semid.* Com. Oct. et S. Joannis Pap. Mart.

28. Germani Parisien. Episc. Conf. *Semid.* Com. Oct.
29. Octava S. Ausonii Episc. Mart. *Dupl.*
30. Augustini Episc. Cantuar. Conf. (d. a. ex 28. huj.) *Dupl.* Com. S. Felicis Pap. Mart.
31. Angelae Mericiae Virg. *Dupl.* Com. S. Petronillae Virg.

Festum mobile.

Feria VI. post Octavam Corporis Christi, Sacratiss. Cordis Jesu. *Dupl. maj.*



Junius.

1.
2. Pothini, Blandinæ Virg. et Soc. MM. *Dupl.* Com. SS. Marcellini et Soc. MM.
3. Clotildis Regin. Vid. *Dupl.*
4. Francisci Caracciolo Conf. *Dupl.*
5. Bonifacii Episc. Mart. *Dupl.*
6. Norberti Episc. Conf. *Dupl.*
7. Bertrandi Patriarch. Aquilejen. Conf. *Dupl.*
8.
9. Primi et Feliciani MM. *Simpl.*
10. Margaritæ Scotor. Regin. Vid. *Semid.*
11. Barnabæ Apost. *Dupl. maj.*
12. Joannis a S. Facundo Conf. *Dupl.* Com. SS. Basilidis et Soc. MM.
13. Antonii de Padua Conf. *Dupl.*
14. Basilii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
15. Germanæ Cousin Virg. *Dupl.* Com. SS. Viti et Soc. MM.
16. Joannis Francisci Regis Conf. *Dupl.*
17.
18. Marci et Marcelliani MM. *Simpl.*
19. Julianæ de Falconeriis Virg. *Dupl.* Com. SS. Gervasii et Soc. MM.
20. Silverii Pap. Mart. *Simpl.*
21. Aloysii Gonzagæ Conf. *Dupl.*
22. Paulini Episc. Conf. *Simpl.*
23. Vigilia.
24. NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ. *Dupl. j. class.* cum Octava.
25. Gulielmi Abb. *Dupl.* Com. Oct.
26. Salvii Episc. Engolism. et Superii MM. *Dupl.* Com. Oct.
27. Joannis et Pauli MM. (d. a. ex heri) *Dupl.* Com. Oct.
28. Leonis Papæ Conf. *Semid.* Com. Oct. et Vigil.
29. PETRI ET PAULI APP. *Dupl. j. class.* cum Octava. Com. Omn. SS. App.
30. Com. S. Pauli Apost. *Dupl. maj.* Com. S. Petri Apost. et Oct. S. Joan. Bapt.

Festum mobile.

Dom. III. post Pentecosten, Purissimi Cordis B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.

Julius.

1. Eparchii Abb. Civit. Engolism. Compatr. *Dupl. j. class.* cum Octava. Com. Oct. S. Joan. Bapt.
2. Visitatio B. M. V. *Dupl. ij. class.* Com. SS. Processi et Soc. MM.
3. Martialis Episc. Conf. Aquit. Apost. *Dupl. ij. class.*
4. Irenæi Episc. Mart. *Dupl.* Com. Octavar.
5. Cyrilli et Methodii Episc. Conf. *Dupl.* Com. Octavar.
6. Octava SS. Petri et Pauli App. *Dupl.* Com. Oct. S. Eparchii Abb.
7. De Octava. *Semid.*
8. Octava S. Eparchii Abb. *Dupl.*
9. Elisabeth Regin. Portugal. Vid. (d. a. ex heri) *Semid.*
10. Septem Fratrum, ac Rufinæ et Secundæ Vg. MM. *Semid.*
11. Pii I. Pap. Mart. *Simpl.*
12. Joannis Gualberti Abb. *Dupl.* Com. SS. Naboris et Soc. MM.
13. Anacleti Pap. Mart. *Semid.*
14. Bonaventuræ Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
15. Henrici Imperat. Conf. *Semid.*
16. B. M. V. de Monte Carmelo. *Dupl. maj.*
17. Alexii Conf. *Semid.*
18. Camilli de Lellis Conf. *Dupl.* Com. SS. Symphorosæ et Filior. MM.
19. Vincentii a Paulo Conf. *Dupl.*
20. Hieronymi Æmiliani Conf. *Dupl.* Com. S. Margaritæ Virg. Mart.
21. Praxedis Virg. *Simpl.*
22. Mariæ Magdalenæ Pœnit. *Dupl. maj.*
23. Apollinaris Episc. Mart. *Dupl.* Com. S. Liborii Episc. Conf.
24. Vigilia. Com. S. Christinæ Virg. Mart.
25. Jacobi Apost. *Dupl. ij. class.* Com. S. Christophori Mart.
26. Annæ Matris B. M. V. *Dupl. ij. class.*
27. Pantaleonis Mart. *Simpl.*
28. Nazarii, Celsi et Victoris Papæ MM. ac Innocentii Papæ Conf. *Semid.*
29. Marthæ Virg. *Dupl. maj.* Com. SS. Felicis et Soc. MM.
30. Abdon et Sennen. MM. *Simpl.*
31. Ignatii de Loyola Conf. *Dupl.*

Festum mobile.

Dom. I. Julii, Pretiosiss. Sanguinis D. N. J. C. *Dupl. ij. class.* Com. Dom.



Augustus.

1. Petri ad Vincula. *Dupl. maj.* (in Eccl. Cathedr. *Dupl. ij. class.*) Com. S. Pauli Apost. et SS. Machabæor. MM.
2. Alphonsi Mariæ de Ligorio Episc. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Stephani Pap. Mart.
3. Inventio S. Stephani Protom. *Semid.*
4. Dominici Conf. *Dupl. maj.*
5. Dedicatio S. Mariæ ad Nives. *Dupl. maj.*

6. Transfiguratio D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. SS. Xysti et Soc. MM.
7. Cajetani Conf. *Dupl.* Com. S. Donati Episc. Mart.
8. Cyriaci, Largi et Smaragdi MM. *Semid.*
9. Vigilia. Com. S. Romani Mart.
10. LAURENTII LEVIT. MART. *Dupl. ij. class.* cum Octava.
11. De Octava. *Semid.* Com. SS. Tiburtii et Susannæ MM.
12. Claræ Virg. *Dupl.* Com. Oct.
13. Calfagiæ Virg. *Dupl.* Com. Octav. et SS. Hippolyti et Soc. MM.
14. Radegundis Francor. Regin. Vid. *Dupl.* Com. Oct. Vigil. et S. Eusebii Conf.
15. ASSUMPTIO B. M. V. *Dupl. j. class.* cum Octava.
16. Rochi Conf. *Dupl.* Com. Octavar.
17. Octava S. Laurentii Levit. Mart. *Dupl.* Com. Oct. Assumpt.
18. Hyacinthi Conf. (d. a. ex 16. hujus) *Dupl.* Com. Oct. et S. Agapiti Mart.
19. De Octava. *Semid.*
20. Bernardi Abb. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Oct.
21. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid. *Dupl.* Com. Oct.
22. Octava Assumpt. B. M. V. *Dupl.* Com. SS. Timothei et Soc. MM.
23. Philippi Benitii Conf. *Dupl.* Com. Vigil.
24. BARTHOLOMÆI APOST. *Dupl. ij. class.*
25. Ludovici Reg. Franc. Conf. *Dupl.*
26. Zephyrini Pap. Mart. *Simpl.*
27. Josephi Calasanctii Conf. *Dupl.*
28. Augustini Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Hermetis Mart.
29. Decollatio S. Joannis Bapt. *Dupl. maj.* Com. S. Sabinæ Mart.
30. Rosæ Liman. Virg. *Dupl.* Com. SS. Felicis et Soc. MM.
31. Raymundi Nonnati Conf. *Dupl.*

Festum mobile.

Dom. infra Oct. Assumpt. S. JOACHIM CONF. PATRIS B. M. V. *Dupl. ij. class.* Com. Dom.



September.

1. Viviani Episc. Santonen. Conf. *Dupl.* Com. S. Ægidii Abb. et SS. XII. Fratrum MM.
2. Stephani Regis Conf. *Semid.*
3.
4.
5. Laurentii Justiniani Episc. Conf. *Semid.*
6.
7.
8. NATIVITAS B. M. V. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. S. Adriani Mart.
9. De Octava. *Semid.* Com. S. Gorgonii Mart.
10. Nicolai de Tolentino Conf. *Dupl.* Com. Oct.
11. De Octava. *Semid.* Com. SS. Proti et Hyacinthi MM.

12. De Octava. *Semid.*
13. De Octava. *Semid.*
14. Exaltatio S. Crucis. *Dupl. maj.* Com. Oct.
15. Octava Nativ. B. M. V. *Dupl.* Com. S. Nicomedis Mart.
16. Cornelii Pap. et Cypriani Episc. MM. *Semid.* Com. SS. Euphemiæ et Soc. MM.
17. Impressio Stigmatum S. Francisci Conf. *Dupl.*
18. Josephi a Cupertino Conf. *Dupl.*
19. Januarii Episc. et Soc. MM. *Dupl.*
20. Eustachii et Soc. MM. *Dupl.* Com. Vigil.
21. MATTHÆI APOST. ET EVANG. *Dupl. ij. class.*
22. Thomæ a Villanova Episc. Conf. *Dupl.* Com. SS. Mauritii et Soc. MM.
23. Lini Papæ Mart. *Semid.* Com. S. Theclæ Virg. Mart.
24. B. M. V. de Mercede. *Dupl. maj.*
25.
26. Cypriani et Justinæ MM. *Simp.*
27. Cosmæ et Damiani MM. *Semid.*
28. Wenceslai Ducis Mart. *Semid.*
29. DEDICATIO S. MICHAELIS ARCHANG. *Dupl. ij. class.*
30. Hieronymi Presb. et Ecc. Doct. *Dupl.*

Festa mobilia.

Dom. infra Oct. Nativ. B. M. V. SS. Nominis ejusd. B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.

Dom. III. Sept. Septem Dolorum B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.



October.

1. Remigii Episc. Conf. *Dupl.*
2. Angelorum Custodum. *Dupl. maj.*
3.
4. Francisci Assis. Conf. *Dupl. maj.*
5. Placidi et Soc. MM. *Simp.*
6. Brunonis Conf. *Dupl.*
7. Palladii Episc. Santon. Conf. *Dupl.* Comm. SS. Marci Pap. Conf. et Sergii et Soc. MM.
8. Birgittæ Vid. *Dupl.*
9. Dionysii et Soc. MM. *Semid.*
10. Francisci Borgiæ Conf. *Semid.*
11. Gratulphi Conf. *Dupl.*
12.
13. Eduardi Reg. Conf. *Semid.*
14. Callisti Pap. Mart. *Dupl.*
15. Teresiæ Virg. *Dupl.*
16.
17. Hedwigis Vid. *Semid.*
18. LUCÆ EVANG. *Dupl. ij. classis.*
19. Petri de Alcantara Conf. *Dupl.*
20. Joannis Cantii Conf. *Dupl.*
21. Asterii Conf. *Dupl.* Com. S. Hilarionis Abb.
22. Ursulæ Virg. et Soc. MM. (d. a. ex heri) *Dupl.*

23. SS. Redemptoris. *Dupl. maj.*
24. Raphaëlis Archang. *Dupl. maj.*
25. Frontonis Episc. Petrocor. Conf. *Dupl. maj.* Com. SS. Chrysanthi et Dariæ MM.
26. Aptonii Episc. Engolism. Conf. *Dupl.* Com. S. Evaristi Pap. Mart.
27. B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. *Dupl.* Com. Vigil.
28. SIMONIS ET JUDÆ APP. *Dupl. ij. class.*
29. Solinæ Virg. Mart. *Semid.*
30.
31. Vigilia.

Festa mobilia.

Dom. I. Octobris, Sacratiss. Rosarii B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.

Dom. ultima Oct. Com. SS. quorum Corpora, vel Reliquiæ in Ecclesiis Diœc. Engolismen. asservantur. *Dupl.* Com. Dom.



November.

1. OMNIUM SANCTORUM. *Dupl. j. class.* cum Octava.
2. De Octava. *Semid.* Com. Omn. Fidel. Defunctor. sub ritu *dupl.*
3. De Octava. *Semid.*
4. Caroli Episc. Conf. *Dupl.* Com. Oct. et SS. Vitalis et Agricolæ MM.
5. Benigni Mart. *Dupl.* Com. Oct.
6. De Octava. *Semid.*
7. De Octava. *Semid.*
8. Octava Omnium Sanctor. *Dupl.* Com. SS. Quatuor Coronator. MM.
9. Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris. *Dupl.* Com. S. Theodori Mart.
10. Andreæ Avellini Conf. *Dupl.* Com. SS. Tryphonis et Soc. MM.
11. Martini Episc. Conf. *Dupl.* Com. S. Mennæ Mart.
12. Martini Pap. Mart. *Semid.*
13. Stanislai Kostka Conf. *Dupl.*
14. Josaphat Episc. Polocen. Mart. *Dupl.*
15. Gertrudis Virg. *Dupl.*
16. Didaci Conf. (d. a. ex 13. huj.) *Semid.*
17. Gregorii Thaumaturgi Episc. Conf. *Semid.*
18. Dedicatio Basilicæ SS. Petri et Pauli App. *Dupl.*
19. Elisabeth Regin. Hungar. Vid. *Dupl.* Com. S. Pontiani Pap. Mart.
20. Felicis de Valois Conf. *Dupl.*
21. Præsentatio B. M. V. *Dupl. maj.*
22. Cæciliæ Virg. Mart. *Dupl.*
23. Clementis Pap. Mart. *Dupl.* Com. S. Felicitatis Mart.
24. Joannis a Cruce Conf. *Dupl.* Com. S. Chrysogoni Mart.
25. Catharinæ Virg. Mart. *Dupl.*
26. Petri Alexandrini Episc. Mart. *Simpl.*
27.
28.

29. Vigilia. Com. S. Saturnini Mart.
30. ANDREÆ APOST. *Dupl. ij. class.*

Festa mobilia.

Dom. post Oct. Omn. Sanctor. DEDICATIO OMN. GALL. ECCLESIARUM. *Dupl. j. class.* cum Octava. Com. Dom.

Dom. subsequenti, Octava Dedicationis Omn. Gall. Ecclesiarum. *Dupl.* Com. Dom.



December.

1. Eligii Episc. Conf. *Dupl.*
2. Bibianæ Virg. Mart. *Semid.*
3. Francisci Xaverii Conf. *Dupl.*
4. Petri Chrysol. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Barbaræ Virg. Mart.
5. Trojani Episc. Santonen. Conf. *Dupl.* Comm. S. Sabbæ Abb.
6. Nicolai Episc. Conf. *Dupl.*
7. Ambrosii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Vigil. in Missa tantum.
8. IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V. *Dupl. j. class.* cum Octava.
9. De Octava. *Semid.*
10. Translatio Almæ Domus Lauret. *Dupl.* Com. S. Melchiadis Pap. Mart.
11. Damasi Pap. Conf. *Semid.* Com. Oct.
12. De Octava. *Semid.*
13. Luciæ Virg. Mart. *Dupl.*
14. De Octava. *Semid.*
15. Octava Immacul. Concept. B. M. V. *Dupl.*
16. Eusebii Episc. Mart. *Semid.*
17. Lazari Episc. Conf. *Dupl.*
18. Exspectatio Partus B. M. V. *Dupl. maj.*
19.
20. Vigilia.
21. THOMÆ APOST. *Dupl. ij. class.*
22.
23.
24. Vigilia Nativitatis D. N. J. C.
25. NATIVITAS D. N. J. C. *Dupl. j. class.* cum Octava.
26. STEPHANI PROTOM. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. Oct. Nativ. et Omn. SS. MM.
27. JOANNIS APOST. ET EVANG. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. Octavarum.
28. INNOCENTIUM MM. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. Octavarum.
29. Thomæ Cantuar. Episc. Mart. *Semid.* Com. Octavarum.
30. De Octava, vel de Dom. infra Oct. *Semid.* Com. Octavarum.
31. Silvestri Pap. Conf. *Dupl.* Com. Octavarum.





Proprium Officiorum
IN USUM
Dioecesis Engolismensis.

PARS HIEMALIS.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I. DECEMBRIS.
S. Eligii
Episcopi Confessoris.
Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia.

In ij. Vesperis S. Andreæ, pro Commemorat. S. Eligii, Aña. Sacérdos. ℣. Amávit.

Oratio.

Tríbue nobis, quæsumus, Dómine, singulárem sancti Elígii, Confessóris tui atque Pontíficis, caritátem imitári : ut illíus mérita in spíritu et veritáte celebrémus. Per Dóminum nostrum.

Deinde Comm. Fer.

In primo Nocturno.
Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Lígius, in vico Catalacénsi, parum díssito ab urbe Lemóvica, natus est paréntibus Euchério et Terrígia, qui eum, ob singulárem qua pollébat indústriam, Abbóni aurífabro Lemóvicis instruéndum tradidérunt. A quo óptime edóctus, relícta pátria, Parísios se cóntulit, ubi perítiæ suæ fama Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram sacerdóte, et exínde in ópera pietátis omni stúdio incúbuit. Nam, étiam cum artem exercébat, subínde in sacros códices óculos intendébat :

ita ut mens Deo vacáret dum manus úsibus serviébant humánis. Quidquid arte sua comparábat, id totum fovéndis egénis, et captívis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio, rediméndis erogábat. Hinc tantus ad eum páuperum concúrsus, ut quærénti domum Elígii dicerétur : Ubi páuperum cœtum conspéxeris, illic et Elígium repéries.

℟. Invéni David.

Lectio v.

INtra domum autem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu nocťúque in ejus cámera canónicum cursum solémniter adimplébant. Non minus accéptus Dagobérto quam Clotário patri, et ab illo ad Aremoricórum regem pacis componéndæ causa missus, reges ambos felíci fœdere sociávit. Vária ejus hortátu exstrúcťa sunt templa et monastéria. Solemniacénse in Lemovícibus cœnóbium cóndidit. Parísiis ædificávit monastérium Vírginum. Instaurávit ibídem basílicam sancťi Martiális, in quam cum sancťi Apóstoli relíquiæ deportaréntur, procederéntque juxta cárcerem, ex Elígii consílio, psalléntium chori, óstia obseráta vincťis cœlitus patuérunt. Plúrima divérsis tempóribus auro, argénto et gemmis ornávit sepúlcra sancťórum. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoníacam labem, quæ altas in Gállia radíces égerat, exstirpávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

TAndem ad Noviomensem episcopátum assúmptus, non modo salúti gregis sibi commíssi invigilávit, sed et Flandros et Frísios, alióSque ad Septentriónem pópulos, non sine magno labóre ac vitæ discrímine, ad Christum addúxit. Sedit in concílio Cabilonénsi sub Clodovéo secúndo. Multa præcláre scripsit; ejécit dæmones, futúra divínitus prædíxit, aliísque miráculis illústris, óbiit septuagenárius, desinénte die última Novémbris, anno sexcentésimo quinquagésimo nono, hora prima nocťis, et Noviómi sepúltus est. Ejus funus sancťa regína Bathíldis cum líberis prosecúta est. Váriæ divérsis tempóribus, in monastérium Solemniacénse prope Lemóvicas, e Noviorménsi Ecclésia, sancťi Pontíficis translátæ sunt relíquiæ.

℟. Iste est.

In tertio Nocťurno.

Homil. in Evang. Vigiláte. *de Comm., secundo loco.*

In Laudibus, Commem. Feriæ.

In ij. Vesp., Commem. seq. et Feriæ.

DIE V. DECEMBRIS.
S. Trojani
Episc. Santonen. et Conf.
Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. (m. t. v), *præter seq.*
Capit. de S. Trojano.
Oratio. Da, quæsumus. *de Communi.*
Comm. præced., Feriæ, et S. Sabbæ Abb. (℣. Os justi. *e secundo Nocturno.*)

In primo Nocturno.
Lectiones de Script. occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

TRojánus, paréntibus Judæis ortus, ab iis adhuc júnior Mediolánum Sántonum fuit addúctus. Epíscopi, qui tum Ecclésiam Santonénsem regébat, pietáte et vigilántia, quod præstántis esset índolis, diligénter Christi fide et lítteris excúltus, eam ad virtútum laudem procéssit, qua jam futúræ sanctitátis et glóriæ magnum spécimen próderet. Unde ab eódem Antístite in clericálem órdinem cooptátus, étiam crescénte cum ætáte sapiéntiæ et pietátis grátia, diáconus creátus est; dénique débitam méritis suis presbytérii dignitátem suscépit.
℟. Invéni David.

Lectio v.

VAcánte sede episcopáli Ecclésiæ Santonénsis, clerus et pópulus, cónsonis votórum suffrágiis, Trojánum apostólicis dótibus ornátum, quamvis renuéntem, éligunt. Consúltus ab Euménio Nannetensi epíscopo de púero, qui an baptizátus esset ignorábat, tale respónsum dedit Trojánus: Quod a majóribus nostris statútum est, indubitánter indicáre præsúmo. Statútum nóveris, ut quicúmque se baptizátum fuísse non récolit, nec ab ália persóna id factum fuísse probátur, baptísmum absque ulla dilatióne percípiat, ne a nobis illíus ánima, si a baptizátis separáta fúerit, requirátur.
℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

DE beáto Antístite multa scribit Gregórius Turonénsis in libro *de Gloria Confessorum.* Refert mirándam prorsus visiónem et apparitiónem sancti Martíni, cujus testis fuit subdiáconus, qui Trojánum comitabátur; addítque eum apud omnem pópulum in tanta existimatióne sanctitátis fuísse, ut si novum amphimállum induísset, cum quo processúrus diœcésim circumíret, fímbriæ hujus vestiménti a divérsis diriperéntur, quia salúbre computábant quidquid ab eo potuíssent habére. Obiit anno quingentésimo tricésimo secúndo, prídie Kaléndas Decémbris, atque sepúltus est juxta sanctum Viviánum. Ejus

sacræ relíquiæ olim in capsa honorífice asservabántur; sed hærétici anno millésimo quingentésimo sexagésimo octávo, destrúcta majóri ecclésia Santonénsi, thesáurum reliquiárum expilárunt.

℟. Iste est.

In tertio Nocturno.

Homil. in Evang. Homo péregre. *de Communi primo loco.*

In Laudibus, Comm. Feriæ et S. Sabbæ (℣. Amávit. *e primis Vesp.*)

Vesp. a Cap. de seq., Comm. præced. et Fer.

DIE X. DECEMBRIS.

In Translat. Almæ Domus Lauretanæ.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

In primis Vesp., Comm. Fer. et S. Melchiadis tantum; item in Laudibus; in secundis Vesp., Comm. seq. et Feriæ tantum.

DIE XVII. DECEMBR.

S. Lazari Resuscitati

Episcopi et Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter sequentia.

Ad Magnif. in utrisque Vesp. et ad Bened. in Laud. *Aña.* Lázarus amícus noster dormit; eámus et a somno excitémus eum.

Oratio.

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Lázari, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Comm. S. Eusebii. Aña. Qui vult. ℣. Justus ut palma. *et Feriæ.*

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.; in Quat. Tempor. Fidélis sermo. *de Communi, primo loco.*

In secundo Nocturno.

Lect. Beáti Patris Lázari. *de Comm. ij. loco.*

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* ij.

In illo témpore: Erat quidam languens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ, et Marthæ soróris ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi. *Tract.* xlix. *in Joan. post init.*

In superióri lectióne meminístis, quod Dóminus éxiit de mánibus eórum, qui lapidáre illum

volébant, et discéssit trans Jordánem, ubi Joánnes baptizábat. Ibi ergo Dómino constitúto, infirmabátur Lázarus in Bethánia : quod castéllum erat próximum Jerosólymis. María autem erat, quæ unxit Dóminum unguénto, et extérsit pedes ejus capíllis suis, cujus frater Lázarus infirmabátur. Misérunt ergo soróres ejus ad eum. Jam intellígimus quo misérunt, ubi erat Jesus : quóniam absens erat, trans Jordánem scílicet. Misérunt ad Dóminum, nuntiántes, quod ægrotáret frater eárum, ut, si dignarétur, veníret, et eum ab ægritúdine liberáret. Ille dístulit sanáre, ut posset resuscitáre.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

Quid ergo nuntiavérunt soróres ejus? Dómine, ecce quem amas infirmátur. Non dixérunt : Veni. Amánti enim tantúmmodo nuntiándum fuit. Non ausæ sunt dícere, Veni, et sana; non ausæ sunt dícere, Ibi jube, et hic fiet. Cur enim non et istæ, si fides illíus Centuriónis inde laudátur? ait enim : Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantúmmodo : Dómine, ecce quem amas infirmátur. Súfficit ut nóveris : non enim amas, et déseris.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Dicit áliquis : Quómodo per Lázarum peccátor significabátur et a Dómino sic amabátur? Audiat eum dicéntem : Non veni vocáre justos, sed peccatóres. Si enim peccatóres Deus non amáret, de cœlo ad terram non descénderet. Audiens autem Jesus, dixit eis : Infírmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei. Talis glorificátio ipsíus, non ipsum auxit, sed nobis prófuit. Hoc est ergo, quod ait, Non est ad mortem, quia et ipsa mors non erat ad mortem, sed pótius ad miráculum, quo facto créderent hómines in Christum, et vitárent veram mortem. Sane vidéte quemádmodum tamquam ex oblíquo Dóminus Deum se dixit, propter quosdam qui negant Fílium Dei Deum esse.

Te Deum laudámus.

Vesp. de seq., Commem. præced. et Fer.

DIE XVIII. DECEMBR.

In Exspectatione Partus B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii pro aliq. locis.

DIE XXVI. DECEMBR.

Commem. omnium SS. Martyrum.

In ij. Vesperis Nativitatis Domini, post Commemorationem S. Stephani Protomartyris fit Commemoratio Omn. SS. Mart.

Aña. Isti sunt Sancti quos elégit Dóminus in caritáte non ficta; dedit illis glóriam sempitérnam.

℣. Justi epuléntur et ex súltent in conspéctu Dei. ℟. Et delectentur in lætítia.

In laudibus,

Aña. Sancti tui, Dómine, semper benedícant te, et glóriam regni tui dicant.

℣. Mirábilis Deus in Sanctis suis. ℟. In Sanctis ejus laudáte Deum.

In ij. vesperis,

Aña. Dico autem vobis amícis meis, ne terreámini ab his qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Oratio.

DEus, qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum : réspice ad preces humilitátis nostræ; ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum.

FESTA JANUARII.

DIE III. JANUARII.

Pro Commemoratione S. Eumachii

Confessoris.

In Octava S. Joannis Apostoli, fit Comm. S. Eumachii, Conf. non Pont.

In primis Vesp., post Commem. S. Stephani et SS. Innocent. pro Comm. S. Eumachii, Aña. Similábo. *et* ℣. Amávit. *de Comm.*

Oratio.

DEus, qui humília réspicis, et alta a longe cognóscis : propitiáre fámulis tuis, et præsta ; ut sicut beátum Eumáchium a servíli conditióne ad sacerdotále ministérium evexísti, ita nos a peccáti servitúte eréptos puris méntibus fácias tibi famulári. Per Dóminum.

Ad Matut. Lect. nona de S. Eumachio, ut sequitur.

Lectio ix.

EUmáchius, sive Almáchius, ut vetustíssimum fert kalendárium, Petrócoræ húmili loco natus, a piis paréntibus summa cura in fide bonísque móribus educátus fuit. A servíli conditióne, cui ob inópiam se addíxerat, ad sacerdótium evéctus, eo in múnere ómnium virtútum splendóre zelóque indeféssο cláruit. Mirus in eo abstinéntiæ

rigor, orátio frequens, insígnis in páuperes cáritas. Sanctitátis ac prudéntiæ fama célebris meritísque cumulátus beáto fine quiévit. Post felícem éxitum a multis tamquam patrónus invocári cœpit, quorum fidem plúribus miráculis Deus commendávit.

In Laudibus, Commemor. Oct. SS. Innocent. et S. Eumachii Aña. Euge. *et* ℣. Justum.

DIE XIV. JANUARII.

S. Hilarii

Episc. Conf. et Eccl. Doct. Duplex majus.

Omnia de Communi Conf. Pont. (m. t. v.), *præter seq.*

Ad vesperas.

Vesp. de Oct. Epiph. cum Comm. S. Hilarii et S. Felicis Presb. Mart. ut infra.

Si quando Vesp. de S. Hilario dicendæ sint integræ, tunc Psalmi ut in j. Vesperis de Comm. Apost.

Añæ. 1. Beátus Hilárius, Pictavórum urbis Epíscopus, regiónis Aquitániæ pártibus oriúndus, nobilitátis lámpade non obscúrus.

2. O quam perfectíssimum láicum, cujus imitatóres esse desíderant ipsi sacerdótes!

3. Concordánte pópuli favóre, Spíritu Dei proclamánte, sacris altáribus sacérdos fuit eléctus.

4. Hilárius Epíscopus, timóre nudus, fídei fervóre vestítus, inter hæreticórum gládios se ingerébat, Christi caritáte secúrus.

5. Vir sacer Hilárius, quanto pro nómine Christi lóngius discedébat a solo próprio, tanto merebátur fíeri vicínior coelo.

℣. Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine. ℟. Et de lege tua docúeris eum.

Ad Magnif. Aña. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Hilári, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut excelléntiam Verbi tui, quam beátus Hilárius Póntifex et Doctor egrégius constánter asséruit, et conveniénter intellígere valeámus, et verácìter profitéri. Per eúmdem Dóminum.

Pro Commem. S. Felicis Presb. et Mart., Aña. Iste sanctus. ℣. Glória et honóre.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus : ut ad meliórem vitam Sanctórum tuórum exémpla nos próvocent; quátenus quorum solémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum.

Ad matutinum.

In primo Nocturno.

De Epístola prima beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. *Cap.* j.



Uod fuit ab inítio, quod audívimus, quod vídimus óculis nostris, quod perspéximus, et manus nostræ contrectavérunt de verbo vitæ : (et vita manifestáta est, et vídimus, et testámur, et annuntiámus vobis vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem et appáruit nobis); quod vídimus et audívimus, annuntiámus vobis, ut et vos societátem habeátis nobíscum, et socíetas nostra sit cum Patre, et cum Fílio ejus Jesu Christo. Et hæc scríbimus vobis ut gaudeátis, et gáudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiátio, quam audívimus ab eo, et annuntiámus vobis : quóniam Deus lux est, et ténebræ in eo non sunt ullæ. Si dixérimus quóniam societátem habémus cum eo, et in ténebris ambulámus, mentímur, et veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus, sicut et ipse est in luce, societátem habémus ad ínvicem, et sanguis Jesu Christi Fílii ejus emúndat nos ab omni peccáto.

℟. Euge serve bone et fidélis.

Lectio ij. *Cap.* ij.



Ilíoli, novíssima hora est : et sicut audístis, quia antichrístus venit, et nunc antichrísti multi facti sunt : unde scimus, quia novíssima hora est. Ex nobis prodiérunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuíssent ex nobis, permansíssent útique nobíscum : sed ut manifésti sint quóniam non sunt omnes ex nobis. Sed vos unctiónem habétis a Sancto, et nostis ómnia. Non scripsi vobis quasi ignorántibus veritátem, sed quasi sciéntibus eam : et quóniam omne mendácium ex veritáte non est. Quis est mendax, nisi is qui negat quóniam Jesus est Christus? Hic est antichrístus, qui negat Patrem et Fílium. Omnis qui negat Fílium, nec Patrem habet : qui confitétur Fílium, et Patrem habet. Vos quod audístis ab inítio, in vobis permáneat. Si in vobis permánserit quod audístis ab inítio, et vos in Fílio et Patre manébitis. Et hæc est repromíssio, quam ipse pollícitus est nobis, vitam ætérnam.

℟. Ecce sacérdos.

Lectio iij. *Cap.* iv. *et* v.



Aríssimi, nolíte omni spirítui crédere, sed probáte spíritus si ex Deo sint : quóniam multi pseudoprophétæ exiérunt

in mundum. In hoc cognóscitur spíritus Dei : omnis spíritus qui confitétur Jesum Christum in carne venísse, ex Deo est : et omnis spíritus qui solvit Jesum, ex Deo non est; et hic est antichrístus, de quo audístis quóniam venit, et nunc jam in mundo est. Vos ex Deo estis, filíoli, et vicístis eum, quóniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo. Qui credit in Fílium Dei, habet testimónium Dei in se. Qui non credit Fílio, mendácem facit eum : quia non credit in testimónium quod testificátus est Deus de Fílio suo. Et hoc est testimónium, quóniam vitam ætérnam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Fílio ejus est. Qui habet Fílium, habet vitam : qui non habet Fílium, vitam non habet. Hæc scribo vobis, ut sciátis quóniam vitam habétis ætérnam, qui créditis in nómine Fílii Dei.

℟. Jurávit Dóminus.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Hilárius, in Aquitánia nóbili génere natus, doctrína et eloquéntia excélluit. Qui primum in matrimónio quasi mónachi vitam egit : deínde propter singuláres virtútes Pictavórum epíscopus creátur : quod munus episcopáte sic gessit, ut a fidélibus summam laudem consequerétur. Quo témpore, quum terróribus, bonórum spoliatióne, exsílio, et omni crudelitáte Constántius imperátor Cathólicos vexáret, nisi ad Ariánas partes transírent, Hilárius tamquam firmíssimum murum se Ariánis oppónens, illórum furórem in se concitávit. Itaque multis petítus insídiis, tandem dolo Saturníni Arelaténsis epíscopi, de synodo Biterrénsi in Phrygiam relegátus est : ubi et mórtuum suscitávit, et libros duódecim scripsit de Trinitáte contra Ariános.

℟. Invéni David.

Lectio v.



Quadriénnio post coácto concílio ad Seleucíam Isáuriæ urbem, Hilárius adésse compúlsus est : ac deínde Constantinópolim proféctus, ubi extrémum fídei perículum animadvértit, tribus libéllis públice datis, audiéntiam imperatóris popóscit, ut de fide cum adversáriis coram disputáret. Verum quum Ursácius et Valens Ariáni epíscopi, quos Hilárius scriptis confutárat, præséntis eruditiónem pertiméscerent, Constántio persuasérunt, ut spécie honóris eum in suum episcopátum restitúeret. Tunc Hilárium e prœlio hæreticórum reverténtem, ut inquit sanctus Hierónymus

mus, Galliárum Ecclésia compléxa est : quem ad episcopátum secútus est Martínus, qui póstea Turonénsi præfuit Ecclésiæ : tantúmque illo doctóre profécit, quantum ejus póstea sánctitas declarávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Magna deínceps tranquillitáte Pictavórum Ecclésiam administrávit; Galliámque univérsam addúxit, ut Arianórum impietátem condemnáret. Multos libros scripsit mira eruditióne : quos omnes sanctus Hierónymus ad Lætam, sine ulla erróris suspicióne legi posse testátur illis verbis : Hilárii libros inoffrénso decúrras pede. Migrávit in cœlum Idibus Januárii, Valentiniáno et Valénte imperatóribus, anno post Christum natum trecentésimo sexagésimo nono. Eum a multis Pátribus et concíliis insígnem Ecclésiæ Doctórem nuncupátum, atque uti talem in áliquot diœcésibus cultum, tandem, instánte synodo Burdigalénsi, Pius nonus, Póntifex máximus, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, univérsæ Ecclésiæ Doctórem declarávit et confirmávit : ac ipsíus festo die missam et offícium de Doctóribus ab ómnibus recitári jussit.

℟. Iste est.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* x.

In illo témpore : Circumdedérunt Jesum Judæi, et dicébant ei : Quoúsque ánimam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi. *Lib. contr. Constantium. n.* I.

Tempus est loquéndi : quia jam prætériit tempus tacéndi. Christus exspectétur : quia obtínuit antichrístus. Clament pastóres : quia mercenárii fugérunt. Ponámus ánimas pro óvibus, quia fures introiérunt, et leo sæviens círcuit. Ad martyrium per has voces exeámus : quia ángelus Sátanæ transfigurávit se in ángelum lucis. Intrémus per jánuam : quia nemo vadit ad Patrem nisi per Fílium. Manifesténtur in pace sua pseudoprophétæ : quia in hæresi et schísmate manifestabúntur probáti. Sustineátur tribulátio, qualis non fuit a constitutióne mundi : sed intelligántur breviándi dies propter eléctos Dei. Stemus ante júdices et potestátes pro Christi nómine : quia beátus est, qui usque in finem perseveráverit. *Non timeámus eum qui potest corpus occi-

dere, ánimam autem non potest : sed timeámus eum qui potest corpus et ánimam occídere in gehénnam. Nec sollíciti de nobis simus : quia capílli cápitis nostri numeráti sunt. Et per Spíritum sanctum sequámur veritátem : ne per spíritum erróris credámus mendácio. Et commoriámur Christo, ut Christo conregnémus. Ultérius enim tacére, diffidéntiæ signum est, non modéstiæ rátio : quia non minus perículi est semper tacuísse, quam nunquam.

℟. Amávit eum Dñus.

Lectio viij. *n.* 3. 4.

Nunc mihi non ália ad dicéndum causa, quam Christi est : cui et hoc débui, quod usque nunc tácui; et ex réliquo me intélligo debére, ne táceam. Atque útinam illud pótius, omnípotens Deus, et universórum creátor, sed et uníus Dómini nostri Jesu Christi Pater, ætáti meæ et témpori præstitísses, ut hoc confessiónis meæ in te atque in Unigénitum tuum ministérium Neroniánis Decianísve tempóribus expléssem! Nec ego, per misericórdiam Dómini et Dei Fílii tui Jesu Christi calens Spíritu sancto, equúleum metuíssem, qui deséctum Esaíam scissem : nec ignes timuíssem, inter quos Hebræos púeros cantásse meminíssem : nec crucem ac fragménta crurum meórum vitássem, postquam in paradísum translátum latrónem recordárer : nec profúndum maris et Póntici æstus absorbéntem rheumam trepidássem, quum per Jonam et Paulum docuísses fidélibus esse in mari vitam. ¶ Advérsus enim absolútos hostes tuos felix mihi illud certámen fuísset; quia nec dúbium relinquerétur, quin persecutóres essent, qui ad negándum te pœnis, ferro, igni compéllerent : neque ad testificándum plus tibi nos, quam mortes nostras licéret impéndere. Pugnarémus enim palam et cum fidúcia contra negántes, contra torquéntes, contra jugulántes : et nos pópuli tui, tamquam duces suos, ad confessiónis religiónem intelligéntia persecutiónis públicæ comitaréntur.

℟. In médio.

Pro S. Felice Presb. et Mart.

Lectio ix.

Felix Nolánus, présbyter, cum in idóla veheméntius inveherétur, ab infidélibus várie vexátus, in cárcerem conjícitur. Unde ab ángelo nocte edúctus, quærere jussus est Maximiánum, Nolæ epíscopum : qui, cum sénio conféctus desperáret se ferre posse supplícia persequéntium, se abdíderat in sil-

vam. Quo cum Felix Deo duce pervenísset, sanctum Epíscopum humi jacéntem pene mórtuum videt: quem recreátum ac sublátum in húmeros, apud fidélem víduam reficiéndum curávit. Sed cum is íterum idolórum cultóres impietátis argúeret, facto in ipsum ímpetu, fúgiens in angústo duórum paríetum intervállo se occultávit. Qui áditus cum repénte araneárum telis pertéxtus visus esset, némini recéntis látebræ suspiciónem relíquit. Inde ígitur evádens Felix, in ædibus piæ mulíeris tres menses látuit. Cum vero Dei Ecclésia requiéscere cœpísset, Nolam rédiens, multísque ibi vitæ exémplis et doctrínæ præcéptis miraculísque ad Christi fidem convérsis, constánter étiam recusáto ejus urbis episcopátu, obdormívit in Dómino, sepultúsque est prope Nolam, in loco quem in Pincis appellábant.

Te Deum laudámus.

Ad laudes,

et per Horas, Añæ.

1. Hilárius, * latínæ eloquéntiæ Rhódanus, Gallus ipse et Pictávis génitus, in cujus libris píetas fídei non vacíllat.

2. Sanctus * Hilárius inter mundi procéllas magnus fuit Ecclésiæ sustentátor, occidentális tuba contra Ariános.

3. Auctoritátis * non mediócris in tractatióne Scripturárum et assertióne fídei vir éxstitit Hilárius.

4. Hilárius * Gallicáno cothúrno attóllitur, et Græciæ flóribus adornátur.

5. Altas Scripturárum * abyssos in médium reveréntér addúcens, illumináta mente cónspici facit.

Capit. Hymn. etc. de Comm.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut excelléntiam Verbi tui, quam beátus Hilárius Póntifex et Doctor egrégius constánter asséruit, et conveniénter intellígere valeámus, et veráciter profitéri. Per Dóminum.

Deinde Comm. S. Felicis Mart. Aña. Qui odit. ℣. Justus.

In vesperis,

Psalmi ut in j. Vesp. de Comm. Apost. et loco ult. Ps. Meménto, Dómine, David.

Añæ. 1. Cathólicus sum, nolo esse hæréticus; Christiánus sum, non Ariánus.

2. Epíscopus ego sum; éxsulo autem non crímine, sed factióne.

3. Mihi metus est de mundi perículo, de siléntii mei reátu, de judício Dei.

4. Mélius mihi in hoc sæculo mori quam, alicújus poténtia dominánte, castam veritátis corrúmpere virginitátem.

5. Ad martyrium exeámus: commoriámur Christo, ut Christo conregnémus.

Capit. et Hymn. de Comm. ℣. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes. ℟. Et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Ad Magnif., *Aña.* O Doctor óptime. *ut in* 1. *Vesp.*

Deinde pro Commem. S. Pauli primi Eremitæ, *Aña.* Similábo. ℣. Amávit. *Oratio.* Deus, qui. *ut in Breviario Romano.*

Pro Comm. S. Mauri Abb. *Aña.* Euge. ℣. Justum. *de Laud.*, *Oratio.* Intercéssio.

DIE XV. JANUARII.

S. Pauli

Primi Eremitæ.

Omnia ut in Breviario, præter Lect. seq.

Pro S. Mauro, Lectio ix.



Aurus, nóbilis Románus, puer a patre Eutychio Deo sub sancti Benedícti disciplína oblátus, brevi tantum divína grátia profécit, ut ipsi magístro admiratióni esset : qui illum sæpe véluti reguláris observántiæ et virtútum ómnium spécimen céteris discípulis ad imitándum proponébat. Cujus adhuc adolescéntis illud admirábilis obediéntiæ exémplum a sancto Gregório Papa commemorátur. Nam cum Plácidus mónachus, in lacum prolápsus, aquárum ímpetu raperétur, sancti Patris jussu accúrrens Maurus, et super aquas incédens, sócium capíllis apprehénsum ad terram attráxit. Missus in Gálliam ab eódem sancto Benedícto, célebri monastério exstrúcto, cui annos quadragínta præfuit, monásticam disciplínam mirífice propagávit. Ejus étiam ópera Albæ Terræ, diœcésis olim Petrocorénsis, nunc autem Engolisménsis, cœnóbium légimus fuísse fundátum. Dénique sanctitáte et miráculis clarus, septuagenário major migrávit in cœlum, anno salútis quingentésimo sexagésimo quinto.

DIE XXIII. JANUARII.

In Desponsatione B. Mariæ Virg.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

In primis Vesp. Comm. S. Joseph, SS. Vincentii et Anastasii Martyrum ac S. Emerentianæ.

Nona Lect. S. Emerentianæ, ejusque Commem. in Laud. post Comm. S. Joseph.

In secundis Vesp. Comm. S. Joseph et seq.

DIE XXX. JANUARII.

S. Bathildis

Francorum Reginæ, Vid.

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., præter sequentia.

Vesp. a Cap. de S. Bathilde.

Oratio.

Deus, qui beátam Bathíldem regínam a sæculi pompa ad crucis humilitátem transíre docuísti : concéde; ut ejus intercessióne et exémplo, discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre. Qui vivis.

Et fit Commem. S. Francisci Salesii, Aña. O Doctor. ℣. Justum dedúxit.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Bathíldis, in Anglia Sáxonum génere orta, a prædónibus Ercunváldo, majóri domus régiæ, véndita, ab eo ad porrigénda sibi pócula adhíbita est; ac demum, mórtua cónjuge, in uxórem expetíta. Quas illa ut vitáret núptias, látebras quæsívit : sed póstmodum ob exímias córporis et ánimi dotes, ad Clodovéi secúndi conjúgium insperáto pertráhitur. Tum páuperes et ecclésias Clodovéo studióse commendávit : quod ádeo gratum fuit príncipi, ut Genésium abbátem, póstea Lugdunénsem epíscopum, regínæ piis opéribus exsequéndis adjutórem déderit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Mortuo Clodovéo, trium filiórum, Clotárii, Childeríci et Theodoríci, quorum natu máximus vix quintum annum attígerat, tutélam gessit; regnúmque ac palátium, consíliis Chrodobérti, Parisiénsis epíscopi, et Audoéni, Rothomagénsis, sapientíssime moderáta est. Multa præcláre sanxit. Simoníacas ordinatiónes abolévit hortátu sacerdótum; prohíhuit ne quis christiános vénderet éxteris, aut álio vendéndos abdúceret; plures étiam a servitúte suis súmptibus redémit. Quin et Romam usque, ad beatórum Petri et Pauli basílicas vel ad Urbis páuperes sæpius larga múnera diréxit. Effécit ut, Pontíficum et Abbátum stúdio, reguláris disciplína in monastériis sanctórum Dionysii, Germáni, Petri, Medárdi, Aniáni, Martíni, et áliis, aut servarétur, aut restitueréhtur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

Corbéiæ ad Súminam cœnóbium exstrúxit, aliúdque Calæ ad Mátronam, in quo, relícta Clotário jam adúlto régia administratióne, ipsa suscépto religiónis hábitu, sub obediéntia Bertíllæ abbatíssæ, ómnibus exémplo et admiratióni fuit; ibíque

mórtua est, ætátis suæ anno quinquagésimo quinto. Ejus relíquiæ etiámnum Calæ, in ecclésia sancti Andréæ, asservántur.

℞. Fallax grátia.

In tertio Nocturno.

Homil. in Ev. Símile est regnum cœlórum thesáuro. *de Comm. non Virg.*

Vesp. a Capit. de S. Petro Nolasco, cum Commem. sanctæ Bathildis.

FERIA III.
POST DOMIN. SEPTUAG.

Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

FERIA III.
POST DOMIN. SEXAGES.

Commemor. Passionis D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

FERIA VI. POST CINERES.

S. Spineæ Coronæ D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

FESTA FEBRUARII.

DIE IV. FEBRUARII.

B. Joannæ Valesiæ

Viduæ.

Duplex.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

Vesp. a Cap. de S. Agatha, Comm. S. Joannæ Valesiæ.

DIE VI. FEBRUARII.

S. Andreæ Corsini

Episcopi Confessoris.

Duplex.

Ut in Breviario Romano die iv. Februarii.

Vesp. a Capit. de S. Andrea cum Comm. S. Agathæ et S. Dorotheæ Virg. Mart.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In Quadrag. vero Lect. Fidélis sermo. *de Communi, cum Lect. ix. de Homil. Feriæ et ejusd. Commem. in Laud. ante Commem. simpl.*

Extra Quadrag. Lect. ix. de S. Dorothea, ejusque Commem. in Laud.

Vesp. a Cap. de S. Romualdo, Com. S. Andreæ Corsini.

DIE XI. FEBRUARII.

S. Raymundi de Pennafort

Confessoris.

Semiduplex.

Ut in Breviario Romano die XXIII. Januarii.

In Quadrag., Lect. j. Noct. Justus. *de Comm. j. loco. Lect. ix. de Hom. Fer., ejus-*

que Commem. in utrisque Vesp. et Laud.

Vesp. de seq., Comm. præc.

DIE XII. FEBRUARII.

S. Titi

Episcopi Confessoris.

Duplex.

Ut in Breviario Romano die VI. Februarii.

In Quadrag. Lect. primi Noct. Fidélis sermo. *de Comm., primo loco. Lect. Nona de Hom. Fer., ejusque Comm. in utrisque Vesp. et Laud.*

Vesp. a Cap. de seq.

DIE XIII. FEBRUARII.

S. Cæsarii

Archid. Engolismen. Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. (m. t. v.) *præter sequentia.*

Oratio.



Deus, fidélium remunerátor animárum, qui nobis beáti Cæsárii Confessóris tui solemnitátem exsultántibus ánimis dedísti celebráre : præsta, quæsumus; ut gloriosíssimis ejus précibus hic indulgéntiam peccatórum ássequi valeámus, et in regióne vivéntium gáudiis perfruámur ætérnis. Per Dñum.

Comm. S. Titi et Feriæ in Quadrag.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr; in Quadrag. Beátus vir. *de Comm., secundo loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



Cæsárius, vir rectus et simplex, beáti Ausónii, primi Engolisménsis epíscopi, tempóribus flóruit. Hic quum ejus doctrínam satis perspéctam habéret, et exímias virtútes, præsértim pietátem in Deum, et in páuperes misericórdiam admirarétur, lucérnam ab ipso Dómino accénsam non passus est sub módio latére, sed in candelábro pósuit, ut totam civitátem collustráret.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Cæsárium ígitur ad diaconátus evéxit dignitátem; imo vidétur primátum inter Ecclésiæ suæ diáconos ipsi dedísse, ita ut quo Stéphanus Hierosólymæ functus esset offício, eo Cæsárius Engolísmæ fungerétur; unde in vetustíssimis monuméntis Archidiáconi título légitur insignítus. Eo in múnere ejúsdem gloriosíssimi viri vestígiis inhærére satagébat, et cum bona sua, tum dona a divítibus accépta distribuébat egéntibus.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.



Sepúltus est Cæsárius confessor juxta mártyrem Ausónium, juxta sacerdótem levíta, et cum ipso a piis christiánis

coli et invocári cœpit. Mox super ambórum túmulum exstrúcta est ecclésia beáto Ausónio dedicáta, quo pópulus fidélis conflúxit sacra eórum córpora veneratúrus, donec, vergénte sexto décimo sæculo, ab hæréticis vastáta ecclésia, pretiosíssimæ relíquiæ in ignem conjéctæ sunt et combústæ.

℞. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Nolíte timére. *de Comm., ij. loco. In Quadr., Lect. nona de Hom. Feriæ, ejusque Comm. in Laud.*

Vesp. a Capit. de seq.

DIE XIV. FEBRUARII.

S. Genovefæ

Virginis.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg., præter sequentia.

In j. vesperis.

℣. Spécie tua.

Ad Magnif. Aña. Sponsa Dei Genovéfa, tuæ plebis memor esto, quæ dum natális tui festa célebrat, auxílium sibi a te poscit.

Oratio.

Effúnde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti : ut sédula ejus imitatióne tibi sincére obsequéntes, fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum.

Pro Comm. praec., Aña. Hic vir. ℣. Justum dedúxit.

In Quadr. Comm. Feriæ.

Deinde S. Valentini Presbyteri et Martyris, Aña. Iste sanctus. ℣. Glória.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui beáti Valentíni Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus ejus intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.; in Quadr. De virgínibus.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Genovéfa, Nemptodúri in agro Parisiénsi, Sevéro et Geruntia paréntibus nata, inaudítæ virtútis splendóre a téneris annis cláruit. Germánus Autissiodorénsis in Británniam transmissúrus cum Lupo Trecénsi, ut Pelagiánæ hæresis relíquias profligáret, conjéctis in eam óculis, Deo caram et vitæ sanctitáte illústrem fore prædíxit. Ab ea cum postulásset num virginitátem Deo vellet consecráre, Genovéfa, vultu ad modéstiam compósito, statim respóndit id unum se veheménter optáre. Germánus ítaque ecclésiam frequénti pópulo ingréssus, puéllæ manus impósuit, et

inter crebros psalmórum concéntus prolixásque oratiónes Vírginem consecrávit. Postrídie sciscitánti an voti jam emíssi memor esset, mémorem vero se et in eo propósito permansúram, Deo operánte, asseverávit. Ille nummum æreum signo crucis insignítum, nec sine Dei nutu, humi conspicátus, collégit, Vírgini dedit, præcepítque ut collo appénsum gestáret, nec ullis deínceps monílibus, quæ sponsæ Christi non convéniunt, ornári se paterétur.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Miraculórum dono et multitúdine excélluit, máxime circa energúmenos, quos óleo consecráto inúngens, a dæmonum tyránnide liberábat. Plúrima prophético spíritu edíxit; atque imprímis, accedénte Attila, Hunnórum rege, cives Parisiénses adhortáta est ne, relíctis sédibus, fortúnas suas álio transférrent, urbem pollícita, subvérsis áliis munitióribus, perstitúram. Rei veritátem probávit evéntus; idque Genovéfæ patrocínio datum. Grassánte deínde fame, et in máxima annónæ caritáte, urbem magna fruménti cópia, et páuperes innúmeros erogátis pánibus sustentávit. Neque tamen tot éditis miráculis effúgere pótuit quin malevolórum ódio et contuméliis premerétur. Germánus, in Británniam íterum profectúrus, eam ádiit, et váriis impetítam calúmniis divíno elóquio consolátus est; habitáque gravi ad pópulum oratióne, quanti esset apud Deum mériti expósuit, et locum in quo preces illa fundébat lácrymis ejus madefáctum osténdit. Ab anno ætátis décimo quinto ad usque quinquagésimum, Domínica tantum die et quinta féria jejúnium solvit, sumpto pane hordeáceo ac módico pulménto, quod ante quíndecim dies coctum, ut minus sápidum esset, frígida aqua temperábat. Post id tempus, suadéntibus Epíscopis, quibus non obtemperáre nefas putábat, piscículis et lacte usa est.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

Neque vero intra Gálliæ límites tanta virtus continéri pótuit. Símeon ille Stylítes, audíta tot miraculórum fama, ejus se précibus vóluit commendátum. Méritis reférta, migrávit ad Dóminum anno quingentésimo duodécimo, ætátis suæ octogésimo nono, tértio Nonas Januárii. Sepúlta est in basílica sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, quam, ipsa suadénte, Clodovéus rex fundáverat; cui

deínde, procéssu ævi, sanctæ Genovéfæ nomen índitum fuit : atque ibi illíus opem in públicis privatísque calamitátibus sæpius expérti Parisiénses, eam sibi mérito Patrónam adscivérunt. Mediánte autem sæculo décimo octávo, cum vetus Genovéfæ templum ruinósum esset, Ludovícus décimus quintus, rex christianíssimus, a gravi morbo recreátus, novam ædem vovit, urbe príncipe ejúsque Patróna dignam : cujus ipse, anno millésimo septingentésimo sexagésimo quarto, lápidem primárium pósuit. Elápsis vero sexagínta circiter annis, post sedátas Gálliæ procéllas pacémque rédditam, Ludovícus décimus octávus conspícuam ædem, plaudéntibus bonis ómnibus, divíno cúltui tandem restítuit. Quaprópter, anno supra millésimum octingentésimo vigésimo secúndo, beátæ Genovéfæ die festo recurrénte, novam ecclésiam Hyacínthus Ludovícus, Parisiénsis archiepíscopus, rite benedíxit, sanctæ Vírginis relíquiis, divérsis e locis in quibus colebántur, in illam advéctis.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Nocturno.

Homil. in Evang. Símile erit ... decem virgínibus. *de Comm. primo loco. In Quadrag., nona Lect. de Hom. Feriæ.*

In laudibus,

℣. Diffúsa est.

Ad Bened. Aña. Dóminus, per fímbrias étiam vestiménti Genovéfæ, sibi diléctæ Vírginis, super ægrótos ac váriis deténtos languóribus sanitátum remédia sæpius osténdere dignátus est.

Oratio.

Effúnde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti : ut sédula ejus imitatióne tibi sincére obsequéntes, fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum.

Comm. Fer. in Quadrages. Deinde S. Valentini Aña. Qui odit. ℣. Justus.

In ij. vesperis,

℣. Diffúsa est.

Ad Magnif. Aña. Felíci cursu longa vitæ spátia eménsa est, peregrína mundo, venerábilis pópulo, devóta Christo, allelúia.

Commem. S. Martinæ Virg. et Mart. Aña. Veni, sponsa Christi. ℣. Spécie.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius; ut, qui beátæ Martínæ, Vírginis et Mártyris tuæ, natalítia cólimus, per ejus

ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

In Quadrag., Commem. Feriæ.

Deinde SS. Faustini et Jovitæ Mart., Aña. Istórum. ℣. Lætámini.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Faustíni et Jovítæ solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

DIE XV. FEBRUARII.

S. Martinæ

Virginis Martyris.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario Romano die XXX. Januarii.

Ad Matutinum, Hymn. Martínæ célebri. *usque ad finem; nona Lect. SS. Faustini et Jovitæ Mart.* (*in eodem Breviario Romano hodie*) *eorumque Commem.*

In Quadrag. Lectio ix. de homil. Fer. ejusque Comm. in Laud. ante Comm. simplicis.

In ij. Vesp., Hymn. Martínæ célebri. *ut indicatur in Breviario, et Comm. Feriæ in Quadrag.*

FESTA MARTII.

DIE I. MARTII.

S. Amantii Buxiens.

Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Amántium Confessórem tuum in ábditos silvárum recéssus, ut ad cor ejus loqueréris, vocáre dignátus es : præsta, quæsumus; ut, ejus exémplo vana transeúntis mundi commércia devitántes, tuo tandem in cœlis collóquio pérfrui mereámur. Per Dóminum nostrum.

In Quadr. Comm. Fer.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.; in Quadrag., Beátus vir. *de Comm. ij. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Amántius, Burdígalæ nóbili génere ortus, defúnctis paréntibus, qui eum sédulo evangélicis doctrínis curáverant imbuéndum, património paupéribus distribúto, primum calceaménta, beatórum instar Mártyrum Crispíni et Crispiniáni, consúere non erúbuit. Mox martyrii desidério æstuans, de terra et cognatióne sua exíre deliberávit; sed ventis navem, quam conscénderat ut Hispániam péteret, retro feréntibus, ad littus Carantónicum cógitur appéllere : unde in solitúdinem quamdam ingréssus pagi Santónici, longo témpore vitam ibi duxit eremíticam, donec fama beáti Epárchii instín-

ctus venit Engolísmam, ut se illíus regímini subjíceret.
℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Porro non longe a civitáte silva erat densíssima, cui nomen Búxea; illuc jubet Epárchius Amántium secédere. Qui cum ad prædíolum Varnum nómine pervenísset, Tibérius présbyter, admirátus quod ante virum Dei ecclésiæ suæ fores, quas ipse occlusísset, quasi sponte panderéntur, ad pedes ejus cum ómnibus sodálibus se prostrávit, eúmque patrem appellávit. Iis ad vitam perfectiórem, beáti Epárchii consílio, sapiénter institútis, postquam cum ipsis aliquámdiu ob ædificatiónem commorátus esset, intra silvam ultérius progréditur Amántius, sedémque sibi constítuit in loco ádmodum solitário, et béstiis tantum pérvio, juxta vetus altáre sancto Petro Apóstolo dicátum, quod solum ex antíqua illic a christiánis olim ædificáta basílica supérerat.
℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Hic cœlésti visióne admónitus colúmnam altíssimam erigéndam curat, æmulus beáti Simeónis, in qua diu libérius oratióni vacávit, et supérnis inhiávit. Vix dici potest quot et quanta advérsus diábolum certámina fortis athléta sustinúerit, quibus torméntis innóxium corpus cruciáverit, simúlque quam multis et insígnibus miráculis servi sui sanctitátem Deus dignátus sit declaráre. Tandem Kaléndis Mártii, parúmper ante febre attáctus, viático sumpto, plácide rebus excéssit humánis. Ad ejus túmulum brevi monastérium exstrúctum est, quod póstea, útpote in loco inaquóso situm, Guliélmus comes ad ripas Javári, in campum ab epíscopo Rohóne datum, transferéndum curávit, translátis quoque pretiósis beáti viri relíquiis in amplíssimam ecclésiam, quæ, díruto monastério, usque ad hodiérnam diem mansit.
℟. Iste homo perfécit.

In tertio Nocturno.

Homil. in Evang. Nolíte timére. *secundo loco. In Quadrag., nona Lectio de Hom. Fer., ejusque Comm. in Laud.*

In Vesp., Comm. seq. et, in Quadrag., Feriæ.

DIE II. MARTII.

S. Albini

Episcopi Confessoris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio. Da, quæsumus.

In primo Nocturno.

Lect. de Scrip. occurr.; in Quadrag., Fidélis sermo.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Albínus, Venétiæ in Armóricis claro génere ortus, relíctis a púero propter amórem Christi paréntibus, in Cincillacénsi cœnóbio vitam religiósam ardénter ampléxus est. Ibi omni virtútum génere, sed obediéntia potíssimum et humilitáte cláruit. Accedébat pia in edomándo córpore crudélitas, atque in frenándis, jejuniórum, vigiliárum et oratiónum ope, cupiditátibus, invícta constántia. Anno ætátis quinto et trigésimo, ejúsdem monastérii Abbas creátus, illud singulári vigilántia rexit annos quinque et vigínti, nulla omníno re prætermíssa, quæ ad reguláris disciplínæ integritátem pertinéret.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Exínde lóngius diffúsa virtútum fama, Andegavénsi Ecclésiæ, multum licet repúgnans, præpósitus, in eo múnere ita se gessit, ut gregi suo semper inténtus, páuperes páscere, ægros invísere, redímere captívos, ceteráque christiánæ caritátis offícia exercére non desísteret. Ecclesiásticæ disciplínæ vindex ac propugnátor éxstitit acérrimus. Cumque nec potentiórum grátia flecti, nec regum poténtia frangi posset, pro eo quo veheménter ardébat martyrii stúdio, máximis perfúnctus labóribus et ærúmnis, in cápitis discrímen plerúmque venit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Multis per vitam et post mortem miráculis cláruit. Adolescénti mórtuo vitam, plúrimis cæcis visum réddidit; dæmones ex hóminum corpóribus ejécit. Anno tandem ætátis octogésimo, íniti autem pontificátus vigésimo, mense sexto, Kaléndis Mártii, felícem ánimam Deo réddidit. Ejus vero sacrum corpus, jamprídem veneratióni fidélium exhíbitum, Gerárdus, epíscopus Engolisménsis et Apostólicæ Sedis legátus, præséntibus multis Epíscopis, Kaléndis Mártii anni supra millésimum centésimi vicésimi octávi, in novam capsam argénto et auro fabre elaborátam tránstulit. Magno semper in honóre hábitus est apud nos sanctus Albínus, et ejus festum quotánnis solémni ritu celebrabátur.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Hom. in Ev. Homo péregre. *de Communi j. loco; Lect. ix. de Hom. Fer., ejusque Commem. in Laudibus et Vesperis.*

IN SUFFRAGIIS SANCTORUM.

Commemoratio SS. Ausonii et Eparchii

PATRONORUM DIOECESIS ENGOLISMENSIS.

Ad vesperas,

Aña. Hos Dóminus nobis dedit, ut eórum conversatiónem intueámur, fidem imitémur et patrocíniis adjuvémur.

Ad laudes,

Aña. Isti sunt duo viri misericórdiæ, qui assístunt ante Dóminum, ut intercédant pro nobis.

℣. Oráte pro nobis, sancti Ausóni et Epárchi. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Deus, qui nos beatórum Ausónii et Epárchii doctrínis et exémplo docuísti : præsta, quæsumus; ut, eórum interveniéntibus méritis, supernórum cívium mereámur adscísci consórtio. Per Dóminum.

Concordat cum exemplari authentico quod in Archivis Curiæ Nostræ asservatur.

Engolismæ, die 8 Decembris 1884.

L. † S. ✠ A. L. Ep. Engolismensis.



Imprimatur.
Tornaci, die 27 Maii 1885.
AUG. LEROY Vic. Gen.

Index Festorum.



Typis Soc. S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. — Tornaci.

10

Proprium Officiorum Dioecesis Engolismensis

a Sacra Rituum Congregatione
approbatum Anno 1884
ac de mandato Illmi et Remi
DD. Alexandri Leopoldi Sebaux
Episcopi Engolismensis
editum.

Pars Terna.





Tornaci Nerviorum, Typis
Societatis S. Joannis Evang.
Desclée, Lefebvre et Soc. M.DCCC.LXXXV.

165

Engolismen.


T Kalendario perpetuo et Proprio Officiorum ac Missarum in usum Diœceseos Engolismen. nonnulla insererentur Cœlitum Festa, quorum celebratio penes Clerum et populum maxime erat in votis, atque insimul additamenta ac variationes, quæ, volventibus annis, in iisdem Kalendario et Proprio locum habuerunt, ad accuratiorem ordinem disponerentur; Rmus Dominus Alexander Leopoldus Sebaux Episcopus Engolismen. una cum Capitulo suæ cathedralis Ecclesiæ, Kalendarium ipsum et Proprium reformare aggressus est, omne adhibens studium, quatenus cuncta in iis Rubricarum præscriptionibus, et Sanctæ Sedis Decretis apprime responderent: hæc autem omnia, sic apte concinnata, supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII sanctioni demississime subjecit.

Placuit vero eidem Sanctissimo Domino Nostro præfati Kalendarii ac Proprii examen Sacræ Rituum Congregationi committere, quæ, post exquisitum votum in scriptis unius ex Consultoribus Congregationis ipsius, omnibus accurate perpensis, idem Kalendarium ac Proprium a se emendatum atque ordinatum, prouti huic præjacet Decreto, probari posse censuit. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua, referente infrascripto Secretario, ratam habens, concedere dignata est, ut a Clero totius Diœceseos Engolismen. Sæculari ac Regulari, Diœcesano Kalendario utente, tam in Horis Canonicis persolvendis, quam in Missis celebrandis suprascriptum Kalendarium ac Proprium in posterum adhibeatur; attamen sub conditione, ut duplex omnium authenticum exemplar ad ipsam Sacram Congregationem transmittatur statim ac typis ea impressa fuerint. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 Januarii 1884.

D. Cardinalis Bartolinius S. R. C. Præfectus.

L. † S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

Nos, Alexander Leopoldus,

Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia
Episcopus Engolismensis.


ER præsentes decernimus ac mandamus ut Kalendarium et Proprium Officiorum ac Missarum a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII per organum S. Rituum Congregationis sub die 24 Januarii 1884 approbatum, a die 1a Januarii 1885 ab universo Diœcesis Engolismensis Clero tam in horis canonicis persolvendis quam in missis celebrandis perpetuo adhibeatur.

Et juxta Summorum Pontificum Constitutiones, RR. DD. Desclée, Lefebvre et Soc. potestatem facimus Kalendarium et Proprium prædictum, sub modo et forma in exemplari a S. Rituum Congregatione adnotatis, typis dandi atque evulgandi, sive seorsim a Breviario et Missali Romano cudatur, sive appendicis loco ipsis Breviario ac Missali adjiciatur.

Datum Engolismæ sub signo sigilloque Nostris, necnon Cancellarii Nostræ Curiæ subscriptione, die decima nona Martii, anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo quarto.

A. L. Episcopus Engolismensis.

L. † S.

De mandato Illmi ac Rmi Dni Episcopi
G. Tortelli, c. c.

Calendarium Perpetuum.

Januarius.

1. Circumcisio D. N. J. C. *Duplex ii. classis.*
2. Octava S. Stephani Protom. *Dupl.* Com. Octavar.
3. Octava S. Joannis Apost. et Evang. *Dupl.* Com. Octav. et S. Eumachii Conf.
4. Octava SS. Innocentium MM. *Dupl.*
5. Vigilia Epiphaniæ. *Semid.* Com. S. Telesphori Pap. Mart.
6. Epiphania Domini. *Dupl. j. class.* cum Octava.
7. De Octava. *Semid.*
8. De Octava. *Semid.*
9. De Octava. *Semid.*
10. De Octava. *Semid.*
11. De Octava. *Semid.* Com. S. Hygini Pap. Mart.
12. De Octava, vel de Dom. infr. Oct. *Semid.*
13. Octava Epiphaniæ. *Dupl.*
14. Hilarii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl. maj.* Com. S. Felicis Presb. Mart.
15. Pauli primi Eremit. Conf. *Dupl.* Com. S. Mauri Abb.
16. Marcelli Pap. Mart. *Semid.*
17. Antonii Abb. *Dupl.*
18. Cathedra S. Petri Apost. Romæ. *Dupl. maj.* (in Ecc. Cathedr. *Dupl. ij. classis.*) Com. S. Pauli Apost. et S. Priscæ Virg. Mart.
19. Canuti Regis Martyris, *Semid.* ad libitum. Commem. SS. Marii et Soc. MM.
20. Fabiani Pap. et Sebastiani MM. *Dupl.*
21. Agnetis Virg. Mart. *Dupl.*
22. Vincentii et Anastasii MM. *Semid.*
23. Desponsatio B. M. V. *Dupl. maj.* Com. S. Joseph et S. Emerentianæ Virg. Mart.
24. Timothei Episc. Mart. *Dupl.*
25. Conversio S. Pauli Apost. *Dupl. maj.* Com. S. Petri Apost.
26. Polycarpi Episc. Mart. *Dupl.*
27. Joannis Chrysost. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
28. Agnetis secundo. *Simpl.*
29. Francisci Salesii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
30. Bathildis Regin. Vid. *Dupl.*
31. Petri Nolasci Conf. *Dupl.*

Festa mobilia.

Domin. II. post Epiph. SS. Nominis Jesu. *Duplex ij. classis.* Commem. Domin.

Feria III. post Dom. Septuag. Orationis D. N. J. C. in Monte Olivarum. *Dupl. maj.*

Feria III. post. Domin. Sexag. Commem. Passionis D. N. J. C. *Duplex majus.*

Calendarium perpetuum.

Februarius.

1. Ignatii Episc. Mart. *Dupl.*
2. PURIFICATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.*
3. Blasii Episc. Mart. *Simpl.*
4. Joannæ Valesiæ Vid. *Dupl.*
5. Agathæ Virg. Mart. *Dupl.*
6. Andreæ Corsini Episc. Conf. (d. a. ex 4. huj.) *Dupl.* Com. S. Dorotheæ Virg. Mart.
7. Romualdi Abb. *Dupl.*
8. Joannis de Matha Conf. *Dupl.*
9. Cyrilli Alexandr. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Apolloniæ Virg. Mart.
10. Scholasticæ Virg. *Dupl.*
11. Raymundi de Pennafort Conf. (d. a. ex 23. Jan.) *Semid.*
12. Titi Episc. Conf. *Dupl.*
13. Cæsarii Archidiaconi Engolismen. Conf. *Dupl.*
14. Genovefæ Virg. *Dupl.* Com. S. Valentini Presb. Mart.
15. Martinæ Virg. (d. a. ex 30. Jan.) *Semid.* Com. SS. Faustini et Soc. MM.
16.
17.
18. Simeonis Episc. Mart. *Simpl.*
19.
20.
21.
22. Cathedra S. Petri Apost. Antiochiæ. *Dupl. maj.* (in Ecc. Cathedr. *Dupl. ij. class.*) Com. S. Pauli Apost.
23. Petri Damiani Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Vigil.
24. MATHIÆ APOST. *Dupl. ij. class.*
25.
26.
27.
28.

In anno Bissextili Februarius habet dies 29, et tunc de S. Mathia fit die 25.

Festa mobilia.

Feria VI. post Cineres, Sacr. Spineæ Coronæ D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. I. Quadrag. Lanceæ et Clavor. D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag. Sacratiss. Sindonis D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.



Martius.

1. Amantii Buxiensis Conf. *Dupl.*
2. Albini Episc. Conf. *Semid.*
3.
4. Casimiri Conf. *Semid.* Com. S. Lucii Pap. Mart.
5.
6.

7. Thomæ de Aquino Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. SS. Perpetuæ et Soc. MM.
8. Joannis de Deo Conf. *Dupl.*
9. Franciscæ Romanæ Vid. *Dupl.*
10. Quadraginta Martyrum. *Semid.*
11.
12. Gregorii I. Pap. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
13.
14.
15.
16.
17. Patritii Episc. Conf. *Dupl.*
18. Gabrielis Archang. *Dupl. maj.*
19. JOSEPHI CONF. B. M. V. SPONSI. *Dupl. j. class.*
20. Cyrilli Hierosolymit. Episc. Conf. et Ecc. Doct. (d. a. ex 18. huj.) *Dupl.*
21. Benedicti Abb. *Dupl. maj.*
22.
23.
24.
25. ANNUNTIATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.*
26.
27.
28.
29.
30. Translatio S. Ausonii primi Engolism. Episc. Mart. *Dupl. maj.*

Festa mobilia.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Sacror. Quinque Vulnerum D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Pretiosiss. Sanguinis D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. Passionis, Septem Dolorum B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Fer.



Aprilis.

1.
2. Francisci de Paula Conf. *Dupl.*
3.
4. Isidori Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
5. Vincentii Ferrerii Conf. *Dupl.*
6. Julianæ Cornelionen. Virg. *Dupl.*
7.
8.
9.
10.
11. Leonis I. Pap. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
12.
13. Hermenegildi Mart. *Semid.*
14. Justini Philosophi Mart. *Dupl.* Com. SS. Tiburtii et Soc. MM.
15.
16.

17. Aniceti Pap. Mart. *Simpl.*
18.
19.
20. Giraldi de Salis Conf. *Dupl.*
21. Anselmi Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
22. Soteris et Caii Pap. MM. *Semid.*
23. Georgii Mart. *Semid.*
24. Fidelis a Sigmaringa Mart. *Dupl.*
25. MARCI EVANG. *Dupl. ij. class.*
26. Cleti et Marcellini Pap. MM. *Semid.*
27.
28. Pauli a Cruce Conf. *Dupl.* Com. S. Vitalis Mart.
29. Petri Mart. *Dupl.*
30. Eutropii primi Santonen. Episc. Mart. *Dupl. maj.*

Festum mobile.

Dom. III. post Pascha, PATROCINII S. JOSEPHI B. M. V. SPONSI CONF. *Dupl. ij. class.* Com. Dom.



Maius.

1. PHILIPPI ET JACOBI APP. *Dupl. ij. class.*
5. Athanasii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
3. INVENTIO S. CRUCIS. *Dupl. ij. class.* Com. SS. Alexandri et Soc. MM. ac Juvenalis Episc. Conf.
4. Monicæ Vid. *Dupl.*
5. Pii V. Pap. Conf. *Dupl.*
6. Joannis Apost. ante Portam Latinam. *Dupl. maj.*
7. Stanislai Episc. Mart. *Dupl.*
8. Apparitio S. Michaëlis Archang. *Dupl. maj.*
9. Gregorii Nazianz. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
10. Antonini Episc. Conf. *Dupl.* Com. SS. Gordiani et Soc. MM.
11. Gualteri Abb. Stirp. Conf. *Dupl.*
12. Nerei, Achillei, Domitillæ Virg. atque Pancratii MM. *Semid.*
13. Catharinæ Senens. Virg. (d. a. ex 30. April.) *Dupl.*
14. Bonifacii Mart. *Simpl.*
15. Isidori Agricolæ Conf. *Dupl.*
16. Germerii Episc. Tolos. Conf. *Dupl.*
17. Paschalis Baylon Conf. *Dupl.*
18. Venantii Mart. *Dupl.*
19. Petri Cœlestini Pap. Conf. *Dupl.* Com. S. Pudentianæ Virg.
20. Bernardini Senens. Conf. *Semid.*
21. Joannis Nepomuceni Mart. (d. a. ex 16 huj.) *Dupl.*
22. AUSONII PRIMI ENGOLISMEN. EPISC. MART. PRÆCIPUI DIŒC. PATR. *Dupl. j. class.*
23. Ubaldi Episc. Conf. (d. a. ex 16 huj.) *Semid.* Com. Oct.
24. B. M. V. tit. Auxil. Christianor. *Dupl. maj.* Com. Oct.
25. Gregorii VII. Pap. Conf. *Dupl.* Com. Oct. et S. Urbani Pap. Mart.
26. Philippi Nerii Conf. *Dupl.* Com. Oct. et S. Eleutherii Pap. Mart.
27. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *Semid.* Com. Oct. et S. Joannis Pap. Mart.

28. Germani Parisien. Episc. Conf. *Semid.* Com. Oct.
29. Octava S. Ausonii Episc. Mart. *Dupl.*
30. Augustini Episc. Cantuar. Conf. (d. a. ex 28. huj.) *Dupl.* Com. S. Felicis Pap. Mart.
31. Angelae Mericiae Virg. *Dupl.* Com. S. Petronillae Virg.

Festum mobile.

Feria VI. post Octavam Corporis Christi, Sacratiss. Cordis Jesu. *Dupl. maj.*



Junius.

1.
2. Pothini, Blandinæ Virg. et Soc. MM. *Dupl.* Com. SS. Marcellini et Soc. MM.
3. Clotildis Regin. Vid. *Dupl.*
4. Francisci Caracciolo Conf. *Dupl.*
5. Bonifacii Episc. Mart. *Dupl.*
6. Norberti Episc. Conf. *Dupl.*
7. Bertrandi Patriarch. Aquilejen. Conf. *Dupl.*
8.
9. Primi et Feliciani MM. *Simpl.*
10. Margaritæ Scotor. Regin. Vid. *Semid.*
11. Barnabæ Apost. *Dupl. maj.*
12. Joannis a S. Facundo Conf. *Dupl.* Com. SS. Basilidis et Soc. MM.
13. Antonii de Padua Conf. *Dupl.*
14. Basilii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
15. Germanæ Cousin Virg. *Dupl.* Com. SS. Viti et Soc. MM.
16. Joannis Francisci Regis Conf. *Dupl.*
17.
18. Marci et Marcelliani MM. *Simpl.*
19. Julianæ de Falconeriis Virg. *Dupl.* Com. SS. Gervasii et Soc. MM.
20. Silverii Pap. Mart. *Simpl.*
21. Aloysii Gonzagæ Conf. *Dupl.*
22. Paulini Episc. Conf. *Simpl.*
23. Vigilia.
24. NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ. *Dupl. j. class.* cum Octava.
25. Gulielmi Abb. *Dupl.* Com. Oct.
26. Salvii Episc. Engolism. et Superii MM. *Dupl.* Com. Oct.
27. Joannis et Pauli MM. (d. a. ex heri) *Dupl.* Com. Oct.
28. Leonis Papæ Conf. *Semid.* Com. Oct. et Vigil.
29. PETRI ET PAULI APP. *Dupl. j. class.* cum Octava. Com. Omn. SS. App.
30. Com. S. Pauli Apost. *Dupl. maj.* Com. S. Petri Apost. et Oct. S. Joan. Bapt.

Festum mobile.

Dom. III. post Pentecosten, Purissimi Cordis B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.

Index Festorum.



Typis Soc. S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. — Tornaci.

10

Proprium Officiorum Dioecesis Engolismensis

a Sacra Rituum Congregatione approbatum Anno 1884 ac de mandato Illmi et Remi DD. Alexandri Leopoldi Sebaux Episcopi Engolismensis editum.

Pars Terna.







Tornaci Nerviorum, Typis Societatis S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. M.DCCC.LXXXV.

165

Engolismen.

T Kalendario perpetuo et Proprio Officiorum ac Missarum in usum Diœceseos Engolismen. nonnulla insererentur Cœlitum Festa, quorum celebratio penes Clerum et populum maxime erat in votis, atque insimul additamenta ac variationes, quæ, volventibus annis, in iisdem Kalendario et Proprio locum habuerunt, ad accuratiorem ordinem disponerentur; R̃mus Dominus Alexander Leopoldus Sebaux Episcopus Engolismen. una cum Capitulo suæ cathedralis Ecclesiæ, Kalendarium ipsum et Proprium reformare aggressus est, omne adhibens studium, quatenus cuncta in iis Rubricarum præscriptionibus, et Sanctæ Sedis Decretis apprime responderent: hæc autem omnia, sic apte concinnata, supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII sanctioni demississime subjecit.

Placuit vero eidem Sanctissimo Domino Nostro præfati Kalendarii ac Proprii examen Sacræ Rituum Congregationi committere, quæ, post exquisitum votum in scriptis unius ex Consultoribus Congregationis ipsius, omnibus accurate perpensis, idem Kalendarium ac Proprium a se emendatum atque ordinatum, prouti huic præjacet Decreto, probari posse censuit. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua, referente infrascripto Secretario, ratam habens, concedere dignata est, ut a Clero totius Diœceseos Engolismen. Sæculari ac Regulari, Diœcesano Kalendario utente, tam in Horis Canonicis persolvendis, quam in Missis celebrandis suprascriptum Kalendarium ac Proprium in posterum adhibeatur; attamen sub conditione, ut duplex omnium authenticum exemplar ad ipsam Sacram Congregationem transmittatur statim ac typis ea impressa fuerint. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 Januarii 1884.

D. Cardinalis Bartolinius S. R. C. Præfectus.

L. ✝ S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

Nos, Alexander Leopoldus,

Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia
Episcopus Engolismensis.

ER præsentes decernimus ac mandamus ut Kalendarium et Proprium Officiorum ac Missarum a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII per organum S. Rituum Congregationis sub die 24 Januarii 1884 approbatum, a die 1ª Januarii 1885 ab universo Diœcesis Engolismensis Clero tam in horis canonicis persolvendis quam in missis celebrandis perpetuo adhibeatur.

Et juxta Summorum Pontificum Constitutiones, RR.DD. Desclée, Lefebvre et Soc. potestatem facimus Kalendarium et Proprium prædictum, sub modo et forma in exemplari a S. Rituum Congregatione adnotatis, typis dandi atque evulgandi, sive seorsim a Breviario et Missali Romano cudatur, sive appendicis loco ipsis Breviario ac Missali adjiciatur.

Datum Engolismæ sub signo sigilloque Nostris, necnon Cancellarii Nostræ Curiæ subscriptione, die decima nona Martii, anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo quarto.

A. L. Episcopus Engolismensis.

L. ✝ S.

De mandato Ill̃mi ac R̃mi D̃ni Episcopi
G. Tortelli, c. c.

Calendarium Perpetuum.

Januarius.

1. CIRCUMCISIO D. N. J. C. *Duplex ii. classis.*
2. Octava S. Stephani Protom. *Dupl.* Com. Octavar.
3. Octava S. Joannis Apost. et Evang. *Dupl.* Com. Octav. et S. Eumachii Conf.
4. Octava SS. Innocentium MM. *Dupl.*
5. Vigilia Epiphaniæ. *Semid.* Com. S. Telesphori Pap. Mart.
6. EPIPHANIA DOMINI. *Dupl. j. class.* cum Octava.
7. De Octava. *Semid.*
8. De Octava. *Semid.*
9. De Octava. *Semid.*
10. De Octava. *Semid.*
11. De Octava. *Semid.* Com. S. Hygini Pap. Mart.
12. De Octava, vel de Dom. infr. Oct. *Semid.*
13. Octava Epiphaniæ. *Dupl.*
14. Hilarii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl. maj.* Com. S. Felicis Presb. Mart.
15. Pauli primi Eremit. Conf. *Dupl.* Com. S. Mauri Abb.
16. Marcelli Pap. Mart. *Semid.*
17. Antonii Abb. *Dupl.*
18. Cathedra S. Petri Apost. Romæ. *Dupl. maj.* (in Ecc. Cathedr. *Dupl. ij. classis.*) Com. S. Pauli Apost. et S. Priscæ Virg. Mart.
19. Canuti Regis Martyris, *Semid.* ad libitum. Commem. SS. Marii et Soc. MM.
20. Fabiani Pap. et Sebastiani MM. *Dupl.*
21. Agnetis Virg. Mart. *Dupl.*
22. Vincentii et Anastasii MM. *Semid.*
23. Desponsatio B. M. V. *Dupl. maj.* Com. S. Joseph et S. Emerentianæ Virg. Mart.
24. Timothei Episc. Mart. *Dupl.*
25. Conversio S. Pauli Apost. *Dupl. maj.* Com. S. Petri Apost.
26. Polycarpi Episc. Mart. *Dupl.*
27. Joannis Chrysost. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
28. Agnetis secundo. *Simpl.*
29. Francisci Salesii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
30. Bathildis Regin. Vid. *Dupl.*
31. Petri Nolasci Conf. *Dupl.*

Festa mobilia.

Domin. II. post Epiph. SS. NOMINIS JESU. *Duplex ij. classis.* Commem. Domin.

Feria III. post Dom. Septuag. Orationis D. N. J. C. in Monte Olivarum. *Dupl. maj.*

Feria III. post. Domin. Sexag. Commem. Passionis D. N. J. C. *Duplex majus.*

Calendarium perpetuum.

Februarius.

1. Ignatii Episc. Mart. *Dupl.*
2. PURIFICATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.*
3. Blasii Episc. Mart. *Simpl.*
4. Joannæ Valesiæ Vid. *Dupl.*
5. Agathæ Virg. Mart. *Dupl.*
6. Andreæ Corsini Episc. Conf. (d. a. ex 4. huj.) *Dupl.* Com. S. Dorotheæ Virg. Mart.
7. Romualdi Abb. *Dupl.*
8. Joannis de Matha Conf. *Dupl.*
9. Cyrilli Alexandr. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Apolloniæ Virg. Mart.
10. Scholasticæ Virg. *Dupl.*
11. Raymundi de Pennafort Conf. (d. a. ex 23. Jan.) *Semid.*
12. Titi Episc. Conf. *Dupl.*
13. Cæsarii Archidiaconi Engolismen. Conf. *Dupl.*
14. Genovefæ Virg. *Dupl.* Com. S. Valentini Presb. Mart.
15. Martinæ Virg. (d. a. ex 30. Jan.) *Semid.* Com. SS. Faustini et Soc. MM.
16.
17.
18. Simeonis Episc. Mart. *Simpl.*
19.
20.
21.
22. Cathedra S. Petri Apost. Antiochiæ. *Dupl. maj.* (in Ecc. Cathedr. *Dupl. ij. class.*) Com. S. Pauli Apost.
23. Petri Damiani Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Vigil.
24. MATHIÆ APOST. *Dupl. ij. class.*
25.
26.
27.
28.

In anno Bissextili Februarius habet dies 29, et tunc de S. Mathia fit die 25.

Festa mobilia.

Feria VI. post Cineres, Sacr. Spineæ Coronæ D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. I. Quadrag. Lanceæ et Clavor. D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag. Sacratiss. Sindonis D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.



Martius.

1. Amantii Buxiensis Conf. *Dupl.*
2. Albini Episc. Conf. *Semid.*
3.
4. Casimiri Conf. *Semid.* Com. S. Lucii Pap. Mart.
5.
6.

7. Thomæ de Aquino Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. SS. Perpetuæ et Soc. MM.
8. Joannis de Deo Conf. *Dupl.*
9. Franciscæ Romanæ Vid. *Dupl.*
10. Quadraginta Martyrum. *Semid.*
11.
12. Gregorii I. Pap. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
13.
14.
15.
16.
17. Patritii Episc. Conf. *Dupl.*
18. Gabrielis Archang. *Dupl. maj.*
19. JOSEPHI CONF. B. M. V. SPONSI. *Dupl. j. class.*
20. Cyrilli Hierosolymit. Episc. Conf. et Ecc. Doct. (d. a. ex 18. huj.) *Dupl.*
21. Benedicti Abb. *Dupl. maj.*
22.
23.
24.
25. ANNUNTIATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.*
26.
27.
28.
29.
30. Translatio S. Ausonii primi Engolism. Episc. Mart. *Dupl. maj.*

Festa mobilia.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Sacror. Quinque Vulnerum D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Pretiosiss. Sanguinis D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. Passionis, Septem Dolorum B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Fer.



Aprilis.

1.
2. Francisci de Paula Conf. *Dupl.*
3.
4. Isidori Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
5. Vincentii Ferrerii Conf. *Dupl.*
6. Julianæ Cornelionen. Virg. *Dupl.*
7.
8.
9.
10.
11. Leonis I. Pap. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
12.
13. Hermenegildi Mart. *Semid.*
14. Justini Philosophi Mart. *Dupl.* Com. SS. Tiburtii et Soc. MM.
15.
16.

17. Aniceti Pap. Mart. *Simpl.*
18.
19.
20. Giraldi de Salis Conf. *Dupl.*
21. Anselmi Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
22. Soteris et Caii Pap. MM. *Semid.*
23. Georgii Mart. *Semid.*
24. Fidelis a Sigmaringa Mart. *Dupl.*
25. MARCI EVANG. *Dupl. ij. class.*
26. Cleti et Marcellini Pap. MM. *Semid.*
27.
28. Pauli a Cruce Conf. *Dupl.* Com. S. Vitalis Mart.
29. Petri Mart. *Dupl.*
30. Eutropii primi Santonen. Episc. Mart. *Dupl. maj.*

Festum mobile.

Dom. III. post Pascha, PATROCINII S. JOSEPHI B. M. V. SPONSI CONF. *Dupl. ij. class.* Com. Dom.



Maius.

1. PHILIPPI ET JACOBI APP. *Dupl. ij. class.*
5. Athanasii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
3. INVENTIO S. CRUCIS. *Dupl. ij. class.* Com. SS. Alexandri et Soc. MM. ac Juvenalis Episc. Conf.
4. Monicæ Vid. *Dupl.*
5. Pii V. Pap. Conf. *Dupl.*
6. Joannis Apost. ante Portam Latinam. *Dupl. maj.*
7. Stanislai Episc. Mart. *Dupl.*
8. Apparitio S. Michaëlis Archang. *Dupl. maj.*
9. Gregorii Nazianz. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
10. Antonini Episc. Conf. *Dupl.* Com. SS. Gordiani et Soc. MM.
11. Gualteri Abb. Stirp. Conf. *Dupl.*
12. Nerei, Achillei, Domitillæ Virg. atque Pancratii MM. *Semid.*
13. Catharinæ Senens. Virg. (d. a. ex 30. April.) *Dupl.*
14. Bonifacii Mart. *Simpl.*
15. Isidori Agricolæ Conf. *Dupl.*
16. Germerii Episc. Tolos. Conf. *Dupl.*
17. Paschalis Baylon Conf. *Dupl.*
18. Venantii Mart. *Dupl.*
19. Petri Cœlestini Pap. Conf. *Dupl.* Com. S. Pudentianæ Virg.
20. Bernardini Senens. Conf. *Semid.*
21. Joannis Nepomuceni Mart. (d. a. ex 16 huj.) *Dupl.*
22. AUSONII PRIMI ENGOLISMEN. EPISC. MART. PRÆCIPUI DIŒC. PATR. *Dupl. j. class.*
23. Ubaldi Episc. Conf. (d. a. ex 16 huj.) *Semid.* Com. Oct.
24. B. M. V. tit. Auxil. Christianor. *Dupl. maj.* Com. Oct.
25. Gregorii VII. Pap. Conf. *Dupl.* Com. Oct. et S. Urbani Pap. Mart.
26. Philippi Nerii Conf. *Dupl.* Com. Oct. et S. Eleutherii Pap. Mart.
27. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *Semid.* Com. Oct. et S. Joannis Pap. Mart.

28. Germani Parisien. Episc. Conf. *Semid.* Com. Oct.
29. Octava S. Ausonii Episc. Mart. *Dupl.*
30. Augustini Episc. Cantuar. Conf. (d. a. ex 28. huj.) *Dupl.* Com. S. Felicis Pap. Mart.
31. Angelae Mericiae Virg. *Dupl.* Com. S. Petronillae Virg.

Festum mobile.

Feria VI. post Octavam Corporis Christi, Sacratiss. Cordis Jesu. *Dupl. maj.*



Junius.

1.
2. Pothini, Blandinæ Virg. et Soc. MM. *Dupl.* Com. SS. Marcellini et Soc. MM.
3. Clotildis Regin. Vid. *Dupl.*
4. Francisci Caracciolo Conf. *Dupl.*
5. Bonifacii Episc. Mart. *Dupl.*
6. Norberti Episc. Conf. *Dupl.*
7. Bertrandi Patriarch. Aquilejen. Conf. *Dupl.*
8.
9. Primi et Feliciani MM. *Simpl.*
10. Margaritæ Scotor. Regin. Vid. *Semid.*
11. Barnabæ Apost. *Dupl. maj.*
12. Joannis a S. Facundo Conf. *Dupl.* Com. SS. Basilidis et Soc. MM.
13. Antonii de Padua Conf. *Dupl.*
14. Basilii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
15. Germanæ Cousin Virg. *Dupl.* Com. SS. Viti et Soc. MM.
16. Joannis Francisci Regis Conf. *Dupl.*
17.
18. Marci et Marcelliani MM. *Simpl.*
19. Julianæ de Falconeriis Virg. *Dupl.* Com. SS. Gervasii et Soc. MM.
20. Silverii Pap. Mart. *Simpl.*
21. Aloysii Gonzagæ Conf. *Dupl.*
22. Paulini Episc. Conf. *Simpl.*
23. Vigilia.
24. NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ. *Dupl. j. class.* cum Octava.
25. Gulielmi Abb. *Dupl.* Com. Oct.
26. Salvii Episc. Engolism. et Superii MM. *Dupl.* Com. Oct.
27. Joannis et Pauli MM. (d. a. ex heri) *Dupl.* Com. Oct.
28. Leonis Papæ Conf. *Semid.* Com. Oct. et Vigil.
29. PETRI ET PAULI APP. *Dupl. j. class.* cum Octava. Com. Omn. SS. App.
30. Com. S. Pauli Apost. *Dupl. maj.* Com. S. Petri Apost. et Oct. S. Joan. Bapt.

Festum mobile.

Dom. III. post Pentecosten, Purissimi Cordis B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.

Julius.

1. EPARCHII ABB. CIVIT. ENGOLISM. COMPATR. *Dupl. j. class.* cum Octava. Com. Oct. S. Joan. Bapt.
2. VISITATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.* Com. SS. Processi et Soc. MM.
3. MARTIALIS EPISC. CONF. AQUIT. APOST. *Dupl. ij. class.*
4. Irenæi Episc. Mart. *Dupl.* Com. Octavar.
5. Cyrilli et Methodii Episc. Conf. *Dupl.* Com. Octavar.
6. Octava SS. Petri et Pauli App. *Dupl.* Com. Oct. S. Eparchii Abb.
7. De Octava. *Semid.*
8. Octava S. Eparchii Abb. *Dupl.*
9. Elisabeth Regin. Portugal. Vid. (d. a. ex heri) *Semid.*
10. Septem Fratrum, ac Rufinæ et Secundæ Vg. MM. *Semid.*
11. Pii I. Pap. Mart. *Simpl.*
12. Joannis Gualberti Abb. *Dupl.* Com. SS. Naboris et Soc. MM.
13. Anacleti Pap. Mart. *Semid.*
14. Bonaventuræ Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
15. Henrici Imperat. Conf. *Semid.*
16. B. M. V. de Monte Carmelo. *Dupl. maj.*
17. Alexii Conf. *Semid.*
18. Camilli de Lellis Conf. *Dupl.* Com. SS. Symphorosæ et Filior. MM.
19. Vincentii a Paulo Conf. *Dupl.*
20. Hieronymi Æmiliani Conf. *Dupl.* Com. S. Margaritæ Virg. Mart.
21. Praxedis Virg. *Simpl.*
22. Mariæ Magdalenæ Pœnit. *Dupl. maj.*
23. Apollinaris Episc. Mart. *Dupl.* Com. S. Liborii Episc. Conf.
24. Vigilia. Com. S. Christinæ Virg. Mart.
25. JACOBI APOST. *Dupl. ij. class.* Com. S. Christophori Mart.
26. ANNÆ MATRIS B. M. V. *Dupl. ij. class.*
27. Pantaleonis Mart. *Simpl.*
28. Nazarii, Celsi et Victoris Papæ MM. ac Innocentii Papæ Conf. *Semid.*
29. Marthæ Virg. *Dupl. maj.* Com. SS. Felicis et Soc. MM.
30. Abdon et Sennen. MM. *Simpl.*
31. Ignatii de Loyola Conf. *Dupl.*

Festum mobile.

Dom. I. Julii, PRETIOSISS. SANGUINIS D. N. J. C. *Dupl. ij. class.* Com. Dom.



Augustus.

1. Petri ad Vincula. *Dupl. maj.* (in Eccl. Cathedr. *Dupl. ij. class.*) Com. S. Pauli Apost. et SS. Machabæor. MM.
2. Alphonsi Mariæ de Ligorio Episc. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Stephani Pap. Mart.
3. Inventio S. Stephani Protom. *Semid.*
4. Dominici Conf. *Dupl. maj.*
5. Dedicatio S. Mariæ ad Nives. *Dupl. maj.*

6. Transfiguratio D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. SS. Xysti et Soc. MM.
7. Cajetani Conf. *Dupl.* Com. S. Donati Episc. Mart.
8. Cyriaci, Largi et Smaragdi MM. *Semid.*
9. Vigilia. Com. S. Romani Mart.
10. LAURENTII LEVIT. MART. *Dupl. ij. class.* cum Octava.
11. De Octava. *Semid.* Com. SS. Tiburtii et Susannæ MM.
12. Claræ Virg. *Dupl.* Com. Oct.
13. Calfagiæ Virg. *Dupl.* Com. Octav. et SS. Hippolyti et Soc. MM.
14. Radegundis Francor. Regin. Vid. *Dupl.* Com. Oct. Vigil. et S. Eusebii Conf.
15. ASSUMPTIO B. M. V. *Dupl. j. class.* cum Octava.
16. Rochi Conf. *Dupl.* Com. Octavar.
17. Octava S. Laurentii Levit. Mart. *Dupl.* Com. Oct. Assumpt.
18. Hyacinthi Conf. (d. a. ex 16. hujus) *Dupl.* Com. Oct. et S. Agapiti Mart.
19. De Octava. *Semid.*
20. Bernardi Abb. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Oct.
21. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid. *Dupl.* Com. Oct.
22. Octava Assumpt. B. M. V. *Dupl.* Com. SS. Timothei et Soc. MM.
23. Philippi Benitii Conf. *Dupl.* Com. Vigil.
24. BARTHOLOMÆI APOST. *Dupl. ij. class.*
25. Ludovici Reg. Franc. Conf. *Dupl.*
26. Zephyrini Pap. Mart. *Simpl.*
27. Josephi Calasanctii Conf. *Dupl.*
28. Augustini Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Hermetis Mart.
29. Decollatio S. Joannis Bapt. *Dupl. maj.* Com. S. Sabinæ Mart.
30. Rosæ Liman. Virg. *Dupl.* Com. SS. Felicis et Soc. MM.
31. Raymundi Nonnati Conf. *Dupl.*

Festum mobile.

Dom. infra Oct. Assumpt. S. JOACHIM CONF. PATRIS B. M. V. *Dupl. ij. class.* Com. Dom.



September.

1. Viviani Episc. Santonen. Conf. *Dupl.* Com. S. Ægidii Abb. et SS. XII. Fratrum MM.
2. Stephani Regis Conf. *Semid.*
3.
4.
5. Laurentii Justiniani Episc. Conf. *Semid.*
6.
7.
8. NATIVITAS B. M. V. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. S. Adriani Mart.
9. De Octava. *Semid.* Com. S. Gorgonii Mart.
10. Nicolai de Tolentino Conf. *Dupl.* Com. Oct.
11. De Octava. *Semid.* Com. SS. Proti et Hyacinthi MM.

12. De Octava. *Semid.*
13. De Octava. *Semid.*
14. Exaltatio S. Crucis. *Dupl. maj.* Com. Oct.
15. Octava Nativ. B. M. V. *Dupl.* Com. S. Nicomedis Mart.
16. Cornelii Pap. et Cypriani Episc. MM. *Semid.* Com. SS. Euphemiæ et Soc. MM.
17. Impressio Stigmatum S. Francisci Conf. *Dupl.*
18. Josephi a Cupertino Conf. *Dupl.*
19. Januarii Episc. et Soc. MM. *Dupl.*
20. Eustachii et Soc. MM. *Dupl.* Com. Vigil.
21. MATTHÆI APOST. ET EVANG. *Dupl. ij. class.*
22. Thomæ a Villanova Episc. Conf. *Dupl.* Com. SS. Mauritii et Soc. MM.
23. Lini Papæ Mart. *Semid.* Com. S. Theclæ Virg. Mart.
24. B. M. V. de Mercede. *Dupl. maj.*
25.
26. Cypriani et Justinæ MM. *Simp.*
27. Cosmæ et Damiani MM. *Semid.*
28. Wenceslai Ducis Mart. *Semid.*
29. DEDICATIO S. MICHAELIS ARCHANG. *Dupl. ij. class.*
30. Hieronymi Presb. et Ecc. Doct. *Dupl.*

Festa mobilia.

Dom. infra Oct. Nativ. B. M. V. SS. Nominis ejusd. B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.
Dom. III. Sept. Septem Dolorum B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.



October.

1. Remigii Episc. Conf. *Dupl.*
2. Angelorum Custodum. *Dupl. maj.*
3.
4. Francisci Assis. Conf. *Dupl. maj.*
5. Placidi et Soc. MM. *Simp.*
6. Brunonis Conf. *Dupl.*
7. Palladii Episc. Santon. Conf. *Dupl.* Comm. SS. Marci Pap. Conf. et Sergii et Soc. MM.
8. Birgittæ Vid. *Dupl.*
9. Dionysii et Soc. MM. *Semid.*
10. Francisci Borgiæ Conf. *Semid.*
11. Gratulphi Conf. *Dupl.*
12.
13. Eduardi Reg. Conf. *Semid.*
14. Callisti Pap. Mart. *Dupl.*
15. Teresiæ Virg. *Dupl.*
16.
17. Hedwigis Vid. *Semid.*
18. LUCÆ EVANG. *Dupl. ij. classis.*
19. Petri de Alcantara Conf. *Dupl.*
20. Joannis Cantii Conf. *Dupl.*
21. Asterii Conf. *Dupl.* Com. S. Hilarionis Abb.
22. Ursulæ Virg. et Soc. MM. (d. a. ex heri) *Dupl.*

23. SS. Redemptoris. *Dupl. maj.*
24. Raphaëlis Archang. *Dupl. maj.*
25. Frontonis Episc. Petrocor. Conf. *Dupl. maj.* Com. SS. Chrysanthi et Dariæ MM.
26. Antonii Episc. Engolism. Conf. *Dupl.* Com. S. Evaristi Pap. Mart.
27. B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. *Dupl.* Com. Vigil.
28. SIMONIS ET JUDÆ APP. *Dupl. ij. class.*
29. Solinæ Virg. Mart. *Semid.*
30.
31. Vigilia.

Festa mobilia.

Dom. I. Octobris, Sacratiss. Rosarii B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.

Dom. ultima Oct. Com. SS. quorum Corpora, vel Reliquiæ in Ecclesiis Diœc. Engolismen. asservantur. *Dupl.* Com. Dom.



November.

1. OMNIUM SANCTORUM. *Dupl. j. class.* cum Octava.
2. De Octava. *Semid.* Com. Omn. Fidel. Defunctor. sub ritu *dupl.*
3. De Octava. *Semid.*
4. Caroli Episc. Conf. *Dupl.* Com. Oct. et SS. Vitalis et Agricolæ MM.
5. Benigni Mart. *Dupl.* Com. Oct.
6. De Octava. *Semid.*
7. De Octava. *Semid.*
8. Octava Omnium Sanctor. *Dupl.* Com. SS. Quatuor Coronator. MM.
9. Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris. *Dupl.* Com. S. Theodori Mart.
10. Andreæ Avellini Conf. *Dupl.* Com. SS. Tryphonis et Soc. MM.
11. Martini Episc. Conf. *Dupl.* Com. S. Mennæ Mart.
12. Martini Pap. Mart. *Semid.*
13. Stanislai Kostka Conf. *Dupl.*
14. Josaphat Episc. Polocen. Mart. *Dupl.*
15. Gertrudis Virg. *Dupl.*
16. Didaci Conf. (d. a. ex 13. huj.) *Semid.*
17. Gregorii Thaumaturgi Episc. Conf. *Semid.*
18. Dedicatio Basilicæ SS. Petri et Pauli App. *Dupl.*
19. Elisabeth Regin. Hungar. Vid. *Dupl.* Com. S. Pontiani Pap. Mart.
20. Felicis de Valois Conf. *Dupl.*
21. Præsentatio B. M. V. *Dupl. maj.*
22. Cæciliæ Virg. Mart. *Dupl.*
23. Clementis Pap. Mart. *Dupl.* Com. S. Felicitatis Mart.
24. Joannis a Cruce Conf. *Dupl.* Com. S. Chrysogoni Mart.
25. Catharinæ Virg. Mart. *Dupl.*
26. Petri Alexandrini Episc. Mart. *Simpl.*
27.
28.

29. Vigilia. Com. S. Saturnini Mart.
30. ANDREÆ APOST. *Dupl. ij. class.*

Festa mobilia.

Dom. post Oct. Omn. Sanctor. DEDICATIO OMN. GALL. ECCLESIARUM. *Dupl. j. class.* cum Octava. Com. Dom.
Dom. subsequenti, Octava Dedicationis Omn. Gall. Ecclesiarum. *Dupl.* Com. Dom.



December.

1. Eligii Episc. Conf. *Dupl.*
2. Bibianæ Virg. Mart. *Semid.*
3. Francisci Xaverii Conf. *Dupl.*
4. Petri Chrysol. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Barbaræ Virg. Mart.
5. Trojani Episc. Santonen. Conf. *Dupl.* Comm. S. Sabbæ Abb.
6. Nicolai Episc. Conf. *Dupl.*
7. Ambrosii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Vigil. in Missa tantum.
8. IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V. *Dupl. j. class.* cum Octava.
9. De Octava. *Semid.*
10. Translatio Almæ Domus Lauret. *Dupl.* Com. S. Melchiadis Pap. Mart.
11. Damasi Pap. Conf. *Semid.* Com. Oct.
12. De Octava. *Semid.*
13. Luciæ Virg. Mart. *Dupl.*
14. De Octava. *Semid.*
15. Octava Immacul. Concept. B. M. V. *Dupl.*
16. Eusebii Episc. Mart. *Semid.*
17. Lazari Episc. Conf. *Dupl.*
18. Exspectatio Partus B. M. V. *Dupl. maj.*
19.
20. Vigilia.
21. THOMÆ APOST. *Dupl. ij. class.*
22.
23.
24. Vigilia Nativitatis D. N. J. C.
25. NATIVITAS D. N. J. C. *Dupl. j. class.* cum Octava.
26. STEPHANI PROTOM. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. Oct. Nativ. et Omn. SS. MM.
27. JOANNIS APOST. ET EVANG. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. Octavarum.
28. INNOCENTIUM MM. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. Octavarum.
29. Thomæ Cantuar. Episc. Mart. *Semid.* Com. Octavarum.
30. De Octava, vel de Dom. infra Oct. *Semid.* Com. Octavarum.
31. Silvestri Pap. Conf. *Dupl.* Com. Octavarum.



Proprium Officiorum

IN USUM

Dioecesis Engolismensis.

PARS VERNA.

FERIA VI.

POST DOMINICAM I.

QUADRAGESESIMÆ.

Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

FERIA VI.

POST DOMINICAM II.

QUADRAGESIMÆ.

SSmæ Sindonis D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

FERIA VI.

POST DOMINICAM III.

QUADRAGESIMÆ.

Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

FERIA VI.

POST DOMINICAM IV.

QUADRAGESIMÆ.

Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

FESTA FEBRUARII.

DIE XI. FEBRUARII.

S. Raymundi de Pennafort

Confessoris.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. (m. t. v.), *præter sequentia.*

Aña. Similábo. ℣. Amávit.

Oratio.

Deus, qui beátum Raymúndum pœniténtiæ sacraménti insígnem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti : concéde; ut ejus intercessióne dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ.

In primo Nocturno.

Lect. Justus. *de Communi, j. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Beátus Raymúndus, Barcinonénsis, ex nóbili família de Pénnafort, christiánæ religiónis rudiméntis imbútus, adhuc párvulus, exímia ánimi et córporis índole magnum áliquid porténdere visus est. Nam adoléscens humanióres lítteras in pátria proféssus, Bonóniam se cóntulit, ubi pietátis offíciis ac pontifício civilíque juri sédulo incúmbens, et doctóris láurea insignítus, ibídem sacros cánones magna cum hóminum admiratióne est interpretátus. Ejus virtútum fama percrebrescénte, Berengárius, Barcinonénsis epíscopus, cum Roma suam ad Ecclésiam redíret, eum conveniéndi causa Bonóniam iter instítuit, et tandem summis précibus, ut secum in pátriam reverterétur, obtínuit. Mox ejúsdem Ecclésiæ canonicátu et præpositúra ornátus, univérso clero et pópulo integritáte, modéstia, doctrína, et morum suavitáte præfúlsit, ac Deíparæ Vírginis, quam singulári pietátis afféctu venerabátur, honórem et cultum semper pro víribus auxit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Annum círciter quintum supra quadragésimum agens, in órdine fratrum Prædicatórum solémni emíssa professióne, ut novus miles, in omni virtútum génere, sed præcípue in caritáte erga egénos, et máxime captívos ab infidélibus deténtos, se exércuit. Unde cum ejus hortátu sanctus Petrus Noláscus, cujus ipse confessiónes audiébat, suas opes piíssimo huic óperi conférret, tum eídem, tum beáto Raymúndo, et Jacóbo primo, Aragóniæ regi, appá-

rens beatíssima Virgo, gratíssimum sibi et unigénito Fílio suo fore dixit, si in suum honórem instituerétur ordo religiosórum, quibus captívos ex infidélium tyránnide liberándi cura incúmberet. Quare collátis inter se consíliis, órdinem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis captivórum fundavérunt : cui beátus Raymúndus certas vivéndi leges præscrípsit ad ejúsdem órdinis vocatiónem accommodatíssimas, quarum approbatiónem áliquot post annos a Gregório nono impetrávit, et dictum sanctum Petrum primum Generálem órdinis Magístrum suis ipse mánibus hábitu eódem indútum creávit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

AB eódem Gregório Romam accersítus, et capelláni, ac pœnitentiárii, et confessárii sui múnere decorátus, ejúsdem jussu, Romanórum Pontíficum decréta, in divérsis concíliis et epístolis sparsa, in unum Decretálium volúmen redégit. Archiepiscopátum Tarraconénsem ab ipso Pontífice sibi oblátum constantíssime recusávit, et totíus órdinis Prædicatórum generále magistérium, quod per biénnium sanctíssime administráverat, sponte dimísit. Jacóbo, Aragóniæ regi, sacræ Inquisitiónis offícii suis in regnis instituéndi auctor fuit. Multa patrávit mirácula, inter quæ illud claríssimum, quod ex ínsula Baleári Majóri Barcinónam reversúrus, strato super aquas pállio, centum sexagínta milliária sex horis confécerit, et suum cœnóbium jánuis clausis fúerit ingréssus. Tandem prope centenárius, virtútibus et méritis cumulátus, obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quinto; quem Clemens octávus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Homilia in Evang. Sint lumbi. *de Communi, j. loco. Lect. ix. de Hom. Feriæ, ejusque Comm. in Laud.*

Vesp. de sequenti.

DIE XII. FEBRUARII.

S. Titi

Episcopi Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. (m. t. v.), *præter seq.*

Oratio.

DEus, qui beátum Titum, Confessórem tuum atque Pontíficem, apostólicis virtútibus decorásti : ejus méritis et intercessióne concéde; ut, juste et pie vivéntes in hoc sæculo, ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per Dóminum.

Deinde fit Comm. præced. (*Aña.* Hic vir. ℣. Justum. *Oratio.* Deus qui. *ut supra*), *postea Feriæ.*

In primo Nocturno.

Lect. Fidélis sermo. *de Communi.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



Itum, Creténsium epíscopum, vix Pauli Apóstoli verbo christiánæ fídei sacraméntis mysteriísque excúltum, ea sanctitátis luce Ecclésiæ tunc vagiénti effulsísse compértum est, ut inter ejúsdem Doctóris géntium discípulos merúerit cooptári. Adscítus in partem óneris prædicatiónis, ádeo evangelizándi ardóre et fidelitáte Paulo éxstitit carus, ut ipse, cum venísset Tróadem propter Evangélium Christi, testátus sit non habuísse réquiem spirítui suo, eo quod Titum fratrem suum ibi non invénerit. Et, paulo post, Macedóniam petens, rursus suam in eum caritátem ita éxprimit: Sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in advéntu Titi.

℟. Invéni David.

Lectio v.



Uámobrem Corínthum ab Apóstolo missus, ea sapiéntia et lenitáte legatiónis hujus múnere functus est, quæ præsértim de fidélium pietáte eleemósynas colligéndas ad sublevándam Ecclésiæ Hebræórum inópiam spectábat, ut Corínthios non solum in Christi fide continúerit, sed étiam desidérium, fletum, æmulatiónem inter eos pro Paulo, qui illos primus institúit, excitáverit. Ad effundéndum ínterim inter gentes linguis locísque distínctas divíni verbi semen, plúribus terra maríque itinéribus reléctis, magnáque ánimi firmitáte pro Crucis trophæo curis laboribúsque exantlátis, una cum duce Paulo Cretæ ínsulam áppulit. Cum porro huic Ecclésiæ Epíscopus ab ipso Apóstolo deléctus esset, dubitándum non est, quin in eo múnere ita versátus sit, ut, juxta ipsíus Pauli præceptóris mónita, seípsum præbúerit exémplum bonórum óperum in doctrína, in integritáte, in gravitáte.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.



Taque, tamquam lucérna inter eos qui in idololatríæ et mendaciórum ténebris, véluti in umbra mortis, sedébant, religiónis jubar diffúdit. Tráditur eum inter Dálmatas, ut Crucis vexíllum explicáret, strénue consudásse. Tandem meritórum et diérum plenus, quarto supra nonagésimum anno, prídie Nonas Januá-

rii, pretiósa justórum morte obdormívit in Dómino, et sepúltus est in ecclésia ubi ab Apóstolo miníster fúerat constitútus. Hujus nomen, a sancto Joánne Chrysóstomo et a sancto Hierónymo præcípue commendátum, Martyrológio Románo eádem die inscríptum légitur; verum pro ejus die festo cum offício et missa in cathólico orbe recoléndo ab utróque clero, primam insequéntem diem líberam summus Póntifex Pius nonus assignávit.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Lect. de Hom. in Evang. Designávit. *de Communi Evang., cum* ℟℟. *de Communi Conf. Pont.*; *Lect. ix. de Homilia Feriæ, ejusque Comm. in Laud.*

Vesperæ a Capit. de seq.

DIE XIII. FEBRUARII.

S. Cæsarii

Archid. Engolismen. Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. (m. t. v.), *præter sequentia.*

Oratio.

Deus, fidélium remunerátor animárum, qui nobis beáti Cæsárii, Confessóris tui, solemnitátem exsultántibus ánimis dedísti celebráre: præsta, quæsumus; ut gloriosíssimis ejus précibus hic indulgéntiam peccatórum ássequi valeámus, et in regióne vivéntium gáudiis perfruámur ætérnis. Per Dóminum.

Commem. S. Titi (*Aña.* Amávit. ℣. Justum.) *et Fer.*

In primo Nocturno.

Lect. Beátus vir. *e Comm., ij. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



Cæsárius, vir rectus et simplex, beáti Ausónii, primi Engolisménsis epíscopi, tempóribus flóruit. Hic quum ejus doctrínam satis perspéctam habéret, et exímias virtútes, præsértim pietátem in Deum, et in páuperes misericórdiam admirarétur, lucérnam ab ipso Dómino accénsam non passus est sub módio latére, sed in candelábro pósuit, ut totam civitátem collustráret.

℟. Honéstum.

Lectio v.



Cæsárium ígitur ad diaconátus evéxit dignitátem; imo vidétur primátum inter Ecclésiæ suæ diáconos ipsi dedísse, ita ut quo Stéphanus Hierosólymæ functus esset offício, eo Cæsárius Engolísmæ fungerétur; unde in vetustíssimis monuméntis Archidiáconi título légitur insignítus. Eo in múnere ejúsdem gloriosís-

simi viri vestígiis inhærére satagébat, et cum bona sua, tum dona a divítibus accépta distribuébat egéntibus.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Sepúltus est Cæsárius conféssor juxta mártyrem Ausónium, juxta sacerdótem levíta, et cum ipso a piis christiánis coli et invocári cœpit. Mox super ambórum túmulum exstrúcta est ecclésia beáto Ausónio dedicáta, quo pópulus fidélis conflúxit sacra eórum córpora veneratúrus, donec, vergénte sexto décimo sæculo, ab hæréticis vastáta ecclésia, pretiosíssimæ relíquiæ in ignem conjéctæ sunt et combústæ.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Nolíte timére. *de Comm., ij. loco; Lect. ix. de Hom. Feriæ, ejusque Commem. in Laud.*

Vesperæ a Cap. de seq.

DIE XIV. FEBRUARII.

S. Genovefæ

Virginis.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg., præter sequentia.

In j. vesperis.

℣. Spécie tua.

Ad Magnif. Aña. Sponsa Dei Genovéfa, tuæ plebis memor esto, quæ dum natális tui festa célebrat, auxílium sibi a te poscit.

Oratio.

Effúnde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti : ut sédula ejus imitatióne tibi sincére obsequéntes, fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum.

Comm. præc. Aña. Hic vir. ℣. Justum dedúxit.

Deinde Feriæ, et S. Valentini Presbyteri et Martyris, Aña. Iste sanctus. ℣. Glória.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui beáti Valentíni, Mártyris tui, natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus ejus intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno.

Lect. De virgínibus. *de Communi.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Genovéfa, Nemptodúri in agro Parisiénsi, Sevéro et Gerúntia paréntibus nata, inaudítæ virtútis splendóre a téneris annis cláruit. Germánus Autissiodorénsis, in Británniam transmissúrus cum Lupo Trecénsi, ut Pelagiánæ hæresis relíquias profligáret,

conjéctis in eam óculis, Deo caram et vitæ sanctitáte illústrem fore prædíxit. Ab ea cum postulásset num virginitátem Deo vellet consecráre, Genovéfa, vultu ad modéstiam compósito, statim respóndit id unum se veheménter optáre. Germánus ítaque ecclésiam frequénti pópulo ingréssus, puéllæ manus impósuit, et inter crebros psalmórum concéntus prolixásque oratiónes Vírginem consecrávit. Postrídie sciscitánti an voti jam emíssi memor esset, mémorem vero se et in eo propósito permansúram, Deo operánte, asseverávit. Ille nummum æreum signo crucis insignítum, nec sine Dei nutu, humi conspicátus, collégit, Vírgini dedit, præcepítque ut collo appénsum gestáret, nec ullis deínceps monílibus, quæ sponsæ Christi non convéniunt, ornári se paterétur.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Miraculórum dono et multitúdine excélluit, máxime circa energúmenos, quos óleo consecráto inúngens, a dæmonum tyránnide liberábat. Plúrima prophético spíritu edíxit; atque imprímis, accedénte Attila, Hunnórum rege, cives Parisiénses adhortáta est ne, relíctis sédibus, fortúnas suas álio transférrent, urbem pollícita, subvérsis áliis munitióribus, perstitúram. Rei veritátem probávit evéntus; idque Genovéfæ patrocínio datum. Grassánte deínde fame, et in máxima annónæ caritáte, urbem magna fruménti cópia, et páuperes innúmeros erogátis pánibus sustentávit. Neque tamen tot éditis miráculis effúgere pótuit quin malevolórum ódio et contuméliis premerétur. Germánus, in Británniam íterum profectúrus, eam ádiit, et váriis impetítam calúmniis divíno elóquio consolátus est; habitáque gravi ad pópulum oratióne, quanti esset apud Deum mériti expósuit, et locum in quo preces illa fundébat lácrymis ejus madefáctum osténdit. Ab anno ætátis décimo quinto ad usque quinquagésimum, Domínica tantum die et quinta féria jejúnium solvit, sumpto pane hordeáceo ac módico pulménto, quod ante quíndecim dies coctum, ut minus sápidum esset, frígida aqua temperábat. Post id tempus, suadéntibus Epíscopis, quibus non obtemperáre nefas putábat, piscículis et lacte usa est.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

Neque vero intra Gálliæ límites tanta virtus continéri pótuit. Símeon ille Stylítes, audíta

tot miraculórum fama, ejus se précibus vóluit commendátum. Méritis reférta, migrávit ad Dóminum anno quingentésimo duodécimo, ætátis suæ octogésimo nono, tértio Nonas Januárii. Sepúlta est in basílica sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, quam, ipsa suadénte, Clodovéus rex fundáverat; cui deínde, procéssu ævi, sanctæ Genovéfæ nomen índitum fuit; atque ibi illíus opem in públicis privatísque calamitátibus sæpius expérti Parisiénses, eam sibi mérito Patrónam adscivérunt. Mediánte autem sæculo décimo octávo, cum vetus Genovéfæ templum ruinósum esset, Ludovícus décimus quintus, rex christianíssimus, a gravi morbo recreátus, novam ædem vovit, urbe príncipe ejúsque Patróna dignam: cujus ipse, anno millésimo septingentésimo sexagésimo quarto, lápidem primárium pósuit. Elápsis vero sexagínta círciter annis, post sedátas Gálliæ procéllas pacémque rédditam, Ludovícus décimus octávus conspícuam ædem, plaudéntibus bonis ómnibus, divíno cúltui tandem restítuit. Quaprópter, anno supra millésimum octingentésimo vigésimo secúndo, beátæ Genovéfæ die festo recurrénte, novam ecclésiam Hyacínthus Ludovícus, Parisiénsis archiepíscopus, rite benedíxit, sanctæ Vírginis relíquiis, divérsis e locis in quibus colebántur, in illam advéctis.

℟. Afferéntur.

In tertio Nocturno.

Homil. in Evang. Símile erit... decem virgínibus. *de Comm. primo loco; Lect. nona de Hom. Feriæ.*

In laudibus.

℣. Diffúsa est.

Ad Bened. Aña. Dóminus, per fímbrias étiam vestiménti Genovéfæ, sibi diléctæ Vírginis, super ægrótos ac váriis deténtos languóribus sanitátum remédia sæpius osténdere dignátus est.

Oratio.

Effúnde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti: ut sédula ejus imitatióne tibi sincére obsequéntes, fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum.

Commemoratio Feriæ et S. Valentini, (*Aña.* Qui odit. ℣. Justus. *Oratio.* Præsta.)

In ij. vesperis,

℣. Diffúsa est.

Ad Magnif. Aña. Felíci cursu longa vitæ spátia eménsa est, peregrína mundo, venerábilis pópulo, devóta Christo.

DIE XV. FEBRUARII.

S. Martinæ

Virginis et Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virg., præter sequentia.

Aña. Veni, sponsa. ℣. Spécie tua.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius; ut qui beátæ Martínæ, Vírginis et Mártyris tuæ, natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Deinde Commem. Feriæ et SS. Faustini et Jovitæ Mart., Aña. Istórum est. ℣. Lætámini.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Faustíni et Jovítæ solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum nostrum.

In j. vel ij. Vesperis, quando dicendæ sunt, dicitur Hymnus. Martínæ célebri. *usque ad* Quærit præmia, *et in fine* A nobis ábigas. *Ad Matutinum autem incipitur Hymnus a* Non illam *usque in finem.*

Ad matutinum.

Hymnus.

Martínæ célebri pláudite nómini,
Cives Romúlei, pláudite glóriæ :
Insígnem méritis dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.
Hæc dum conspícuis orta paréntibus,
Inter delícias, inter amábiles
Luxus illécebras, dítibus áffluit
Faustæ munéribus domus;
Vitæ despíciens cómmoda, dédicat
Se rerum Dómino, et munífica manu
Christi paupéribus distríbuens opes,
Quærit præmia cœlitum.

Non illam crúcians úngula, non feræ,
Non virgæ horríbili vúlnere cómmovent,
Hinc lapsi e Súperum sédibus Angeli
Cœlésti dape récreant.
Quin et depósita sævítie leo
Se rictu plácido prójicit ad pedes :
Te, Martína, tamen dans gládius neci
Cœli cœtibus ínserit.
Te, thuris rédolens ara vapóribus
Quæ fumat, précibus júgiter ínvocat,
Et falsum périmens auspícium, tui
Delet nóminis ómine.

A nobis ábigas lúbrica gáudia,
Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
Une et trine; tuis da fámulis jubar,
Quo clemens ánimos beas.
Amen.

In primo Nocturno.

Lect. De virgínibus. *de Comm., j. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Martína, virgo Romána, patre consulári, illústri génere nata, téneris adhuc annis orbáta paréntibus, christiánæ pietátis ardóre succénsa, divítias, quibus affluébat, mira in páuperes liberalitáte distríbuit. Sub Alexándro príncipe, cum deos inánes cólere juberétur, immáne fácinus summa libertáte detestátur. Quaprópter íterum atque íterum affécta verbéribus, uncis, úngulis férreis, testárum fragméntis laceráta, acutíssimis gládiis membrátim concísa, ádipe fervénti perúncta, demum in amphitheátro damnátur ad béstias : a quibus illæsa divínitus evádens, in ardéntem rogum injécta, incólumis pari benefício servátur.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Ex ejus tortóribus nonnúlli miráculi novitáte corrépti, Dei adspiránte grátia, Christi fidem ampléxi, post cruciátus gloriósam martyrii palmam cápitis abscissióne promeruére. Ad ejúsdem preces, nunc terræ mótibus exórtis, nunc ígnibus cœlo tonánte delápsis, deórum templa prostráta sunt, et simulácra consúmpta. Intérdum ex vulnéribus lac cum sánguine erúpit, splendórque nitidíssimus, ac suavíssimus odor e córpore emanávit : intérdum sublímis régia in sede divínis láudibus una cum cœlítibus interésse visa est.

℟. Dilexísti.

Lectio vj.

Hisce prodígiis ejúsque imprímis constántia ácriter permótus judex, caput vírgini amputári præcépit : qua perémpta, auditáque de cœlo voce, qua ad súperos evocabátur, Urbs tota contrémuit, ac multi idolórum cultóres ad Christi fidem convérsi sunt. Sacrum Martínæ corpus, sedénte sancto Urbáno primo, martyrio affécum, Urbáno octávo, Pontífice máximo, in pervetústa ejúsdem ecclésia, ad Mamertínum cárcerem, in Capitolíni clivi radícibus, cum sanctórum Mártyrum Concórdii, Epiphánii, et sociórum corpóribus repértum, eódem loco in meliórem formam redácto atque decéntius ornáto, magno pópuli concúrsu, totíus Ur-

bis lætítia, solémni ritu ac pompa repósitum est.

℟. Afferéntur.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Símile erit. *de Comm., j. loco. Lect. ix. de Homil. Fer.*

Ad laudes,

Hymnus.

Tu natále solum prótege, tu bonæ
Da pacis réquiem Christíadum plagis :
Armórum strépitus, et fera prœlia
In fines age Thrácios :
Et regum sócians ágmina sub Crucis
Vexíllo, Sólymas néxibus éxime,
Vindéxque innócui sánguinis, hósticum
Robur fúnditus érue.
Tu nostrum cólumen, tu decus ínclytum,
Nostrárum obséquium réspice méntium;
Romæ vota libens áccipe, quæ pio
Te ritu canit et colit.
A nobis ábigas lúbrica gáudia,
Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
Une et trine; tuis da fámulis jubar,
Quo clemens ánimos beas.
Amen.

Comm. Feriæ et SS. Faustini et Jovitæ Mart.

In ij. Vesperis Commem. Feriæ.

FESTA MARTII.

DIE I. MARTII.

S. Amantii Buxiens.

Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Amántium Confessórem tuum in ábditos silvárum recéssus, ut ad cor ejus loqueréris, vocáre dignátus es : præsta, quæsumus; ut, ejus exémplo vana transeúntis mundi commércia devitántes, tuo tandem in cœlis collóquio pérfrui mereámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Feriæ.

In primo Nocturno.

Lect. Beátus vir. *de Communi, ij. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Amántius, Burdígalæ nóbili génere ortus, defúnctis paréntibus, qui eum sédulo evangélicis doctrínis curáverant imbuéndum, património paupéribus distribúto, primum calceaménta, beatórum instar Mártyrum Crispíni et Crispiniáni, consúere non erúbuit. Mox martyrii desidério æstuans, de terra et cognatióne sua exíre deli-

berávit; sed ventis navem, quam conscénderat ut Hispániam péteret, retro feréntibus, ad littus Carantónicum cógitur appéllere: unde in solitúdinem quamdam ingréssus pagi Santónici, longo témpore vitam ibi duxit eremíticam, donec fama beáti Epárchii instínctus venit Engolísmam, ut se illíus regímini subjíceret.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Porro non longe a civitáte silva erat densíssima, cui nomen Búxea; illuc jubet Epárchius Amántium secédere. Qui cum ad prædíolum Varnum nómine pervenísset, Tibérius présbyter, admirátus quod ante virum Dei ecclésiæ suæ fores, quas ipse occlusísset, quasi sponte panderéntur, ad pedes ejus cum ómnibus sodálibus se prostrávit, eúmque patrem appellávit. Iis ad vitam perfectiórem, beáti Epárchii consílio, sapiénter institútis, postquam cum ipsis aliquámdiu ob ædificatiónem commorátus esset, intra silvam ultérius progréditur Amántius, sedémque sibi constítuit in loco ádmodum solitário, et béstiis tantum pérvio, juxta vetus altáre sancto Petro Apóstolo dicátum, quod solum ex antíqua illic a christiánis olim ædificáta basílica supérerat.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Hic cœlésti visióne admónitus colúmnam altíssimam erigéndam curat, æmulus beáti Simeónis, in qua diu libérius oratióni vacávit, et supérnis inhiávit. Vix dici potest quot et quanta advérsus diábolum certámina fortis athléta sustinúerit, quibus torméntis innóxium corpus cruciáverit, simúlque quam multis et insígnibus miráculis servi sui sanctitátem Deus dignátus sit declaráre. Tandem Kaléndis Mártii, parúmper ante febre attáctus, viático sumpto, plácide rebus excéssit humánis. Ad ejus túmulum brevi monastérium exstrúctum est, quod póstea, útpote in loco inaquóso situm, Guliélmus comes ad ripas Javári, in campum ab epíscopo Rohóne datum, transferéndum curávit, translátis quoque pretiósis beáti viri relíquiis in amplíssimam ecclésiam, quæ, díruto monastério, usque ad hodiérnam diem mansit.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Homil. in Evang. Nolíte timére. *secundo loco; Lect. ix. de Hom. Fer., ejusque Comm. in Laud.*

In Vesp., Comm. seq. et Feriæ.

DIE II. MARTII.

S. Albini

Episcopi Confessoris.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio. Da, quæsumus.

In primo Nocturno.

Lect. Fidélis sermo. *de Communi.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



Lbínus, Venétiæ in Armóricis claro génere ortus, relíctis a púero propter amórem Christi paréntibus, in Cincillacénsi cœnóbio vitam religiósam ardénter ampléxus est. Ibi omni virtútum génere, sed obediéntia potíssimum et humilitáte cláruit. Accedébat pia in edomándo córpore crudélitas, atque in frenándis, jejuniórum, vigiliárum et oratiónum ope, cupiditátibus, invícta constántia. Anno ætátis quinto et trigésimo, ejúsdem monastérii Abbas creátus, illud singulári vigilántia rexit annos quinque et vigínti, nulla omníno re prætermíssa, quæ ad reguláris disciplínæ integritátem pertinéret.

℟. Invéni David.

Lectio v.



xínde lóngius diffúsa virtútum fama, Andegavénsi Ecclésiæ, multum licet repúgnans, præpósitus, in eo múnere ita se gessit, ut gregi suo semper inténtus, páuperes páscere, ægros invísere, redímere captívos, ceteráque christiánæ caritátis offícia exercére non desísteret. Ecclesiásticæ disciplínæ vindex ac propugnátor éxstitit acérrimus. Cumque nec potentiórum grátia flecti, nec regum poténtia frangi posset, pro eo quo veheménter ardébat martyrii stúdio, máximis perfúnctus labóribus et ærúmnis, in cápitis discrímen plerúmque venit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.



ultis per vitam et post mortem miráculis cláruit. Adolescénti mórtuo vitam, plúrimis cæcis visum réddidit; dæmones ex hóminum corpóribus ejécit. Anno tandem ætátis octogésimo, íniti autem pontificátus vigésimo, mense sexto, Kaléndis Mártii, felícem ánimam Deo réddidit. Ejus vero sacrum corpus, jamprídem veneratióni fidélium exhíbitum, Gerárdus epíscopus Engolisménsis et Apostólicæ Sedis legátus, præséntibus multis Epíscopis, Kaléndis Mártii anni supra millésimum centésimi vicésimi octávi, in novam capsam argénto et auro fabre elaborátam tránstulit. Magno semper in honóre

hábitus est apud nos sanctus Albínus, et ejus festum quotánnis solémni ritu celebrabátur.

℟. Iste est.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Homo péregre. *de Comm., j. loco; Lect. ix. de Hom. Fer., ejusque Comm. in Laud. et Vesp.*

DIE XVIII. MARTII.

S. Gabrielis

Archangeli.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

Comm. S. Patritii Episc. Conf., et Fer. in j. Vesp.

Nona Lectio de Homilia Feriæ, ejusque Commem. in Laud.

Vesp. de S. Josepho, Comm. Fer. tantum.

DIE XX. MARTII.

S. Cyrilli Hierosolymitani

Episc. Conf. et Eccl. Doct.

Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano die XVIII. Martii.

Commem. S. Cyrilli et Fer. in ij. Vesperis S. Josephi.

Nona Lect. de Hom. Fer., ejusque Commemoratio in Laudibus.

Vesperæ de seq., Comm. S. Cyrilli et Feriæ.

DIE XXX. MARTII.

In Translatione S. Ausonii

Episcopi et Martyris.

Duplex majus.

Omnia ut in ejus die festo XXII. Maii, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui, in resurrectióne, Sanctórum tuórum córpora glória et immortalitáte donábis : præsta, quæsumus; ut, intercedénte beáto Ausónio, Mártyre tuo atque Pontífice, cujus solémnem recólimus translatiónem, ipsíus immortalitátis et glóriæ partícipes esse mereámur. Per Dóminum.

Comm. Feriæ in Quadr.

In primo Nocturno.

Lect. Laudémus viros. *de Comm. Conf. Pont., ij. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Beátus Ausónius, primus Engolisménsium epíscopus, qui novélla nascéntis Ecclésiæ gérmina, sédulo ab ipso nutríta, sánguine suo fecundávit, sepúltus est in confínio civitátis, ad occidentálem partem, statímque túmulus ejus hábitus est in honóre. Imo dicúntur piæ mulíeres defúncti patris desidério simul et perfectióris vitæ stúdio, præeúnte Dei fámula Calfágia, illum locum sibi

sedem elegísse. Certum est saltem ab antíquis tempóribus ibi monastérium ædificátum fuísse, et basílicam sancto Mártyri dedicátam. Quæ a Wisigóthis Ariánis díruta, et a Clodovéo primo restitúta, íterum a bárbaris destrúcta est.

℞. Intendébant.

Lectio v.

Ineúnte vero undécimo post Christum natum sæculo, Guliélmus, comes Engolisménsis, de ália in honórem beáti Ausónii erigénda ecclésia cogitávit, imo manum óperi admóvit : quod póstea ejus fílius Godefrídus prosecútus est, et nepótes Guliélmus et Adhemárus, quorum utérque ténuit episcopátum, perfecérunt. Anno ígitur millésimo centésimo décimo octávo, die tricésimo Mártii, Gerárdus, qui in locum Adhemári defúncti succésserat, idémque Apostólicæ Sedis legátus, quum Engolísmam pluri mórum Episcopórum concílium coegísset, sancti Ausónii relíquias post altáre majus prædíctæ ecclésiæ solémni pompa transferéndas curávit.

℞. Beátus Ausónius.

Lectio vj.

Hac in sede ultra quadringéntos annos tamquam pretiosíssimæ margarítæ servátæ sunt, donec Calviniánæ hæresis sectatóres, civitáte Engolisménsi armis occupáta, monastérium et ecclésiam dejecérunt, et cum óssibus sanctórum Aptónii et Cæsárii sacrum beáti Ausónii corpus combussérunt; quædam tamen ossícula, a piis fidélibus flammis erépta, etiámnunc honorífice quiéscunt cum álibi, tum in nova ecclésia, quæ, curánte António Cárolo, epíscopo Engolisménsi, in eódem loco, quo prióres stéterant, exstrúcta est.

℞. Justórum.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* xij. *c*

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti, cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. lj. *in Joan., sub med*

Ipse Dóminus Jesus erat granum mortificándum, et multiplicándum : mortificándum infidelitáte Judæórum, multiplicándum fide populórum. Jam vero exhórtans ad passiónis suæ sectánda vestígia : Qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis intélligi potest. Qui

amat, perdet : id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenére in Christo, noli mortem timére pro Christo. Item álio modo : Qui amat ánimam suam, perdet eam; noli amáre, ne perdas : noli amáre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.

℟. Vir magnus.

Lectio viij.

Hoc autem, quod postérius dixi, magis habére vidétur evangélicus sensus. Séquitur enim : Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Ergo quod supra dictum est, Qui amat, subintellígitur in hoc mundo, ipse útique perdet : qui autem odit, útique in hoc mundo, in vitam ætérnam ipse custódit eam. Magna et mira senténtia, quemádmodum sit hóminis in ánimam suam amor ut péreat, ódium ne péreat. Si male amáveris, tunc odísti : si bene óderis, tunc amásti. Felíces, qui odérunt custodiéndo, ne perdant amándo.

℟. Non recédet.

Nona Lect. de Hom. Feriæ in Quadrag.; alias

Lectio ix.

Sed vide ne tibi subrépat, ut teípsum velis interímere, sic intelligéndo, quod debes odísse in hoc mundo ánimam tuam. Hinc enim quidam malígni atque pervérsi hómines, et in seípsis crudelióres et sceleratióres homicídæ, flammis se donant, aquis se præfócant, præcipitio se collídunt, et péreunt. Hoc Christus non dócuit : imo étiam diábolo præcipítium suggerénti respóndit : Redi retro, sátana : scriptum est : Non tentábis Dóminum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificatúrus erat Deum : Cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas quo volébas : cum autem senúeris, alter te cinget, et feret quo tu non vis. Ubi satis expréssit non a seípso, sed ab álio debére occídi, qui vestígia séquitur Christi.

Te Deum laudámus.

In Quadrag., Comm. Feriæ in Laudibus et Vesperis.

FESTA APRILIS.

DIE VI. APRILIS.

S. Julianæ Cornelionensis

Virginis.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg., præter sequentia.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátam Vírginem Juliánam, ad promovéndum Sanctíssimi Sacraménti cultum, mirabíliter inflammásti : tríbue, quæsumus; ita nos humilitátis ejus vestígia se-

ctári in terris, ut cum ipsa sublimári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Commem. S. Vincentii Ferrerii.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occ.; in Quadrag. De virgínibus.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

VErténte anno Christi millésimo centésimo nonagésimo tértio nata est Juliána in Retínne, pago Leodiénsi, paréntibus religióne conspícuis. Quibus orbáta quinquénnis, sub disciplína religiósa, in Cornélii Montis monastério prope Leódium, adolévit; in quo ita profécit, ut virtútum ómnium culmen attigisse viderétur. Sanctimoniálibus præpósita, sancti Augustíni régulam, quæ in eódem monastério vigébat, accuráte proféssa, ómnium in se óculos, ex austéra sanctáque vivéndi ratióne, convértit. Præclára sunt quæ prodúntur tum de ipsius in Deum et próximum amóre, humilitáte, obediéntia, pietáte et abstinéntia, tum de oratiónis stúdio ac cœléstibus charismátibus.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

CUm ad sacram synáxim accedébat, incredíbili pietátis et grátiæ sensu afficiebátur. Sponsum suum cœléstem sub eucharísticis speciébus laténtem frequénter invisébat, prona adorábat, et ómnibus adorándum prædicábat; unde factum est, ut Deus, qui infírma mundi éligit, húmilem Vírginem ad promovéndum sanctíssimæ Eucharístiæ cultum mirífice inflammárit. Etenim coram augustíssimo Sacraménto prostráta, divínitus intelléxit instituéndam esse in Ecclésia singulárem córporis Christi solemnitátem. Quod cum viris piis et doctis declarásset, hi, re matúrius examináta, ipsa adhortánte Juliána, Leodiénsem epíscopum addukérunt, ut in sua diœcési hoc festum sanctíssimi Sacraménti institúeret, quod póstea, promovénte in primis Guiárdo, epíscopo Cameracénsi, Urbánus quartus, ántea Leodiénsis cathedrális archidiáconus, auctoritáte apostólica approbávit, et ad universálem Ecclésiam exténdit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

MOrtuo Leodiénsi antístite Robérto, in multas et graves tribulatiónes devénit Juliána; nam ímpiis factiónibus monastério expúlsa, in necessitáte extréma aliquámdiu vixit, donec in Salsiniénsi monastério excépta, ínibi a gravíssimis malis aliquántulum respirávit. Sed turbá-

ta íterum pace ex ingruéntibus bellis, in óppidum Fossas inter Sabim et Mosam dedúcta, post áliquod tempus letáli morbo corrípitur; quo ingravescénte, sacrosánctum Dómini corpus in ecclésia collegiáta sumpsit in viáticum, speciáli cordis ardóre. Tum in céllulam redux, coram abbatíssa Salsiniénsi, óculis in sacratíssimum Eucharístiæ Sacraméntum defíxis, pie obdormívit in Dómino. Corpus in cœnóbium Vallariénse, uti expetíerat, fuit translátum, ubi miráculis cláruit.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Símile erit regnum cœlórum. *de Communi. In Quadr. Lect. nona Feriæ, ejusque Comm. in Laud. et Vesp.*

DIE XX. APRILIS.

B. Giraldi de Salis.

Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Oratio.



Deus, qui beátum Giráldum Abbátem strénuum monásticæ vitæ cultórem et propagatórem effecísti : præsta, quæsumus; ut ejus virtútum exémpla imitántes, ejúsdem glóriæ præmia consequámur ætérna. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno.

Lect. de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



Giráldus, Salis, Petrocorénsi in pago, Fulcóne et Adeárda nobílibus ortus paréntibus, adoléscens post navátam stúdiis óperam, canónici reguláris hábitum, consílio Robérti de Arbriséllo, índuit in monastério sancti Avíti, quod ab ipso Salis pago non longe áberat. Ibi sacris est ordínibus initiátus, excépto sacerdótio, quo semper se judicávit indígnum. Illíus exémplo fratres ejus, Grimoáldus et Fulco, monásticæ vitæ se addixérunt, imo témporis decúrsu, illíus pater jam moritúrus ab ipso vóluit eremitárum adscísci collégio, defunctóque viro, mater Tuitionénse monastérium est ingréssa.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Ubi ad virílem ætátem pervénit Giráldus, de páupere canónico factus paupérior eremíta, cilício carnem maceráre, arcto pane et aqua cum legumínibus, non sine lácrymis, ad occásum solis se nutríre in delíciis hábuit, dícere sólitus primum hóminem a paradíso ejéctum fuísse comedéndo, nosque in eum régredi non posse

nisi jejunándo. Divíno spíritu affiánte, verbum Dei tam felíciter disseminávit, ut Petrus, Pictaviénsis Epíscopus, pietáte ac sciéntia claríssimus, et plures álii Epíscopi vices suas in própriis diœcésibus ei commíttere non dubitáverint.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Exínde in silva Tuitionénsi duo fundávit monastéria, unum virórum, in quo plerúmque commorabátur; vírginum álterum, quod quum piæ féminæ, aquæ penúria, coáctæ fuíssent relínquere, ad Fontem Ebráldi, jubénte Robérto de Arbriséllo, migravérunt. Giráldus vero multa ália divérsis in locis ædificávit cœnóbia, inter quæ illud Bornetlénse in Engolisménsi diœcési, fratrésque viam perfectiónis verbo et exémplo dócuit donec plenus diérum et meritórum, in Abbátia Castellariénsi inter manus discipulórum ánimam efflávit. Sacrum ejus corpus jamprídem veneratióni fidélium exhíbitum Calviniáni sacrílege combussérunt, vergénte século sexto décimo.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia, *de Comm. Abb., j. loco.*

Vesperæ a Cap. de seq., Comm. præcedentis.

DIE XXX. APRILIS.

S. Eutropii.

Episcopi Santonen. Mart.

Duplex majus.

Omnia de Communi unius Martyris tempore Pasch., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Eutrópium, Mártyrem tuum, pontificáli glória et martyrii victória sublimásti: concéde propítius; ut illíus semper pretiósis fulciámur méritis, cujus præcláris gloriámur triúmphis. Per Dóminum.

Comm. præced. Aña. Sancti et justi. ℣. Pretiósa.

In primo Nocturno.

Lect. Laudémus viros gloriósos, *de Comm. Conf. Pont., ij. loco, cum ℟℟. de Comm. Mart. temp. Pasch.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Eutrópius, quem ut suum Apóstolum Sántones mérito venerántur, a beáto Clemente, ut ex vulgári traditióne sexto Ecclésiæ sæculo existimátum esse Gregórius Turonénsis testátur, episcopáli consecratióne insignítus, in Gállias ad fidem prædicándam diréctus est. Apud Sántones cum primo conátu parum profíceret, durítiæ plebis incrédulæ pertæsus, revérsus est ad summum Ponti-

ficem; a quo confortátus, Aquitániam felicióribus auspíciis répetens, divérsas regiónes prædicándo peragrávit, ipsíus nómine usque ad præsens tempus passim exornátas et intercessióne gaudéntes.

℟. Lux perpétua.

Lectio v.

Tandem Medioláni Sántonum episcopátus sui sedem fixit, et sacri ministérii omnes partes valídius implens, cum vitæ sanctitáte, tum miráculis et doctrína Apostolórum conspícuus, plúrimos ab idolórum cultu ad Christi fidem addúxit. Inter quos vulgo recensétur beáta Eustélla, præfécti urbis fília, quam christiána sciéntia imbútam et aqua baptísmatis tinctam Eutrópius Vírginem Deo consecrávit. Qua de causa dúplici castitátis et martyrii palma méruit ipsa coronári.

℟. In servis suis.

Lectio vj.

Propter istam fíliæ suæ mutatiónem ira accénsus, urbis præféctus jussit Eutrópium e tugúrio quod extra muros incolébat éxtrahi, et, ut superstitiónis reum, ad se addúci; eúntem vero ímpii hómines, ictu secúris in caput impácto, Eutrópium trucidavére. Sanctus Martyr in colle próximo sepúltus est. Cumque, témporum lapsu, nulla nisi nóminis et sanctitátis fama superésset, sui ipse martyrii órdinem dúplici revelatióne enarrávit. Postquam enim beátus Palládius basílicam in ejus honórem, séptimo salútis sæculo, exstrúxit, duo ex abbátibus eo convocáti, dum e túmulo sacræ Eutrópii relíquiæ transferréntur, amóto opertório conspexérunt ictu secúris illísum caput. Quibus étiam nocte sequénti Sanctus appáruit dicens : Scitóte me per eam cicatrícem quam vidístis martyrium consummásse. Beáti Eutrópii memória subsequéntibus tempóribus célebris facta est, et relíquiæ in ecclésia ipsi dicáta, modo palam venerátæ, modo delitescéntes, tandem sepúlcro recéntius instauráto sunt restitútæ.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Ego sum vitis, vos palmítes. *de Comm. unius Mart. temp. Pasch.*

Vesp. de seq., Comm. præc.

FESTA MAII:

DIE XI. MAII.

S. Gualteri

Abbatis Stirpensis.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter seq.

Vesp. a Cap. de S. Gualtero.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Deus, beáti Gualtéri Abbátis solémnitas votíva lætíficet; ut spirituálibus semper muniátur auxíliis et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. præcedentis, *Aña.* Amávit. ℣. Justum dedúxit.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Gualtérus, ex nóbili família, patre Raymúndo, matre vero Galbúrge, apud Confluéntem ad ripam Vigénnæ natus, in monastério Doraténsi, órdinis Canonicórum Regulárium, sub disciplína sancti Israélis, hujus Ecclésiæ præceptóris, educándus tráditur: ubi cum brevi non minus sanctitáte quam litterárum stúdiis profecísset, hábitum órdinis canónici et institútum adoléscens suscépit. Verum mórtuo sancto Israéle, cum nonnúlli e suis a recto pietátis trámite deviássent, verbis factísque in meliórem viam errántes redúcere dum tentat Gualtérus, in eórum ódium inimicitiásque íncidit; quas ut declináret, in turrim quamdam desértam, ædículæ beátæ Catharínæ contíguam, secéssit, ubi remótus a turbis suas omnes cogitatiónes in Deum convértit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Cujus sanctitátis fama commóti Canónici Reguláres ecclésiæ Stirpénsis, ut in eórum collégium adscríbi vellet, eníxe ipsum rogavérunt; quorum précibus obtémperans ad eos se recépit. Deínde Jerosólymam, peregrinatiónis causa, multis labóribus et vitæ perículis se cóntulit; unde mox ut revérsus fuísset, in demórtui Præpósiti, seu Abbátis, locum, licet invítus, ómnium votis sufféctus est. Ita suos ad sanctiórem vitam mónitis et exémplis excitávit, ut brevi Stirpénsis Ecclésia ceterárum velut norma exstíterit, certatímque a fidélibus, tum amplíssimis munéribus fundísque ditáta, tum plúrimis ecclésiis parochiálibus insignita fúerit: sed vígilans pastor, de suórum salúte máxime sollícitus, timens ne hujúsmodi, ut vocant, benefícia quibúsdam defectiónis ansam præbérent, sanctum Ivonem Carnoténsem consúluit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Gualtéri virtus et invícta ánimi constántia improbórum invídiam et Adelbérti, Márchiæ cómitis, ódium in se concitávit. Is quippe tanto furóre in pium Abbátem

exársit, ut, eo absénte, cléricos omnes Stirpénses gráviter cædi, totúmque monastérium et ferro et face subvérti imperáverit. Quod ut rescívit vir sanctus, summum Pontíficem injúriæ sibi illátæ víndicem ádiit, a quo Adelbértus anathémate percússus, ádeo tanti scéleris pœniténtia ductus est, ut Romam absolutiónis benefícium impetratúrus proféctus fúerit; quod quidem obtínuit, sed ea conditióne, ut a se suísque illáta ecclésiæ Stirpénsi damna compensáret: quod quidem comes et álii críminis cónscii tam abúnde complevérunt, ut hæc ecclésia in meliórem formam eórum súmptibus restitúta sit. Quibus ita compósitis, nováque prædiórum et clericórum facta accessióne, beátus Gualtérus, plenus diérum et miráculis clarus, piíssimam ánimam, ea qua víxerat tranquillitáte, efflávit, anno salútis millésimo nonagésimo, ætátis vero suæ centésimo décimo.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xix.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

(*Declamat. de Evang. hujus verbis.*)



Rbitror verba lectiónis hujus ea esse, de quibus ad immortálem sponsum a fínibus terræ clamat Ecclésia: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Hæc nempe sunt verba, quæ contémptum mundi in univérso mundo et voluntáriam persuasére homínibus paupertátem; hæc sunt quæ mónachis claustra replent, desérta anachorétis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægyptum spóliant, et óptima quæque ejus vasa driípiunt. Hic sermo vivus et éfficax, convértens ánimas felíci æmulatióne sanctitátis, et veritátis promissióne fidéli.

℟. Iste est qui.

Lectio viij.



Am et mundus transit, et concupiscéntiæ ejus, et relínquere hæc magis expedit, quam relínqui. Ecce, inquit, relíquimus ómnia et secúti sumus te: nimírum quia exsultávit ut gigas ad curréndam viam, nec curréntem sequi póteras onerátus. Sed nec inútilis commutátio, pro eo qui super ómnia est, ómnia reliquísse: nam et simul cum eo donán-

tur ómnia; et ubi apprehénderis eum, erit unus ipse ómnia in ómnibus qui pro ipso ómnia reliquérunt. Omnia sane díxerim, non tantum possessiónes, sed étiam cupiditátes, et eas máxime.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

PEtrus, cogitátum suum jactans in Dóminum, et omnem sollicitúdinem suam in eum projíciens, certus quod illi foret cura de eo, relíquit ómnia, secútus est Dóminum, ne intérrogans quidem de præmio, donec ex perículo dívitum, quod Salvátor prosequebátur, súmeret occasiónem percontándi : Quid ergo erit nobis? Ait illi Jesus : Amen dico vobis. Verbum confirmatiónis præmíttitur; magnum nóveris esse quod séquitur : In regeneratióne sedébitis et vos. Consequémini, ait, quem sequémini, ut cum ipse séderit, et vos páriter sedeátis. O séssio! quis mihi tríbuat, ut dignis éxprimam verbis, quod de sessióne hac cordis affectióne concípio! Imo quis tríbuat mihi sessiónis hujus imperturbáta frui réquie, quam desídero, quam cúpio, quam requíro!

Te Deum laudámus.

In Vesperis Commemoratio sequentis.

DIE XIII. MAII.

S. Catharinæ Senensis

Virginis.

Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano, die XXX. Aprilis. Primæ Vesp. de S. Catharina, Comm. præcedentis.

In ij. Vesperis, Comm. S. Bonifacii Mart.

DIE XV. MAII.

S. Isidori Agricolæ

Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. et Lect. ij. Noct., ut in Appendice Brev. pro aliq. locis.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Ego sum vitis vera. *de Comm. Mart. Temp. Pasch. primo loco;* ℟℟. *ut in iij. Noct. de Comm. Conf. non Pont.*

Vesp. a Cap. de seq.

DIE XVI. MAII.

S. Germerii

Episcopi. Tolosani Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter sequentia.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui beátum Germérium Antístitem pópulo tuo præésse, et quibus præérat, ver-

bo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum nostrum.

Pro Comm. præced., *Aña.* Hic vir. ℣. Justum.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



GErmérius, Engolisménsis, a pueritia sanctitátis futúræ magna indícia præbuit. In subdiáconum et deínde in diáconum ordinátus, ómnium virtútum refúlsit splendóre, vigíliis, jejúniis, eleemósynis, et oratiónibus perpétuo inténtus. Nutu divíno epíscopus Tolosánus Arísitæ, quæ ad confínia Gálliæ Narbonénsis olim fuit episcopális sedes, consecrátus est. Cum vero inde Tolósam reverterétur, a Clodovéo primo, Francórum rege, in his pártibus tunc degénte, accersítus est et honorificentíssime excéptus, et ab eódem pretiósis munéribus magnóque fundo donátus.

℟. Invéni David.

Lectio v.



PLúribus miráculis cláruit; idololátriæ relíquias subvértit. Ecclésiam in honórem sancti Saturníni dícitur construxísse et dicavísse. Sacrum ejus corpus in véteri ecclésia prioráli ejúsdem nóminis, abbáti Lezaténsi súbdita, olim delítuit, ut ex cartulário visitatiónis hujus ecclésiæ, anno millésimo quadringentésimo séptimo a Guliélmo abbáte Lezaténsi peráctæ, appáret. Inde vero ejus relíquiæ in ecclésiam parochiálem de Murello, diœcésis Tolosánæ, translátæ sunt, ubi religióse asservántur. Nonnúllæ étiam ejus reliquiárum partes, capsa argéntea inclúsæ, Tolósæ habéntur in parochiáli beátæ Maríæ Dealbátæ ecclésia.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

In transitu S. Malachiæ. *Sermo* ij.



SAnctus Póntifex, qui in spíritu humilitátis hóstias pacíficas cœlis frequénter invéxerat, hódie per semetípsum introívit ad altáre Dei, ipse hóstia et sacérdos. Benedíctus Dóminus Deus, qui tanti Pontíficis ministério visitávit plebem suam, et nunc, assúmpto eo in sanctam civitátem, tantæ recordatióne suavitátis nostram non désinit consolári captivitátem. Festívitas tua, Sancte, quæ mérito tuis virtútibus votíva impéndi-

tur, tuis nobis efficiátur méritis et précibus salutáris. Esto nobis, quæsumus, alter Móyses vel alter Elías, impértiens et tu de spíritu tuo nobis : ipsórum síquidem in spíritu et virtúte venísti. Vita tua, lex vitæ et disciplínæ : mors tua, mortis portus et porta vitæ : memória tua, dulcédo suavitátis et grátiæ : præséntia tua, coróna glóriæ in manu Dómini Dei tui. O olíva fructífera in domo Dei! O óleum lætítiæ ungens et lucens, fovens benefíciis, corúscans miráculis! Fac nos ejus, qua frúeris, lucis suavitatísque partícipes.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Homil. in Evang. Homo péregre. *de Comm., j. loco.*

Vesp. a Capit. de seq., Commem. præced.

DIE XXI. MAII.

S. Joannis Nepomuceni

Martyris.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. temp. Pasch., præter Orat. et Lect. ij. Nocturni, ut in Append. Breviarii pro aliq. locis die XVI. hujus.

In j. Vesp. Comm. præced. *Aña.* Hic vir. ℣. Justum dedúxit.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occ.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Nihil est opértum. *de Comm. unius Mart. extra temp. Pasch., tertio loco, cum ℟℟. de eod. Comm. temp. Pasch.*

Vesp. de seq. sine Comm.

DIE XXII. MAII.

S. Ausonii

Primi Engol. Episc. Mart. et Præcip. diœc. Patroni. Dupl. j. class. cum Oct.

Omnia de Comm. unius Mart. temp. Pasch. vel extra temp. Pasch.

In j. Vesperis.

Añæ de Laud., Ps. ut in j. Vesp. de Comm. Apost.

Capitulum. *Hebr.* xiij.

Fratres, mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

Nunc triumphálem canat Engolísma
Ausóni mortem, populíque plausu
Totus exsúltet pátrio sacrátus
Sánguine collis.

Dum tibi laudes mérito repéndit
Grex tuus, Pastor bone, gloriátur
Te tuo veram sibi reddidísse
Fúnere vitam.

Te suæ patrem fídei salútant

Incolæ montis, tua nunc coróna,
Ausóni, verbo simul et cruóre
Quos genuísti.
Póntifex, Martyr, Pater atque Doctor,
Véritas quem nunc sátiat perénni
Fonte, fac puro fídei bibámus
Corde fluénta.
Laus sit ætérnæ Tríadi per orbem,
Quæ sua Sanctos ope dimicántes
Adjuvat, donec réferat beátam
Déxtera palmam.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Ausóni. (*T. P.* Allelúia.) ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. (*T. P.* Allelúia.)

Ad Magnif. Aña. Ausónius pastor bonus ánimam suam pósuit pro óvibus suis, et prœlia Dómini constánter decértans, triumphálem recépit martyrii corónam. (*T. P.* Allelúia.)

Oratio.

Deus, qui beátos Mártyres triumpháli láurea decorátos in cœlésti cúria sublimásti : præsta quæsumus; ut beáti Ausónii Mártyris tui atque Pontíficis interveniéntibus méritis, supernórum cívium mereámur adscísci collégiis. Per Dóminum nostrum.

Ad matutinum.

Hymnus. Nunc triumphálem. *ut supra.*

In primo Nocturno.

Temp. Pasch., tres Psalmi dicuntur sub prima Aña uniuscujusque Noct.

Aña. Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum, et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum. (*T.P.* Allelúia.)

Aña. Dóminus dixit mihi : In gentes nunc ego mitto te aperíre óculos eórum.

Aña. Surréxit et ábiit juxta verbum Dómini; et cœpit introíre in civitátem.

℣. Confitébor tibi in pópulis, Dómine. (*T. P.* Allelúia.) ℟. Psallam tibi in natiónibus. (*T. P.* Allelúia.)

Lectiones : A Miléto. *de Comm. cum* ℟℟. *seq.*

℟. *i.* Summa Christi miseràntis grátia, sanctíssimi surrexére viri, qui ut clara fulsérunt mundo lúmina, * Et noctis caliginósa devicérunt núbila. (*T. P.* Allelúia.) ℣. Príncipem tenebrárum cum suis illécebris sprevérunt, et ardóre fídei pie Dómini secúti sunt vestígia. — Et noctis.

℟. *ii.* Primæva tirocínii sui témpora Ausónius Dómini dédicans servítio, devotióne húmili, * Puerília rudiménta sancto confirmánda submittébat Spirítui. (*T. P.* Allelúia.) ℣. Veræ religiónis normam a

beáto Martiále assecútus. — Puerília rudiménta.

℟. *iii.* Summe venerándus Póntifex Martiális Ausónium Engolisménsi præfécit Ecclésiæ, * Eíque tamquam exémplar vitæ bonum pastórem propósuit Christum. (*T. P.* Allelúia.) ℣. Ut pópulos Dómini sacro renováret chrísmate, et dispérsas oves cógeret ad ovíle. — Eíque. Glória Patri. Eíque.

In secundo Nocturno.

Aña. Hic erat edóctus viam Dómini, et docébat diligentíssime quæ sunt Jesu. (*T. P.* Allelúia.)

Aña. Dóminus augébat quotídie qui salvi fíerent in idípsum.

Aña. Disseminabátur verbum Dómini per univérsam regiónem.

℣. Veritátem et salutáre tuum dixi. (*T. P.* Allelúia.) ℟. Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam. (*T. P.* Allelúia.)

Lectio iv.

AUsónius, primus Ecclésiæ Engolisménsis epíscopus, natus est Mauritániæ Sántonum, a paréntibus claris, sed idololátriæ déditis. Pater ejus, nómine Albínus, matérque Eugénia, a sancto Martiále Aquitániæ apóstolo ad fidem christiánam addúcti, suum ei fílium erudiéndum dedére, et non multo post sancta morte quievérunt. Tanti magístri salutáribus mónitis et exémplis erudítus, Ausónius ei se in prædicándo Evangélio cómitem áddidit, et sacerdótio initiátus, multas ánimas Deo lucrátus est, præsértim Engolísmæ.

℟. Intendébant turbæ his quæ dicebántur, vidéntes signa quæ faciébat; * Et baptizabántur viri ac mulíeres. (*T. P.* Allelúia.) ℣. Locútus est ómnia verba quæ díxerat Dóminus, et fecit signa coram pópulo, et crédidit pópulus. — Et.

Lectio v.

QUa in civitáte quum jam in dies sobolésceret Christi ovíle, huic Antístes a beáto Martiále ad Lemóvices transeúnte præpósitus est Primum Deo vero templum Engolísmæ eréxit, quod deínde sub invocatióne Príncipis Apostolórum dedicátum est. Exínde majóri stúdio cives, gentilítiis superstitiónibus déditos, ad verum Dei cultum et sincérum veritátis amórem evangélicæ doctrínæ prædicatióne tradúcere conátur Ausónius, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte sequéntibus signis. Cæci enim, claudi, variísque languóribus vexáti salutárem beáti viri óperam expérti sunt; et plerique dæmones ab humánis corpóribus ejus oratióne depúlsi.

℟. Beátus Ausónius nunquam addúci pótuit, ut a servitúte Dei, Creatóris et Salvatóris sui, vel léviter defléćteret, et ait : * Absit istam rem fácere; moriámur in virtúte propter fratres nostros, et non inferámus crimen glóriæ nostræ. (*T. P.* Allelúia.) ℣. Quis nos separábit a caritáte Christi? Tribulátio, an persecútio, an gládius? — Absit

Lectio vj.

De sanćti Ausónii Mártyris nece, etsi tempus et tyránni nomen præ inópia scriptórum ejus sæculi mansit obscúrum, constans tamen et antíqua tradítio est, illum Engolísmæ pro Christi fide mortem ab infidélibus illátam fórtiter pertulísse, ejúsque sacras relíquias extra urbis mœnia occidéntem versus a christiánis cónditas fuísse, ubi exstrúćta fuit in honórem ipsíus basílica, cui ádditum póstea monastérium Vírginum. Illas e præcípuo prædíćtæ basílicæ óstio post altáre majus a Gerárdo epíscopo Engolisménsi translátas incéndio tradidérunt Calviniáni, et monastérium solo æquárunt. Sanćtimoniáles autem, quum angústam domum in Bello Loco intra civitátis mœnia, non longe tamen a pristina sua sede acquisivíssent, in eam tamquam in portum confugérunt; cui póstea accessére ædes vicínæ, et pars quædam antíqui priorátus de Bello Loco. Ibi dénique régia Ludovíci tértii décimi munificéntia restitúta est abbátia, quæ usque ad témpora gallicánæ perturbatiónis nomen sanćti Ausónii servávit.

℟. Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ; * Visi sunt óculis insipiéntium mori; illi autem sunt in pace. (*T. P.* Allelúia.) ℣. Computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanćtos sors illórum est. — Visi sunt. Glória Patri. Visi.

In tertio Noćturno.

Aña. Quum perambulásset partes illas, et cohortátus eos fuísset multo sermóne, faćtæ sunt illi insídiæ. (*T. P.* Allelúia.)

Aña. Qui incréduli fuérunt, suscitavérunt et ad iracúndiam concitavérunt ánimas géntium.

Aña. Tamquam aurum in fornáce probávit Ausónium Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illum.

℣. Réspice de cœlo, Dómine, et vísita víneam istam. (*T. P.* Allelúia.) ℟. Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua. (*T. P.* Allelúia.

Léćtio sanćti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* x.

In illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam

suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

(*Tract.* xlvj. *in Joannem* 76. 1. 3.)

LOquens Dóminus Jesus óvibus suis et præséntibus et futúris, et illis et nobis, et quotquot étiam post nos fúerint oves ejus, quis ad eas missus esset osténdit. Omnes ergo áudiunt vocem pastóris sui dicéntis : Ego sum pastor bonus. Non ádderet bonus, nisi essent pastóres mali. Sed pastóres mali ipsi sunt fures et latrónes; aut certe, ut multum, mercenárii. Quis est ergo mercenárius? Sunt in Ecclésia quidam præpósiti, de quibus Paulus Apóstolus dicit : Sua quæréntes, non quæ Jesu Christi. Quid est, sua quæréntes? Non Christum gratis diligéntes, non Deum propter Deum quæréntes, temporália cómmoda consectántes, lucris inhiántes, honóres ab homínibus appeténtes. Hæc quando amántur a præpósito, et propter hæc servítur Deo, quisquis est talis, mercenárius est, inter fílios se non cómputet.

℟. Vir magnus, virtúte plenus, gloriosíssimam mortem magis quam odíbilem vitam compléctens, * Voluntárie præíbat ad supplícium. (*T. P.* Allelúia.) ℣. Fide confortátus, et certíssime sciens quia quæcúmque promísit Deus, potens est et fácere. — Voluntárie.

Lectio viij.

MUlti quippe in Ecclésia cómmoda terréna sectántes, Christum tamen prædicant, et per eos vox Christi audítur : et sequúntur oves, non mercenárium, sed vocem pastóris per mercenárium. Audíte mercenários ab ipso Dómino demonstrátos : Scribæ, inquit, et Pharisæi cáthedram Móysi sedent : quæ dicunt fácite; quæ autem fáciunt, fácere nolíte. Quid áliud dixit, nisi : Per mercenários vocem pastóris audíte? Sedéndo enim cáthedram Móysi legem Dei docent : ergo per illos Deus docet. Sua vero illi si velint docére, nolíte audíre, nolíte fácere. Certe enim tales sua quærunt, non quæ Jesu Christi : nullus tamen mercenárius ausus est dícere pópulo Christi : Tua quære, non quæ Jesu Christi. Quod enim facit male, non prædicat de cáthedra Christi : inde lædit unde mala facit, non unde bona dicit. Botrum carpe, spinam cave.

℟. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem : * Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia. (*T. P.* Allelúia.)

℟. Hic est qui fuit in Ecclésia cum pátribus nostris, qui accépit verba vitæ dare nobis. — Sapiéntiam ejus. Glória Patri. Sapiéntiam ejus.

Lectio ix.

Quómodo dixi : Botrum carpe, spinam cave; cum Dóminus dicat : Numquid cólligunt de spinis uvam, aut de tríbulis ficum? Verum est omníno; et tamen étiam verum ego dixi : Botrum carpe, spinam cave. Quia botrus aliquándo de radíce vitis exórtus, pendet in sepe; crescit palmes, inséritur spinis, et portat fructum spina non suum. Non enim spinam vitis áttulit, sed spinis palmes incúbuit. Noli interrogáre nisi radíces : quære radícem spinæ, extra ínvenis a vite; quære oríginem uvæ, vitis hanc prótulit ex radíce. Cáthedra ergo Móysi vitis erat : Pharisæórum mores spinæ erant. Doctrína vera per malos, palmes in sepe, botrus inter spinas. Caute lege, ne, dum quæris fructum, láceres manum; et quum audis bona dicéntem, ne imitéris mala faciéntem. Quæ dicunt fácite, légite uvas : quæ autem fáciunt, nolíte fácere, cavéte spinas. Etiam per mercenários vocem pastóris audíte, sed nolíte esse mercenárii, cum sitis membra pastóris.

Te Deum laudámus.

Ad laudes,

et per Horas, Añæ.

1. Ausónius adoléscens,* vocánte Dei grátia, beáti Martiális Epíscopi vestígiis inhæsit. (*T. P.* Allelúia.)

2. Tanti doctóris * sermónes cœlésti sapiéntia refértos aure semper ávida excipiébat Ausónius. (*T. P.* Allelúia.)

3. Quum magíster * discípulum apostólicis virtútibus præditum agnovísset, eum Engolisménsi primum Epíscopum præpósuit Ecclésiæ. (*T. P.* Allelúia.)

4. Beátus Ausónius,* forma gregis factus ex ánimo, diléctus erat Deo et homínibus. (*T. P.* Allelúia.)

5. Bonus pastor * ánimam suam libentíssime trádidit pro óvibus suis. (*T. P.* Allelúia.)

Capitulum. *Hebr.* xiij.

Fratres, mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

Sancti triúmphum Præsulis
Devóta dicat cívitas,
Novísque læta pláusibus
Cœli resúltent límina.
Victis avérni fráudibus,
Virtúte clarus ínclyta,
Tuta redúctos sémita
Nos ille sacrat Númini.

Torménta spernens córporis,
Perénne carpit præmium,
Et rite Martyr pátriam
Mira corónat glória.
Qui nunc supérni gáudia
Regni beáta póssides,
Natos benígnus ánnue
Patris sequi vestígia.
Donec Redémptor ómnium
Divo replétos lúmine
Sancto frui consórtio
Det sempitérna in sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Ausóni. (*T. P.* Allelúia.) ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. (*T. P.* Allelúia.)

Ad Benedictus, Aña. Ante thronum * misericórdiæ stat beátus Ausónius, ut pro grege sibi commísso semper vivens intercédat ad Pastórem pastórum Christum. (*T. P.* Allelúia.)

Oratio.

Deus, qui beátos Mártyres triumpháli láurea decorátos in cœlésti cúria sublimásti : præsta, quæsumus; ut beáti Ausónii Mártyris tui atque Pontíficis interveniéntibus méritis, supernórum cívium mereámur adscísci collégiis. Per Dóminum.

Ad tertiam,

Aña. Tanti doctóris.

Capitulum. Fratres : mementóte. *ut in Laud.*

℟. *br.* Confitébor tibi * In pópulis, Dómine. Confitébor. ℣. Psallam tibi in natiónibus. In pópulis. Glória Patri. Confitébor.

Temp. Pasch. ℟. *br.* Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * Allelúia, allelúia. Confitébor. ℣. Psallam tibi in natiónibus. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Confitébor.

℣. Veritátem et salutáre tuum dixi. (*T. P.* Allelúia.) ℟. Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam. (*T. P.* Allelúia.)

Ad sextam,

Aña. Quum magíster.

Capitulum. 1. *Thess.* j.

Fratres, grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne.

℟. *br.* Veritátem tuam * Et salutáre tuum dixi. Veritátem. ℣. Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam. Et salutáre. Glória Patri. Veritátem.

Temp. Pasch. ℟. *br.* Veritátem tuam et salutáre tuum dixi, * Allelúia, allelúia. Veritátem. ℣. Non abscóndi misericórdiam tuam, et veritátem tuam. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Veritátem.

℣. Réspice de cœlo, Dómine, et vísita víneam istam. (*T. P.* Allelúia.) ℟. Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua. (*T. P.* Allelúia.)

Ad nonam,

Aña. Bonus pastor.

Capitulum. 1. *Thess.* ij.

FRatres, facti sumus párvuli in médio vestrum, tanquam si nutrix fóveat fílios suos.

℟. *br.* Réspice de cœlo, Dómine, * Et vísita víneam istam. Réspice. ℣. Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua. Et vísita. Glória Patri. Réspice.

Temp. Pasch. ℟. *br.* Réspice de cœlo, Dómine, et vísita víneam istam. * Allelúia, allelúia. Réspice. ℣. Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Réspice.

℣. Non discédimus a te, vivificábis nos. (*T. P.* Allelúia.) ℟. Et nomen tuum invocábimus. (*T. P.* Allel.)

In ij. vesperis,

Añæ et Cap. de Laud., Ps. ut in j. Vesp. de Comm. Apost. et loco ult. Ps. Crédidi.

Hymnus.

JEsu, nostra salus, mítteris æthere
Ut mundum súpero lúmine récrees,
Nostrúmque immérita morte luis scelus,
Pendens in cruce víctima.

Tanti mox óperis, Christe, vicários,
Doctóres fídei mittis Apóstolos,
Alto consílio quos tibi pérficis
Et vita et nece cómpares.

Non his dissímilem dírigis ínclytum
Ad nos Ausónium; quem pópuli jubes
Pastórem fíeri, verbáque córdibus
Fuso sánguine pángere.

Jam nos, tanta Patris glória quos movet,
Virtútum mémores vocéque Mártyris
Excitos, per iter fac, Deus, árduum
Ad cœléstia cúrrere.

Sursum corda decet tóllere, nos ubi
Veræ tuta manent gáudia pátriæ;
Sursum corda, suos quo vocat éxsules
Natos sollícitus Pater.

Sit laus summa Patri, summáque Fílio,
Sit par, sancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præsídio magnánimi valent
Mundum víncere Mártyres.
Amen.

℣. Non discédimus a te vivicábis nos. (*T. P.* Allelúia. ℟. Et nomen tuum invocábimus. (*T. P.* Allelúia.)

Ad Magnificat, Aña. Pastor hujus Ecclésiæ, Ausóni, dux egrégie, qui pro grege martyrium passus es more fórtium, precáre pro família Deum, in cœli pátria. (*T. P.* Allelúia.)

Oratio. Deus qui, *ut supra.* *Deinde Commem. seq.*

DIE XXIII. MAII.
S. Ubaldi
Episcopi Confessoris.
Semiduplex.

Omnia ut in Breviario Romano, die XVI. hujus.

Commem. Oct. in Laud.

Vesp. de seq., Commem. præced. et Oct.

DIE XXIV. MAII.
B. Mariæ Virg. sub titulo Auxil. Christianor.
Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

Commem. Oct. in Laud.

In ij. Vesp., Comm. seq., Oct. et S. Urbani Papæ Mart.

DIE XXVIII. MAII.
S. Germani
Episcopi Parisien. Conf.
Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter sequentia.

Vesp. a Cap. de S. Germano.

Oratio.

Deus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti: da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítiis gaudére; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegámur et méritis. Per Dóminum.

Comm. præced. Aña. Veni, sponsa. ℣. Diffúsa est. *et Octavæ.*

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



Germánus, apud Æduos natus, a Scupilióne propínquo suo educátus est, cum quo ad matutínas preces ecclésiam mille passus fere distántem quacúmque áeris intempérie adíbat. Présbyter primum, et monastérii sancti Symphoriáni Augustodunénsis abbas, morum sanctitáte, ad episcopátum Parisiénsis Ecclésiæ assúmptus est. Nihil ibi remísit de vitæ austeritáte quam in monastério égerat. Hora noctis tértia ecclésiam ingréssus, non recedébat ante dilúculum, céteris de clero per tres vigílias ad psalléndum sibi ínvicem succedéntibus. Quanta rítuum majestáte, sub tali Pontífice, offícia divína celebráverit Ecclésia Parisiénsis, magnificentíssime carmínibus suis Fortunátus enarrávit.
℟. Invéni David.

Lectio v.



Mira Germáni in páuperes, máxime vero in servos captivósque rediméndos benefi-

céntia fuit, Childebérto ex régio ærário ingéntem ei pecúniam ad pias largitiónes subministránte. Quem apud Cellas, in pago Melodunénsi, ægrotántem sanitáti restítuit : unde ipsam villam rex in hujuscémodi miráculi memóriam Ecclésiæ Parisiénsi donávit. Caribértum, unum e Francis régibus, qui uxóris sorórem dúxerat, reprehéndit, eíque sacris interdíxit. Sigibértum per lítteras a cæde Chilperíci fratris deterrére conátus est, et suis mónitis relu&ctántem, brevi moritúrum prædíxit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

SEdit in concílio Parisiénsi tértio et quarto et in Turonénsi secúndo, in quo, data ad beátam Radegúndem epístola, monastérii Sanctæ Crucis Pictaviénsis institúta Epíscopi adstántes confirmárunt ac impénse laudárunt. Eidem Sanctæ ántea plúrimo adjuménto fúerat vir apostólicus, quum, ab ipsa per lítteras rogátus, regem Clotárium, jam Pictávos accedéntem, ut regínam e claustris avúlsam recíperet, ab infáusto propósito suis précibus váluit dimovére; atque in hoc prædícto monastério beátam Agnétem Abbatíssam benedictióne consecrávit. Engolísmæ vero, una cum sancto Euphrónio, Túronum epíscopo, a rege Caribérto missus, cathedrális ecclésiæ dedicatióni dícitur interfuísse, imo et Aptónio epíscopo, e vivis subláto, Merérium regis capellánum successórem elegísse et unctióne episcopáli consecrásse. Parísiis tandem, méritis clarus et prodígiis, fere octogenárius in pace quiévit.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Homo péregre. *de Comm., j. loco.*

Comm. Oct. in Laud.

Vesp. de Oct. S. Ausonii ut in j. Vesp. Festi, Comm. præced. Aña. Amávit. ℣. Justum dedúxit.

DIE XXIX. MAII.

Octava S. Ausonii

Episcopi Martyris.

Duplex.

Omnia ut in die Festo, præter sequentia.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



CElebérrimus est et antiquíssimus Engolísmæ sancti Ausónii cultus. Vix enim Christum cápitis obtruncatióne glorificáverat fortis ille Martyr, quum ad ejus túmulum in occidentáli parte extra civitátis mœnia pósitum, fidéles cœpérunt conflúere. Imo

dicúntur duæ vírgines, et in his Calfágia, quam a gravi morbo sanáverat, ibídem, quo libérius oratióni vacárent, sibi sedem posuísse. Certum est saltem ab antíquis tempóribus monastérium illic Vírginum ædificátum fuísse, quod fere collápsum Clodovéus primus restítuit, Cárolus vero Magnus, Engolísmæ degens, magnis possessiónibus locupletávit, deínde plures Francórum reges et Engolisménsium cómites váriis cumulavérunt benefíciis.

℟. Intendébant.

Lectio v.

Longius foret recensére quot et quanta, ob reveréntiam beáti Ausónii, privilégia, non solum ipsi monastério, sed étiam ejus súbditis concéssa; quam multa vota in sacro ejus templo persolúta; quam frequéntes et diutúrnæ vigíliæ ibídem fúerint celebrátæ. Verum enimvéro neque post nefáriam reliquiárum ab hæréticis Calviniánis combustiónem, ipsíus abbátiæ destructiónem, et sanctimoniálium in Bellum Locum translatiónem, eo in loco cessávit sancti Mártyris venerátio, sed ad ecclésiam parochiálem in médiis rudéribus utcúmque eréctam diu perseverávit sólitus fidélium concúrsus, ob sanitátem recéptam beáto Ausónio grátiam referéntium, et sua ibi vota solvéntium.

℟. Beátus.

Lectio vj.

Sed hoc imprímis cultus a nostris pátribus beáto Ausónio exhíbiti testimónium reférre juvat. Novus quisque Epíscopus Engolisménsis, ántequam suæ sedis possessiónem iníret, ad abbatiálem sancti Ausónii ecclésiam debébat accédere; ibíque ante fores ab Abbatíssa et ejus moniálibus honorífice excéptus, ad cantum antiphónæ sancto Mártyri própriæ, in eum locum ubi sacrum corpus pósitum erat deducebátur. Tunc accéptam ejúsdem vitam evolvébat, et longas preces usque ad horam secúndam post médiam noctem constánter fundébat; deínde vero in quoddam cubículum admíssus aliquantísper quiescébat. Redeúnte autem luce, conveniébant illuc quátuor totíus comitátus præcípui barónes, qui Epíscopum in cathedrálem sedem extolléndum dúcerent.

℟. Justórum ánimæ.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* x.

In illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam

suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. xlvij. *in Joann.* 76. 2.

EGo quærens intráre ad vos, id est, ad cor vestrum, Christum prædico : Christus ítaque mihi jánua est ad vos; per Christum intro, non ad paríetes vestros, sed ad corda vestra. Per Christum intro; Christum in me libénter audístis. Quare Christum in me libénter audístis? Quia oves Christi estis, sánguine Christi comparáti estis. Agnóscitis vestrum prétium, quod non a me datur, sed per me prædicátur. Ille quippe emit, qui pretiósum sánguinem fudit : pretiósus sanguis est illíus sine peccáto. Fecit tamen ipse étiam suórum sánguinem pretiósum, pro quibus dedit sánguinis prétium : nam si suórum sánguinem non fáceret pretiósum, non dicerétur : Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

℟. Vir magnus.

Lectio viij.

HInc ipse Apóstolus Joánnes, qui hoc, quod audístis, Evangélium prædicávit, in Epístola sua dicit : Sicut Christus pro nobis ánimam suam pósuit, sic et nos debémus ánimas pro frátribus pónere. Debémus, dixit; debitóres nos fecit qui primus exhíbuit. Ideo quodam loco scriptum est : Si séderis cœnáre ad mensam poténtis, sapiénter intéllige quæ apponúntur tibi : et mitte manum tuam, sciens quia tália te opórtet præparáre. Mensa poténtis quæ sit, nostis; ibi est corpus et sanguis Christi : qui accédit ad talem mensam, præparet tália. Et quid est, præparet tália? Quómodo pro nobis ánimam suam pósuit, sic et nos debémus, ad ædificándam plebem et asservándam fidem, ánimas pro frátribus pónere.

℟. Non recédet.

Lectio ix.

IDeo Petro, quem fácere volébat pastórem bonum, ait : Petre, amas me? pasce oves meas. Hoc semel, hoc íterum, hoc tértio usque ad ejus tristítiam. Et cum tantum interrogásset Dóminus, quantum interrogándum esse judicávit, ut ter confiterétur, qui ter negáverat, et ei suas oves pascéndas tértio commendásset, ait illi : Cum júnior esses, cingébas te, et ambulábas ubi volébas; cum autem senúeris, exténdes manus tuas, et alter te cinget, et ducet quo tu non vis. Et expósuit Evangelísta quid Dóminus díxerit : Hoc autem, inquit, dixit, signíficans qua morte clarificatúrus esset Deum.

Ad hoc ergo pértinet, Pasce oves meas, ut ponas ánimam tuam pro óvibus meis.

Te Deum laudámus.

Vesp. a Capitulo de seq. Comm. præced. et S. Felicis Papæ Mart.

DIE XXX. MAII.

S. Augustini

Episcopi Cantuarien. Conf.
Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano, die XXVIII. huj.

Nona Lect. de S. Felice, ejusque Comm. in Laud.

Vesp. a Capitulo de seq., Comm. præced. et S. Petronillæ Virg.

FESTA JUNII.

DIE II. JUNII.

SS. Pothini, Blandinæ Virg. et Soc.

Martyrum.
Duplex.

Omnia de Comm. plurim. Mart. præter sequentia.

Oratio.

Artyrum tuórum, Dómine, Pothíni, Blandínæ et Sociórum palmas ánnua celebritáte venerántes: súpplices te rogámus; ut quos cœlésti glória sublimásti, nobis pérpeti suffrágio concédas subveníre. Per Dóminum.

Pro Comm. SS. Marcellini et soc. Mart., *Aña.* Fíliæ Jerúsalem. ℣. Pretiósa. *e Laud. Orat.* Deus, qui nos ánnua.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Othínus, primus Lugdunénsis epíscopus, plurimíque álii una pro Christo certántes, Marco Aurélio imperatóre, Lugdúni váriis diébus martyrio coronáti sunt: quorum fórtia et iteráta prœlia epístola Ecclesiárum Viennénsis et Lugdunénsis ad Ecclésias Asiæ et Phrygiæ scripta recénset. Beatíssimus Pothínus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte martyrii mira alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal tractus est. Quo perlátus, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis, et univérsa plebe váriis eum clamóribus impeténte, tamquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Post hæc, inhumáne raptátus et innúmeris plagis affēctus, vix adhuc spirans in cárcerem projéctus est, tandémque post bíduum ánimam exhalávit.

℟. Lux perpétua.

Lectio v.

Eterórum martyria in várias mortis spécies divísa sunt: ex omni quippe florum génere

diversísque colóribus únicam texéntes corónam beatíssimi Mártyres Deo obtulérunt. Plúrimi occubuérunt in cárcere; nonnúlli post vários cruciátus cápite truncáti sunt. Matúrus vero neóphytus, et Sanctus, diáconus Viennénsis, cum Blandína ancílla et Attalo, ducti sunt ad béstias in amphitheátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus flagrórum vérbera pertulérunt et bestiárum ipsos trahéntium morsus, ipsam postrémo férream cáthedram, cui superpósita Mártyrum membra quum torreréntur, illórum nares molestíssimus nidor implébat. Hi ergo, máximo certámine perfúncti, tandem juguláti sunt. Attalus vero, et Blandína béstiis objécta, sed ab ipsis intácta, in ália prœlia sunt reserváti.

℟. In servis.

Lectio vj.

Attalus íterum béstiis tráditus est, unáque Alexánder, natióne Phryx, professióne médicus, qui a præside interrogátus, se christiánum esse incunctánter erat proféssus. Ambo ítaque, quum ómnia tormentórum génera advérsus illos excogitáta in amphitheátro percurríssent, gládio percússi sunt. Ultimo tandem spectaculórum die, Blandína rursus illáta est, simúlque Ponticus adoléscens quíndecim círciter annos natus. Et Pónticus quidem, cuncta supplícia generóse perpéssus, emísit spíritum. Beáta vero Blandína, post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa, tauro objécta est, a quo diu in altum jactáta, tandem et ipsa instar víctimæ jugulàta est.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Ego sum vitis, vos pálmites. *de Comm. ij. loco. Nona Lect. de SS. Marcellino et Soc., Mart. (e duabus una), eorumque Comm. in Laud. (Aña.* Lux perpétua. ℣. Sancti et Justi. *e primis Vesp.)*

Vesp. a Cap. de seq.

DIE III. JUNII.

S. Clotildis

Reginæ Viduæ.

Duplex.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart., præter sequentia.

Ad vesperas.

℣. Spécie tua.

Ad Magnif. Aña. Sanctificátus est rex Clodovéus, vir infidélis, per Clotíldem mulíerem fidélem, allelúia.

Oratio.

Respice, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus impérium : et quibus per

devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti; iísdem, per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

Commem. SS. Pothini et Soc. Mart. Aña. Sancti et justi. ℣. Pretiósa.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Clotíldis, Chilperíci regis fília, paréntibus a pátruo Gundobáldo, Burgundiórum rege, necátis, Clodovéo adhuc éthnico ab ipso Gundobáldo in cónjugem trádita est. Quæ quum primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovéo, baptizári jussit. Quum autem infántis, cui nomen impósitum fúerat Ingómeres, in albis defúncti mortem ægre ferret Clodovéus, ac baptísmo imputáret, gráviter Clotíldem objurgávit, ásserens deos pátrios, ob contémptum núminis sui irátos, sibi fílium eripuísse. At illa: Deo, inquit, omnipoténti, creatóri ómnium, grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam, ut de útero meo génitum regno suo dignarétur adscíre. Alterum fílium regína quum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit, et appellátus est Clodómeres. Qui quum ægrotáre cœpísset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus conváluit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

At regína non cessábat hortári virum ut, abjécta idololátria, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhæsit, donec in expeditióne Alamánnica, inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, a quo Clodovéus, fidem edóctus, baptizátus est et chrísmate sacro inúnctus. Post mortem Clodovéi, Túrones ádiit Clotíldis: ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis aliísque piis opéribus inténta, munífica erga ecclésias et monastéria.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

Clodómeris in bello Burgúndico occísi fílios, nepótes suos, Theobáldum, Guntárium et Clodoáldum apud se educávit. Tandem, plena diérum, Turónibus migrávit ad Dóminum; et Parí-

sios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a fíliis Childebérto et Clotário régibus ad latus Clodovéi, in sacrário basílicæ sancti Petri, quæ póstea sanctæ Genovéfæ nómine appelláta est. Exeúnte vero sæculo décimo octávo, quum ímpii sumpsíssent principátum, et bellum Deo Sanctísque ejus fácerent, ossa beátæ regínæ cum áliis relíquiis eórum furóri subtrácta, ne violaréntur, igne cremáta sunt. Quorum sacros cíneres piæ manus collegérunt, deindéque, transáctis luctuósis tempóribus, deposuérunt Parísiis, in ecclésia parochiáli sanctórum Lupi et Ægídii, in qua nunc honorífice asservántur.

℟. Fallax grátia.

In tertio Nocturno.

Homil. in Evang. Símile est. *de Communi.*

Ad laudes.

℣. Diffúsa est.

Ad Bened., *Aña.* Rex Clodovéus, elevátis ad cœlum óculis, ait : Dómine Jesu Christe, quem Clotíldis prædicat esse Fílium Dei vivi, da mihi victóriam, et sérviam tibi, allelúia.

Vesp. a Capit. de seq.

Pro Commem. S. Clotildis, *Aña.* Clotíldis, mater pátriæ, in cœlis coronáta, fecísti viríliter : adsis, et salva pópulum, allelúia.

℣. Diffúsa est.

DIE VII. JUNII.

B. Bertrandi

Patriarchæ Aquileien. Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter sequentia.

Vesp. a Capit. de B. Bertrando.

Oratio.

Deus qui beátum Bertrándum pro Ecclésiæ tuæ júribus ad mortem usque certántem invícta pastorális fortitúdine roborásti : præsta fidélibus tuis; ut ad pietátis et religiónis constántiam ejúsdem informéntur exémplis. Per Dóminum nostrum.

Pro Commem. præced. Aña. Amávit. ℣. Justum.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Bertrándus, Patriárcha Aquileiénsis, natióne Gallus, prope Cadúrcum in óppido sancti Genésii, unde famíliæ cognómen, nobílibus ortus paréntibus, in sortem Dómini vocátus, inter canónicos Ecclésiæ Engolisménsis Decánus fuit. Theológiæ vero ac juri pontifício óperam dedit eo succéssu ut summum in utráque facultáte gradum ássequi, et in Académia Tolosána sacros cánones

interpretári meruérit. Mox Aveniónem accersítus, Auditóris sacri Palátii múnere decem et septem annos perfúnctus est. His ígitur aliísque nomínibus præclare de Romána Ecclésia méritum Joánnes vicésimus secúndus ad patriarchálem dignitátem evéxit. Qua suscépta, Bertrándus in Itáliam véniens, óptimi pastóris formam exhíbuit, partésque omnes diligentíssime implévit. Diœcesánam synodum ferme quotánnis, concília duo, Utíni unum, álterum Aquiléiæ ex univérsa província coégit; sermónibus ad clerum, ad sanctimoniáles, ad pópulum, sanctíssima in primis vivéndi ratióne, gregem sibi créditum ad christiánam pietátem inflammábat.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Bonórum Ecclésiæ dispensátor fidélis, in páuperum usus ea largíssime effúdit, diutúrnæ potíssimum famis témpore, quo esuriéntes ad duo míllia síngulis diébus saturásse lítteris próditum est. Id quoque memória dignum refértur, quod nunquam cibum súmeret, quin prius in honórem duódecim Apostolórum tótidem número páuperes suis ipse mánibus aluísset. Utíni duo eréxit monastéria; ædem sanctæ Maríæ, quæ nunc metropolitána est, et canonicórum collégium auxit, ut conditóris loco habeátur. Forojuliénsis Ecclésiæ tranquillitáti consúluit; divínum in ea cultum piis largitiónibus fovit, utque peculiáris Deíparæ Vírgini honor statis précibus deferrétur auctor fuit. Ad hæc reparándis Ecclésiæ suæ jactúris labóres innúmeros et longínqua vel in extréma senectúte itínera suscépit, a Románis aliquándo Pontifícibus ablegátus ad reges et magnos príncipes; quibus ob exímiæ sanctitátis et sapiéntiæ opiniónem acceptíssimus fuit, summóque semper in honóre hábitus.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Cum divína id témporis humanáque ómnia funésto pártium stúdio permíxta ac recénti schísmate perturbáta forent, Bertrándus inter eas procéllas sancti Thomæ Cantuariénsis præsídium exemplúmque sibi propósuit, quo Ecclésiæ suæ jura vel ipso sánguine, si opus esset, fórtiter tuerétur, votíque compos efféctus est. Redux enim a concílio Patavíno, ubi contuméliis lacessítus, non apéruit os suum, anno millésimo trecentésimo quinquagésimo, die sexta Június, in factiósos hómines íncidit, ac quinque vulnéribus

confóssus, pro interfectóribus orans, præclára morte justítiæ corónam accépit. Corpus exánime ad Utinénses missum canónici sepúlcro tradunt ante aram máximam; Nicoláus vero, Bertrándi succéssor, crebro permótus cum indigenárum tum exterórum concúrsu ad beáti viri sepúlcrum, in arcam marmóream transférri curávit, quam Bertrándus ipse, dum víveret, sanctórum Mártyrum Hermágoræ et Fortunáti gestis insculptam, sacris eórum cinéribus excipiéndis servandísque paráverat. Públicum jam inde cultum ei delátum Clemens octávus rite probávit : auxítque apostólicis lítteris Benedíctus quartus décimus. Ut autem ejus offícium cum missa ab univérso clero Utinénsis Ecclésiæ celebrarétur, Clemens tértius décimus benígne concéssit.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Vigiláte. *de Comm., ij. loco.*

DIE XV. JUNII.

S. Germanae Cousin

Virginis.

Duplex.

Infra Oct. Pentec., si de ea facienda sit Commemor., Aña. Veni, Sponsa. ℣. Spécie tua. *de Communi Virginum.*

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátam Germánam, Vírginem tuam, caritátis et patiéntiæ decóre excéllere disposuísti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut crucem júgiter feréntes, te semper dilígere valeámus. Per Dóminum.

Comm. SS. Viti et Soc. Mart. in j. Vesp. et Laud. ut in Breviario Romano.

In Laud. Aña. Símile est. ℣. Diffúsa est.

In ij. Vesp. Aña. Veni, sponsa. ℣. Diffúsa est.

DIE XVI. JUNII.

S. Joannis Francisci Regis,

Confessoris.

Duplex.

Infra Oct. Pentec., si de eo facienda sit Comm., Aña. Similábo. ℣. Amávit. *de Comm. Conf. non Pont.*

Oratio.

Deus, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres beátum Joánnem Francíscum, Confessórem tuum, mirábili caritáte et invícta patiéntia decorásti: concéde propítius; ut ejus exémplis instrúcti, et intercessiónibus adjúti, ætérnæ vitæ præmia consequámur. Per Dñum.

In Laud. Aña. Euge. ℣. Justum dedúxit.

In ij. Vesp. Aña. Hic vir. ℣. Justum dedúxit.

IN SUFFRAGIIS SANCTORUM.

Commemoratio SS. Ausonii et Eparchii,

PATRONORUM DIŒCESIS ENGOLISMENSIS.

Ad vesperas.

Aña. Hos Dóminus nobis dedit, ut eórum conversatiónem intueámur, fidem imitémur et patrocíniis adjuvémur.

Ad laudes.

Aña. Isti sunt duo viri misericórdiæ, qui assístunt ante Dóminum, ut intercédant pro nobis.

℣. Oráte pro nobis, sancti Ausóni et Epárchi.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Eus, qui nos beatórum Ausónii et Epárchii doctrínis et exémplo docuísti : præsta, quæsumus; ut, eórum interveniéntibus méritis, supernórum cívium mereámur adscísci consórtio. Per Dóminum.

Concordat cum exemplari authentico quod in Archivis Curiæ Nostræ asservatur.

Engolismæ, die 8 Decembris 1884.

L. † S. ✠ A. L., Ep. Engolismensis.



Imprimatur.
Tornaci, die 27 Maii 1885.
Aug. Leroy Vic. Gen.

Index Hymnorum

Festorum.

Typis Soc. S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. — Tornaci.

Proprium Officiorum Dioecesis Engolismensis

a Sacra Rituum Congregatione approbatum Anno 1884 ac de mandato Illmi et Revmi DD. Alexandri Leopoldi Sebaux Episcopi Engolismensis editum.

Pars Aestiva.





Tornaci Nerviorum, Typis Societatis S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. M.DCCC.LXXXV.

Engolismen.


T Kalendario perpetuo et Proprio Officiorum ac Missarum in usum Diœceseos Engolismen. nonnulla insererentur Cœlitum Festa, quorum celebratio penes Clerum et populum maxime erat in votis, atque insimul additamenta ac variationes, quæ, volventibus annis, in iisdem Kalendario et Proprio locum habuerunt, ad accuratiorem ordinem disponerentur; Rm̃us Dominus Alexander Leopoldus Sebaux Episcopus Engolismen. una cum Capitulo suæ cathedralis Ecclesiæ, Kalendarium ipsum et Proprium reformare aggressus est, omne adhibens studium, quatenus cuncta in iis Rubricarum præscriptionibus, et Sanctæ Sedis Decretis apprime responderent: hæc autem omnia, sic apte concinnata, supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII sanctioni demississime subjecit.

Placuit vero eidem Sanctissimo Domino Nostro præfati Kalendarii ac Proprii examen Sacræ Rituum Congregationi committere, quæ, post exquisitum votum in scriptis unius ex Consultoribus Congregationis ipsius, omnibus accurate perpensis, idem Kalendarium ac Proprium a se emendatum atque ordinatum, prouti huic præjacet Decreto, probari posse censuit. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua, referente infrascripto Secretario, ratam habens, concedere dignata est, ut a Clero totius Diœceseos Engolismen. Sæculari ac Regulari, Diœcesano Kalendario utente, tam in Horis Canonicis persolvendis, quam in Missis celebrandis suprascriptum Kalendarium ac Proprium in posterum adhibeatur; attamen sub conditione, ut duplex omnium authenticum exemplar ad ipsam Sacram Congregationem transmittatur statim ac typis ea impressa fuerint. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 Januarii 1884.

D. Cardinalis Bartolinius S. R. C. Præfectus.

L. ✝ S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

Nos, Alexander Leopoldus,

DEI ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA
EPISCOPUS ENGOLISMENSIS.


ER præsentes decernimus ac mandamus ut Kalendarium et Proprium Officiorum ac Missarum a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII per organum S. Rituum Congregationis sub die 24 Januarii 1884 approbatum, a die 1ª Januarii 1885 ab universo Diœcesis Engolismensis Clero tam in horis canonicis persolvendis quam in missis celebrandis perpetuo adhibeatur.

Et juxta Summorum Pontificum Constitutiones, RR. DD. Desclée, Lefebvre et Soc. potestatem facimus Kalendarium et Proprium prædictum, sub modo et forma in exemplari a S. Rituum Congregatione adnotatis, typis dandi atque evulgandi, sive seorsim a Breviario et Missali Romano cudatur, sive appendicis loco ipsis Breviario ac Missali adjiciatur.

Datum Engolismæ sub signo sigilloque Nostris, necnon Cancellarii Nostræ Curiæ subscriptione, die decima nona Martii, anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo quarto.

A. L. Episcopus Engolismensis.

L. ✝ S.

De mandato Illm̃i ac Rm̃i Dñi Episcopi
G. Tortelli, c. c.

Calendarium Perpetuum.

Januarius.

1. CIRCUMCISIO D. N. J. C. *Duplex ii. classis.*
2. Octava S. Stephani Protom. *Dupl.* Com. Octavar.
3. Octava S. Joannis Apost. et Evang. *Dupl.* Com. Octav. et S. Eumachii Conf.
4. Octava SS. Innocentium MM. *Dupl.*
5. Vigilia Epiphaniæ. *Semid.* Com. S. Telesphori Pap. Mart.
6. EPIPHANIA DOMINI. *Dupl. j. class.* cum Octava.
7. De Octava. *Semid.*
8. De Octava. *Semid.*
9. De Octava. *Semid.*
10. De Octava. *Semid.*
11. De Octava. *Semid.* Com. S. Hygini Pap. Mart.
12. De Octava, vel de Dom. infr. Oct. *Semid.*
13. Octava Epiphaniæ. *Dupl.*
14. Hilarii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl. maj.* Com. S. Felicis Presb. Mart.
15. Pauli primi Eremit. Conf. *Dupl.* Com. S. Mauri Abb.
16. Marcelli Pap. Mart. *Semid.*
17. Antonii Abb. *Dupl.*
18. Cathedra S. Petri Apost. Romæ. *Dupl. maj.* (in Ecc. Cathedr. *Dupl. ij. classis.*) Com. S. Pauli Apost. et S. Priscæ Virg. Mart.
19. Canuti Regis Martyris, *Semid.* ad libitum. Commem. SS. Marii et Soc. MM.
20. Fabiani Pap. et Sebastiani MM. *Dupl.*
21. Agnetis Virg. Mart. *Dupl.*
22. Vincentii et Anastasii MM. *Semid.*
23. Desponsatio B. M. V. *Dupl. maj.* Com. S. Joseph et S. Emerentianæ Virg. Mart.
24. Timothei Episc. Mart. *Dupl.*
25. Conversio S. Pauli Apost. *Dupl. maj.* Com. S. Petri Apost.
26. Polycarpi Episc. Mart. *Dupl.*
27. Joannis Chrysost. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
28. Agnetis secundo. *Simpl.*
29. Francisci Salesii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
30. Bathildis Regin. Vid. *Dupl.*
31. Petri Nolasci Conf. *Dupl.*

Festa mobilia.

Domin. II. post Epiph. SS. NOMINIS JESU. *Duplex ij. classis.* Commem. Domin.

Feria III. post Dom. Septuag. Orationis D. N. J. C. in Monte Olivarum. *Dupl. maj.*

Feria III. post. Domin. Sexag. Commem. Passionis D. N. J. C. *Duplex majus.*

Februarius.

1. Ignatii Episc. Mart. *Dupl.*
2. PURIFICATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.*
3. Blasii Episc. Mart. *Simpl.*
4. Joannæ Valesiæ Vid. *Dupl.*
5. Agathæ Virg. Mart. *Dupl.*
6. Andreæ Corsini Episc. Conf. (d. a. ex 4. huj.) *Dupl.* Com. S. Dorotheæ Virg. Mart.
7. Romualdi Abb. *Dupl.*
8. Joannis de Matha Conf. *Dupl.*
9. Cyrilli Alexandr. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Apolloniæ Virg. Mart.
10. Scholasticæ Virg. *Dupl.*
11. Raymundi de Pennafort Conf. (d. a. ex 23. Jan.) *Semid.*
12. Titi Episc. Conf. *Dupl.*
13. Cæsarii Archidiaconi Engolismen. Conf. *Dupl.*
14. Genovefæ Virg. *Dupl.* Com. S. Valentini Presb. Mart.
15. Martinæ Virg. (d. a. ex 30. Jan.) *Semid.* Com. SS. Faustini et Soc. MM.
16.
17.
18. Simeonis Episc. Mart. *Simpl.*
19.
20.
21.
22. Cathedra S. Petri Apost. Antiochiæ. *Dupl. maj.* (in Ecc. Cathedr. *Dupl. ij. class.*) Com. S. Pauli Apost.
23. Petri Damiani Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Vigil.
24. MATHIÆ APOST. *Dupl. ij. class.*
25.
26.
27.
28.

In anno Bissextili Februarius habet dies 29, et tunc de S. Mathia fit die 25.

Festa mobilia.

Feria VI. post Cineres, Sacr. Spineæ Coronæ D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. I. Quadrag. Lanceæ et Clavor. D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag. Sacratiss. Sindonis D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.



Martius.

1. Amantii Buxiensis Conf. *Dupl.*
2. Albini Episc. Conf. *Semid.*
3.
4. Casimiri Conf. *Semid.* Com. S. Lucii Pap. Mart.
5.
6.

7. Thomæ de Aquino Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. SS. Perpetuæ et Soc. MM.
8. Joannis de Deo Conf. *Dupl.*
9. Franciscæ Romanæ Vid. *Dupl.*
10. Quadraginta Martyrum. *Semid.*
11.
12. Gregorii I. Pap. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
13.
14.
15.
16.
17. Patritii Episc. Conf. *Dupl.*
18. Gabrielis Archang. *Dupl. maj.*
19. JOSEPHI CONF. B. M. V. SPONSI. *Dupl. j. class.*
20. Cyrilli Hierosolymit. Episc. Conf. et Ecc. Doct. (d. a. ex 18. huj.) *Dupl.*
21. Benedicti Abb. *Dupl. maj.*
22.
23.
24.
25. ANNUNTIATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.*
26.
27.
28.
29.
30. Translatio S. Ausonii primi Engolism. Episc. Mart. *Dupl. maj.*

Festa mobilia.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Sacror. Quinque Vulnerum D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Pretiosiss. Sanguinis D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. Passionis, Septem Dolorum B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Fer.



Aprilis.

1.
2. Francisci de Paula Conf. *Dupl.*
3.
4. Isidori Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
5. Vincentii Ferrerii Conf. *Dupl.*
6. Julianæ Cornelionen. Virg. *Dupl.*
7.
8.
9.
10.
11. Leonis I. Pap. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
12.
13. Hermenegildi Mart. *Semid.*
14. Justini Philosophi Mart. *Dupl.* Com. SS. Tiburtii et Soc. MM.
15.
16.

17. Aniceti Pap. Mart. *Simpl.*
18.
19.
20. Giraldi de Salis Conf. *Dupl.*
21. Anselmi Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
22. Soteris et Caii Pap. MM. *Semid.*
23. Georgii Mart. *Semid.*
24. Fidelis a Sigmaringa Mart. *Dupl.*
25. MARCI EVANG. *Dupl. ij. class.*
26. Cleti et Marcellini Pap. MM. *Semid.*
27.
28. Pauli a Cruce Conf. *Dupl.* Com. S. Vitalis Mart.
29. Petri Mart. *Dupl.*
30. Eutropii primi Santonen. Episc. Mart. *Dupl. maj.*

Festum mobile.

Dom. III. post Pascha, PATROCINII S. JOSEPHI B. M. V. SPONSI CONF. *Dupl. ij. class.* Com. Dom.



Maius.

1. PHILIPPI ET JACOBI APP. *Dupl. ij. class.*
5. Athanasii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
3. INVENTIO S. CRUCIS. *Dupl. ij. class.* Com. SS. Alexandri et Soc. MM. ac Juvenalis Episc. Conf.
4. Monicæ Vid. *Dupl.*
5. Pii V. Pap. Conf. *Dupl.*
6. Joannis Apost. ante Portam Latinam. *Dupl. maj.*
7. Stanislai Episc. Mart. *Dupl.*
8. Apparitio S. Michaëlis Archang. *Dupl. maj.*
9. Gregorii Nazianz. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
10. Antonini Episc. Conf. *Dupl.* Com. SS. Gordiani et Soc. MM.
11. Gualteri Abb. Stirp. Conf. *Dupl.*
12. Nerei, Achillei, Domitillæ Virg. atque Pancratii MM. *Semid.*
13. Catharinæ Senens. Virg. (d. a. ex 30. April.) *Dupl.*
14. Bonifacii Mart. *Simpl.*
15. Isidori Agricolæ Conf. *Dupl.*
16. Germerii Episc. Tolos. Conf. *Dupl.*
17. Paschalis Baylon Conf. *Dupl.*
18. Venantii Mart. *Dupl.*
19. Petri Cœlestini Pap. Conf. *Dupl.* Com. S. Pudentianæ Virg.
20. Bernardini Senens. Conf. *Semid.*
21. Joannis Nepomuceni Mart. (d. a. ex 16 huj.) *Dupl.*
22. AUSONII PRIMI ENGOLISMEN. EPISC. MART. PRÆCIPUI DIŒC. PATR. *Dupl. j. class.*
23. Ubaldi Episc. Conf. (d. a. ex 16 huj.) *Semid.* Com. Oct.
24. B. M. V. tit. Auxil. Christianor. *Dupl. maj.* Com. Oct.
25. Gregorii VII. Pap. Conf. *Dupl.* Com. Oct. et S. Urbani Pap. Mart.
26. Philippi Nerii Conf. *Dupl.* Com. Oct. et S. Eleutherii Pap. Mart.
27. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *Semid.* Com. Oct. et S. Joannis Pap. Mart.

28. Germani Parisien. Episc. Conf. *Semid.* Com. Oct.
29. Octava S. Ausonii Episc. Mart. *Dupl.*
30. Augustini Episc. Cantuar. Conf. (d. a. ex 28. huj.) *Dupl.* Com. S. Felicis Pap. Mart.
31. Angelae Mericiae Virg. *Dupl.* Com. S. Petronillae Virg.

Festum mobile.

Feria VI. post Octavam Corporis Christi, Sacratiss. Cordis Jesu. *Dupl. maj.*



Junius.

1.
2. Pothini, Blandinæ Virg. et Soc. MM. *Dupl.* Com. SS. Marcellini et Soc. MM.
3. Clotildis Regin. Vid. *Dupl.*
4. Francisci Caracciolo Conf. *Dupl.*
5. Bonifacii Episc. Mart. *Dupl.*
6. Norberti Episc. Conf. *Dupl.*
7. Bertrandi Patriarch. Aquilejen. Conf. *Dupl.*
8.
9. Primi et Feliciani MM. *Simpl.*
10. Margaritæ Scotor. Regin. Vid. *Semid.*
11. Barnabæ Apost. *Dupl. maj.*
12. Joannis a S. Facundo Conf. *Dupl.* Com. SS. Basilidis et Soc. MM.
13. Antonii de Padua Conf. *Dupl.*
14. Basilii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
15. Germanæ Cousin Virg. *Dupl.* Com. SS. Viti et Soc. MM.
16. Joannis Francisci Regis Conf. *Dupl.*
17.
18. Marci et Marcelliani MM. *Simpl.*
19. Julianæ de Falconeriis Virg. *Dupl.* Com. SS. Gervasii et Soc. MM.
20. Silverii Pap. Mart. *Simpl.*
21. Aloysii Gonzagæ Conf. *Dupl.*
22. Paulini Episc. Conf. *Simpl.*
23. Vigilia.
24. NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ. *Dupl. j. class.* cum Octava.
25. Gulielmi Abb. *Dupl.* Com. Oct.
26. Salvii Episc. Engolism. et Superii MM. *Dupl.* Com. Oct.
27. Joannis et Pauli MM. (d. a. ex heri) *Dupl.* Com. Oct.
28. Leonis Papæ Conf. *Semid.* Com. Oct. et Vigil.
29. PETRI ET PAULI APP. *Dupl. j. class.* cum Octava. Com. Omn. SS. App.
30. Com. S. Pauli Apost. *Dupl. maj.* Com. S. Petri Apost. et Oct. S. Joan. Bapt.

Festum mobile.

Dom. III. post Pentecosten, Purissimi Cordis B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.

Julius.

1. Eparchii Abb. Civit. Engolism. Compatr. *Dupl. j. class.* cum Octava. Com. Oct. S. Joan. Bapt.
2. Visitatio B. M. V. *Dupl. ij. class.* Com. SS. Processi et Soc. MM.
3. Martialis Episc. Conf. Aquit. Apost. *Dupl. ij. class.*
4. Irenæi Episc. Mart. *Dupl.* Com. Octavar.
5. Cyrilli et Methodii Episc. Conf. *Dupl.* Com. Octavar.
6. Octava SS. Petri et Pauli App. *Dupl.* Com. Oct. S. Eparchii Abb.
7. De Octava. *Semid.*
8. Octava S. Eparchii Abb. *Dupl.*
9. Elisabeth Regin. Portugal. Vid. (d. a. ex heri) *Semid.*
10. Septem Fratrum, ac Rufinæ et Secundæ Vg. MM. *Semid.*
11. Pii I. Pap. Mart. *Simpl.*
12. Joannis Gualberti Abb. *Dupl.* Com. SS. Naboris et Soc. MM.
13. Anacleti Pap. Mart. *Semid.*
14. Bonaventuræ Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
15. Henrici Imperat. Conf. *Semid.*
16. B. M. V. de Monte Carmelo. *Dupl. maj.*
17. Alexii Conf. *Semid.*
18. Camilli de Lellis Conf. *Dupl.* Com. SS. Symphorosæ et Filior. MM.
19. Vincentii a Paulo Conf. *Dupl.*
20. Hieronymi Æmiliani Conf. *Dupl.* Com. S. Margaritæ Virg. Mart.
21. Praxedis Virg. *Simpl.*
22. Mariæ Magdalenæ Pœnit. *Dupl. maj.*
23. Apollinaris Episc. Mart. *Dupl.* Com. S. Liborii Episc. Conf.
24. Vigilia. Com. S. Christinæ Virg. Mart.
25. Jacobi Apost. *Dupl. ij. class.* Com. S. Christophori Mart.
26. Annæ Matris B. M. V. *Dupl. ij. class.*
27. Pantaleonis Mart. *Simpl.*
28. Nazarii, Celsi et Victoris Papæ MM. ac Innocentii Papæ Conf. *Semid.*
29. Marthæ Virg. *Dupl. maj.* Com. SS. Felicis et Soc. MM.
30. Abdon et Sennen. MM. *Simpl.*
31. Ignatii de Loyola Conf. *Dupl.*

Festum mobile.

Dom. I. Julii, Pretiosiss. Sanguinis D. N. J. C. *Dupl. ij. class.* Com. Dom.



Augustus.

1. Petri ad Vincula. *Dupl. maj.* (in Eccl. Cathedr. *Dupl. ij. class.*) Com. S. Pauli Apost. et SS. Machabæor. MM.
2. Alphonsi Mariæ de Ligorio Episc. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Stephani Pap. Mart.
3. Inventio S. Stephani Protom. *Semid.*
4. Dominici Conf. *Dupl. maj.*
5. Dedicatio S. Mariæ ad Nives. *Dupl. maj.*

6. Transfiguratio D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. SS. Xysti et Soc. MM.
7. Cajetani Conf. *Dupl.* Com. S. Donati Episc. Mart.
8. Cyriaci, Largi et Smaragdi MM. *Semid.*
9. Vigilia. Com. S. Romani Mart.
10. LAURENTII LEVIT. MART. *Dupl. ij. class.* cum Octava.
11. De Octava. *Semid.* Com. SS. Tiburtii et Susannæ MM.
12. Claræ Virg. *Dupl.* Com. Oct.
13. Calfagiæ Virg. *Dupl.* Com. Octav. et SS. Hippolyti et Soc. MM.
14. Radegundis Francor. Regin. Vid. *Dupl.* Com. Oct. Vigil. et S. Eusebii Conf.
15. ASSUMPTIO B. M. V. *Dupl. j. class.* cum Octava.
16. Rochi Conf. *Dupl.* Com. Octavar.
17. Octava S. Laurentii Levit. Mart. *Dupl.* Com. Oct. Assumpt.
18. Hyacinthi Conf. (d. a. ex 16. hujus) *Dupl.* Com. Oct. et S. Agapiti Mart.
19. De Octava. *Semid.*
20. Bernardi Abb. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Oct.
21. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid. *Dupl.* Com. Oct.
22. Octava Assumpt. B. M. V. *Dupl.* Com. SS. Timothei et Soc. MM.
23. Philippi Benitii Conf. *Dupl.* Com. Vigil.
24. BARTHOLOMÆI APOST. *Dupl. ij. class.*
25. Ludovici Reg. Franc. Conf. *Dupl.*
26. Zephyrini Pap. Mart. *Simpl.*
27. Josephi Calasanctii Conf. *Dupl.*
28. Augustini Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Hermetis Mart.
29. Decollatio S. Joannis Bapt. *Dupl. maj.* Com. S. Sabinæ Mart.
30. Rosæ Liman. Virg. *Dupl.* Com. SS. Felicis et Soc. MM.
31. Raymundi Nonnati Conf. *Dupl.*

Festum mobile.

Dom. infra Oct. Assumpt. S. JOACHIM CONF. PATRIS B. M. V. *Dupl. ij. class.* Com. Dom.



September.

1. Viviani Episc. Santonen. Conf. *Dupl.* Com. S. Ægidii Abb. et SS. XII. Fratrum MM.
2. Stephani Regis Conf. *Semid.*
3.
4.
5. Laurentii Justiniani Episc. Conf. *Semid.*
6.
7.
8. NATIVITAS B. M. V. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. S. Adriani Mart.
9. De Octava. *Semid.* Com. S. Gorgonii Mart.
10. Nicolai de Tolentino Conf. *Dupl.* Com. Oct.
11. De Octava. *Semid.* Com. SS. Proti et Hyacinthi MM.

12. De Octava. *Semid.*
13. De Octava. *Semid.*
14. Exaltatio S. Crucis. *Dupl. maj.* Com. Oct.
15. Octava Nativ. B. M. V. *Dupl.* Com. S. Nicomedis Mart.
16. Cornelii Pap. et Cypriani Episc. MM. *Semid.* Com. SS. Euphemiæ et Soc. MM.
17. Impressio Stigmatum S. Francisci Conf. *Dupl.*
18. Josephi a Cupertino Conf. *Dupl.*
19. Januarii Episc. et Soc. MM. *Dupl.*
20. Eustachii et Soc. MM. *Dupl.* Com. Vigil.
21. MATTHÆI APOST. ET EVANG. *Dupl. ij. class.*
22. Thomæ a Villanova Episc. Conf. *Dupl.* Com. SS. Mauritii et Soc. MM.
23. Lini Papæ Mart. *Semid.* Com. S. Theclæ Virg. Mart.
24. B. M. V. de Mercede. *Dupl. maj.*
25.
26. Cypriani et Justinæ MM. *Simp.*
27. Cosmæ et Damiani MM. *Semid.*
28. Wenceslai Ducis Mart. *Semid.*
29. DEDICATIO S. MICHAELIS ARCHANG. *Dupl. ij. class.*
30. Hieronymi Presb. et Ecc. Doct. *Dupl.*

Festa mobilia.

Dom. infra Oct. Nativ. B. M. V. SS. Nominis ejusd. B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.

Dom. III. Sept. Septem Dolorum B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.



October.

1. Remigii Episc. Conf. *Dupl.*
2. Angelorum Custodum. *Dupl. maj.*
3.
4. Francisci Assis. Conf. *Dupl. maj.*
5. Placidi et Soc. MM. *Simp.*
6. Brunonis Conf. *Dupl.*
7. Palladii Episc. Santon. Conf. *Dupl.* Comm. SS. Marci Pap. Conf. et Sergii et Soc. MM.
8. Birgittæ Vid. *Dupl.*
9. Dionysii et Soc. MM. *Semid.*
10. Francisci Borgiæ Conf. *Semid.*
11. Gratulphi Conf. *Dupl.*
12.
13. Eduardi Reg. Conf. *Semid.*
14. Callisti Pap. Mart. *Dupl.*
15. Teresiæ Virg. *Dupl.*
16.
17. Hedwigis Vid. *Semid.*
18. LUCÆ EVANG. *Dupl. ij. classis.*
19. Petri de Alcantara Conf. *Dupl.*
20. Joannis Cantii Conf. *Dupl.*
21. Asterii Conf. *Dupl.* Com. S. Hilarionis Abb.
22. Ursulæ Virg. et Soc. MM. (d. a. ex heri) *Dupl.*

23. SS. Redemptoris. *Dupl. maj.*
24. Raphaëlis Archang. *Dupl. maj.*
25. Frontonis Episc. Petrocor. Conf. *Dupl. maj.* Com. SS. Chrysanthi et Dariæ MM.
26. Aptonii Episc. Engolism. Conf. *Dupl.* Com. S. Evaristi Pap. Mart.
27. B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. *Dupl.* Com. Vigil.
28. SIMONIS ET JUDÆ APP. *Dupl. ij. class.*
29. Solinæ Virg. Mart. *Semid.*
30.
31. Vigilia.

Festa mobilia.

Dom. I. Octobris, Sacratiss. Rosarii B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.

Dom. ultima Oct. Com. SS. quorum Corpora, vel Reliquiæ in Ecclesiis Diœc. Engolismen. asservantur. *Dupl.* Com. Dom.



November.

1. OMNIUM SANCTORUM. *Dupl. j. class.* cum Octava.
2. De Octava. *Semid.* Com. Omn. Fidel. Defunctor. sub ritu *dupl.*
3. De Octava. *Semid.*
4. Caroli Episc. Conf. *Dupl.* Com. Oct. et SS. Vitalis et Agricolæ MM.
5. Benigni Mart. *Dupl.* Com. Oct.
6. De Octava. *Semid.*
7. De Octava. *Semid.*
8. Octava Omnium Sanctor. *Dupl.* Com. SS. Quatuor Coronator. MM.
9. Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris. *Dupl.* Com. S. Theodori Mart.
10. Andreæ Avellini Conf. *Dupl.* Com. SS. Tryphonis et Soc. MM.
11. Martini Episc. Conf. *Dupl.* Com. S. Mennæ Mart.
12. Martini Pap. Mart. *Semid.*
13. Stanislai Kostka Conf. *Dupl.*
14. Josaphat Episc. Polocen. Mart. *Dupl.*
15. Gertrudis Virg. *Dupl.*
16. Didaci Conf. (d. a. ex 13. huj.) *Semid.*
17. Gregorii Thaumaturgi Episc. Conf. *Semid.*
18. Dedicatio Basilicæ SS. Petri et Pauli App. *Dupl.*
19. Elisabeth Regin. Hungar. Vid. *Dupl.* Com. S. Pontiani Pap. Mart.
20. Felicis de Valois Conf. *Dupl.*
21. Præsentatio B. M. V. *Dupl. maj.*
22. Cæciliæ Virg. Mart. *Dupl.*
23. Clementis Pap. Mart. *Dupl.* Com. S. Felicitatis Mart.
24. Joannis a Cruce Conf. *Dupl.* Com. S. Chrysogoni Mart.
25. Catharinæ Virg. Mart. *Dupl.*
26. Petri Alexandrini Episc. Mart. *Simpl.*
27.
28.

29. Vigilia. Com. S. Saturnini Mart.
30. ANDREÆ APOST. *Dupl. ij. class.*

Festa mobilia.

Dom. post Oct. Omn. Sanctor. DEDICATIO OMN. GALL. ECCLESIARUM. *Dupl. j. class.* cum Octava. Com. Dom.

Dom. subsequenti, Octava Dedicationis Omn. Gall. Ecclesiarum. *Dupl.* Com. Dom.



December.

1. Eligii Episc. Conf. *Dupl.*
2. Bibianæ Virg. Mart. *Semid.*
3. Francisci Xaverii Conf. *Dupl.*
4. Petri Chrysol. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Barbaræ Virg. Mart.
5. Trojani Episc. Santonen. Conf. *Dupl.* Comm. S. Sabbæ Abb.
6. Nicolai Episc. Conf. *Dupl.*
7. Ambrosii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Vigil. in Missa tantum.
8. IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V. *Dupl. j. class.* cum Octava.
9. De Octava. *Semid.*
10. Translatio Almæ Domus Lauret. *Dupl.* Com. S. Melchiadis Pap. Mart.
11. Damasi Pap. Conf. *Semid.* Com. Oct.
12. De Octava. *Semid.*
13. Luciæ Virg. Mart. *Dupl.*
14. De Octava. *Semid.*
15. Octava Immacul. Concept. B. M. V. *Dupl.*
16. Eusebii Episc. Mart. *Semid.*
17. Lazari Episc. Conf. *Dupl.*
18. Exspectatio Partus B. M. V. *Dupl. maj.*
19.
20. Vigilia.
21. THOMÆ APOST. *Dupl. ij. class.*
22.
23.
24. Vigilia Nativitatis D. N. J. C.
25. NATIVITAS D. N. J. C. *Dupl. j. class.* cum Octava.
26. STEPHANI PROTOM. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. Oct. Nativ. et Omn. SS. MM.
27. JOANNIS APOST. ET EVANG. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. Octavarum.
28. INNOCENTIUM MM. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. Octavarum.
29. Thomæ Cantuar. Episc. Mart. *Semid.* Com. Octavarum.
30. De Octava, vel de Dom. infra Oct. *Semid.* Com. Octavarum.
31. Silvestri Pap. Conf. *Dupl.* Com. Octavarum.



Proprium Officiorum
IN USUM
Diœcesis Engolismensis.

PARS ÆSTIVA.

FESTA APRILIS.

DIE XXX. APRILIS.

S. Eutropii
Episcopi Santonen. Mart.
Duplex majus.

Omnia de Communi unius Martyris, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Eutrópium, Mártyrem tuum, pontificáli glória et martyrii victória sublimásti : concéde propítius; ut illíus semper pretiósis fulciámur méritis, cujus præcláris gloriámur triúmphis. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Lect. Laudémus viros gloriósos. *de Comm. Conf. Pont., ij. loco, cum* ℟℟. *de Comm. unius Mart.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Eutrópius, quem ut suum Apóstolum Sántones mérito venerántur, a beáto Cleménte, ut ex vulgári traditióne sexto Ecclésiæ sæculo existimátum esse Gregórius Turonénsis testátur, episcopáli consecratióne insignítus, in Gállias ad fidem prædicándam diréctus est. Apud Sántones cum primo conátu parum profíceret, durítiæ plebis incrédulæ pertæsus, revérsus est ad summum Pontíficem; a quo confortátus, Aquitániam felicióribus auspíciis répetens, divérsas regiónes prædicándo peragrávit, ipsíus nómine usque ad præsens tempus passim

exornátas et intercessióne gaudéntes.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Tandem Medioláni Sántonum episcopátus sui sedem fixit, et sacri ministérii omnes partes valídius implens, cum vitæ sanctitáte, tum miráculis et doctrína Apostolórum conspícuus, plúrimos ab idolórum cultu ad Christi fidem addúxit. Inter quos vulgo recensétur beáta Eustélla, præfécti urbis fília, quam christiána sciéntia imbútam et aqua baptísmatis tinctam Eutrópius Vírginem Deo consecrávit. Qua de causa dúplici castitátis et martyrii palma méruit ipsa coronári.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

Propter istam fíliæ suæ mutatiónem ira accénsus urbis præféctus, jussit Eutrópium e tugúrio quod extra muros incolébat éxtrahi, et, ut superstitiónis reum, ad se addúci; eúntem vero ímpii hómines, ictu secúris in caput impácto, Eutrópium trucidavére. Sanctus Martyr in colle próximo sepúltus est. Cumque, témporum lapsu, nulla nisi nóminis et sanctitátis fama superésset, sui ipse martyrii órdinem dúplici revelatióne enarrávit. Postquam enim beátus Palládius basílicam in ejus honóre, séptimo salútis sæculo, exstrúxit, duo ex Abbátibus eo convocáti, dum e túmulo sacræ Eutrópii relíquiæ transferréntur, amóto opertório conspexérunt ictu secúris illísum caput. Quibus étiam nocte sequénti Sanctus appáruit dicens : Scitóte me per eam cicatrícem quam vidístis martyrium consummásse. Beáti Eutrópii memória subsequéntibus tempóribus célebris facta est, et relíquiæ in ecclésia ipsi dicáta, modo palam venerátæ, modo delitescéntes, tandem sepúlcro recéntius instauráto sunt restitútæ.

℟. Stola jucunditatis.

In tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium. Si quis vult. *de Communi, secundo loco.*

FESTA MAII.

DIE XVI. MAII.

S. Germerii

Episcopi Tolosani Conf.

Duplex.

Si hoc Festum incidat in Sabb. Quatuor Temp. Pentec., in j. Vesp. Fest. SSmæ Trinit. de eo fit Commem. Aña. Amávit. ℣. Justum. *de Comm. Conf. Pont.*

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Germérium Antístitem pópulo tuo præésse, et quibus præerat,

verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

DIE XXI. MAII.

S. Joannis Nepomuceni

Martyris.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart., præter Orat. et Lect. ij. Noct., ut in Append. Breviar. pro aliq. locis.

In Vesp. Comm. præced. Aña. Hic vir. ℣. Justum dedúxit.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In tertio Nocturno.

Homil. in Evang. Nihil est opértum. *de Communi unius Mart., tertio loco.*

Vesp. de seq., sine ulla Commemoratione.

DIE XXII. MAII.

S. Ausonii

Primi Engol. Episc. Mart. et Præcip. diœc. Patroni.

Dupl. j. cl. cum Oct.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

In j. vesperis,

Añæ de Laudibus, Psalmi ut in j. Vesp. de Communi Apost.

Capitulum. *Hebr.* xiij.



Ratres, mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.



Nunc triumphálem canat Engolísma
Ausóni mortem, populíque plausu
Totus exsúltet pátrio sacrátus
Sánguine collis.

Dum tibi laudes mérito rependit
Grex tuus, Pastor bone, gloriátur
Te tuo veram sibi reddidísse
Fúnere vitam.

Te suæ patrem fídei salútant
Incolæ montis, tua nunc coróna,
Ausóni, verbo simul et cruóre
Quos genuísti.

Póntifex, Martyr, Pater atque Doctor,
Véritas quem nunc sátiat perénni
Fonte, fac puro fídei bibámus
Corde fluénta.

Laus sit ætérnæ Tríadi per orbem,
Quæ sua Sanctos ope dimicántes
Adjuvat, donec réferat beátam
Déxtera palmam.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Ausóni. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Aña. Ausónius pastor bonus ánimam suam pósuit pro óvibus suis, et prœlia Dómini constánter decértans, triumphálem recépit martyrii corónam.

Oratio.

Deus, qui beátos Mártyres triumpháli láurea decorátos in cœlésti cúria sublimásti : præsta, quæsumus; ut beáti Ausónii, Mártyris tui atque Pontíficis, interveniéntibus méritis, supernórum cívium mereámur adscísci collégiis. Per Dóminum.

Ad matutinum.

Hymnus. Nunc triumphálem. *ut supra.*

In primo Nocturno.

Aña. Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum, et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum.

Aña. Dóminus dixit mihi : In gentes nunc ego mitto te aperíre óculos eórum.

Aña. Surréxit et ábiit juxta verbum Dómini; et cœpit introíre in civitátem.

℣. Confitébor tibi in pópulis, Dómine. ℟. Psallam tibi in natiónibus.

Lectiones A Miléto. *de Communi.*

℟. *j.* Summa Christi miserántis grátia, sanctíssimi surrexére viri, qui ut clara fulsérunt mundo lúmina, * Et noctis caliginósa devicérunt núbila. ℣. Príncipem tenebrárum cum suis illécebris sprevérunt, et ardóre fídei pie Dómini secúti sunt vestígia. — Et noctis.

℟. *ij.* Primæva tirocínii sui témpora Ausónius Dómini dédicans servítio, devotióne húmili * Puerília rudiménta sancto confirmánda submittébat Spirítui. ℣. Veræ religiónis normam a beáto Martiále assecútus. — Puerília rudiménta.

℟. *iij.* Summe venerándus Póntifex Martiális Ausónium Engolisménsi præfécit Ecclésiæ, * Eíque tamquam exémplar vitæ bonum pastórem propósuit Christum. ℣. Ut pópulos Dómini sacro renováret chrísmate, et dispérsas oves cógeret ad ovíle. — Eíque. Glória Patri. Eíque.

In secundo Nocturno.

Aña. Hic erat edoctus viam Dómini, et docébat diligentíssime quæ sunt Jesu.

Aña. Dóminus augébat quotídie qui salvi fíerent in idípsum.

Aña. Disseminabátur verbum Dómini per univérsam regiónem.

℣. Veritátem et salutáre tuum dixi. ℟. Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam.

Lectio iv.

AUsónius, primus Ecclésiæ Engolisménsis epíscopus, natus est Mauritániæ Sántonum, a paréntibus claris, sed idololátriæ déditis. Pater ejus, nómine Albínus, matérque Eugénia, a sancto Martiále Aquitániæ apóstolo ad fidem christiánam addúcti, suum ei fílium erudiéndum dedére, et non multo post sancta morte quievérunt. Tanti magístri salutáribus mónitis et exémplis erudítus, Ausónius ei se in prædicándo Evangélio cómitem áddidit, et sacerdótio initiátus, multas ánimas Deo lucrátus est, præsértim Engolísmæ.

℟. Intendébant turbæ his quæ dicebántur, vidéntes signa quæ faciébat; * Et baptizabántur viri ac mulíeres. ℣. Locútus est ómnia verba quæ díxerat Dóminus, et fecit signa coram pópulo, et crédidit pópulus. Et baptizabántur.

Lectio v.

QUa in civitáte quum jam in dies sobolésceret Christi ovíle, huic Antístes a beáto Martiále ad Lemóvices transeúnte præpósitus est. Primum Deo vero templum Engolísmæ eréxit, quod deínde sub invocatióne Príncipis Apostolórum dedicátum est. Exínde majóri stúdio cives gentilítiis superstitiónibus déditos ad verum Dei cultum et sincérum veritátis amórem evangélicæ doctrínæ prædicatióne tradúcere conátur Ausónius, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte sequéntibus signis. Cæci enim, claudi, variísque languóribus vexáti salutárem beáti viri óperam expérti sunt; et pleríque dæmones ab humánis corpóribus ejus oratióne depúlsi.

℟. Beátus Ausónius nunquam addúci pótuit, ut a servitúte Dei, Creatóris et Salvatóris sui, vel léviter deflécteret, et ait : * Absit istam rem fácere; moriámur in virtúte propter fratres nostros, et non inferámus crimen glóriæ nostræ. ℣. Quis nos separábit a caritáte Christi? Tribulátio, an persecútio, an gládius? — Absit.

Lectio vj.

DE sancti Ausónii Mártyris nece, etsi tempus et tyránni nomen præ inópia scriptórum ejus sæculi mansit obscúrum, constans tamen et antíqua tradítio est, illum Engolísmæ pro Christi fide mortem ab infidélibus illátam fórtiter pertulísse, ejúsque sacras relíquias extra urbis mœnia occidéntem versus a christiánis cónditas fuísse, ubi exstrúcta fuit in honórem ipsíus basílica, cui ádditum póstea monasté-

rium Vírginum. Illas e præcípuo prædíctæ basílicæ óstio post altáre majus a Gerárdo epíscopo Engolisménsi translátas incéndio tradidérunt Calviniáni, et monastérium solo æquárunt. Sanctimoniáles autem, quum angústam domum in Bello Loco intra civitátis mœnia, non longe tamen a prístina sua sede, acquisivíssent, in eam tamquam in portum confugérunt; cui póstea accessére ædes vicínæ, et pars quædam antíqui priorátus de Bello Loco. Ibi dénique régia Ludovíci tértii décimi munificéntia restitúta est abbátia, quæ usque ad témpora gallicánæ perturbatiónis nomen sancti Ausónii servávit.

℟. Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ : * Visi sunt óculis insipiéntium mori; illi autem sunt in pace. ℣. Computáti sunt inter fílios Dei, et inter Sanctos sors illórum est. — Visi. Glória. Visi.

In tertio Nocturno.

Aña. Quum perambulásset partes illas, et cohortátus eos fuísset multo sermóne, factæ sunt illi insídiæ.

Aña. Qui incréduli fuérunt, suscitavérunt et ad iracúndiam concitavérunt ánimas géntium.

Aña. Tamquam aurum in fornáce probávit Ausónium Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illum.

℣. Réspice de cœlo, Dómine, et vísita víneam istam. ℟. Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

(*Tract.* xlvj. *in Joannem.* 76. 1. 3.)

LOquens Dóminus Jesus óvibus suis et præséntibus et futúris, et illis et nobis, et quotquot étiam post nos fúerint oves ejus, quis ad eas missus esset osténdit. Omnes ergo áudiunt vocem pastóris sui dicéntis : Ego sum pastor bonus. Non ádderet bonus, nisi essent pastóres mali. Sed pastóres mali ipsi sunt fures et latrónes; aut certe, ut multum, mercenárii. Quis est ergo mercenárius? Sunt in Ecclésia quidam præpósiti, de quibus Paulus Apóstolus dicit : Sua quæréntes, non quæ Jesu Christi. Quid est, sua quæréntes? Non Christum gratis diligéntes, non Deum propter Deum quæréntes, temporália cómmoda consectántes, lucris inhiántes,

honóres ab homínibus appeténtes. Hæc quando amántur a præpósito, et propter hæc servítur Deo, quisquis est talis, mercenárius est, inter fílios se non cómputet.

℟. Vir magnus, virtúte plenus, gloriosíssimam mortem magis quam odíbilem vitam compléctens, * Voluntárie præíbat ad supplícium. ℣. Fide confortátus, et certíssime sciens quia quæcúmque promísit Deus potens est et fácere. — Voluntárie.

Lectio viij.

Multi quippe in Ecclésia cómmoda terréna sectántes, Christum tamen prædicant, et per eos vox Christi audítur: et sequúntur oves, non mercenárium, sed vocem pastóris per mercenárium. Audíte mercenários ab ipso Dómino demonstrátos: Scribæ, inquit, et Pharisæi cáthedram Móysi sedent: quæ dicunt fácite; quæ autem fáciunt, fácere nolíte. Quid áliud dixit, nisi: Per mercenários vocem pastóris audíte? Sedéndo enim cáthedram Móysi legem Dei docent: ergo per illos Deus docet. Sua vero illi si velint docére, nolíte audíre, nolíte fácere. Certe enim tales sua quærunt, non quæ Jesu Christi: nullus tamen mercenárius ausus est dícere pópulo Christi: Tua quære, non quæ Jesu Christi. Quod enim facit male, non prædicat de cáthedra Christi: inde lædit unde mala facit, non unde bona dicit. Botrum carpe, spinam cave.

℟. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem: * Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia. ℣. Hic est qui fuit in Ecclésia cum pátribus nostris, qui accépit verba vitæ dare nobis. — Sapiéntiam ejus. Glória Patri. Sapiéntiam ejus.

Lectio ix.

Quómodo dixi: Botrum carpe, spinam cave; cum Dóminus dicat: Numquid cólligunt de spinis uvam, aut de tríbulis ficum? Verum est omníno; et tamen étiam verum ego dixi: Botrum carpe, spinam cave. Quia botrus aliquándo de radíce vitis exórtus, pendet in sepe; crescit palmes, inséritur spinis, et portat fructum spina non suum. Non enim spinam vitis áttulit, sed spinis palmes incúbuit. Noli interrogáre nisi radíces: quære radícem spinæ, extra ínvenis a vite; quære orígínem uvæ, vitis hanc prótulit ex radíce. Cáthedra ergo Móysi vitis erat: Pharisæórum mores spinæ erant. Doctrína vera per malos, palmes in sepe, botrus inter

spinas. Caute lege, ne dum quæris fructum, láceres manum; et quum audis bona dicéntem, ne imitéris mala faciéntem. Quæ dicunt fácite, légite uvas : quæ autem fáciunt, nolíte fácere, cavéte spinas. Etiam per mercenários vocem pastóris audíte, sed nolíte esse mercenárii, cum sitis membra pastóris.

Te Deum laudámus.

Ad laudes,

et per Horas, Añæ.

1. Ausónius adoléscens,* vocánte Dei grátia, beáti Martiális Epíscopi vestígiis inhæsit.

2. Tanti doctóris *sermónes cœlésti sapiéntia refértos aure semper ávida excipiébat Ansónius.

3. Quum magíster *discípulum apostólicis virtútibus prædítum agnovísset, eum Engolisménsi primum Epíscopum præpósuit Ecclésiæ.

4. Beátus Ausónius,* forma gregis factus ex ánimo, diléctus erat Deo et homínibus.

5. Bonus pastor*ánimam suam libentíssime trádidit pro óvibus suis.

Capitulum. *Hebr.* xiij.

FRatres, mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

SAncti triúmphum Præsulis
Devóta dicat cívitas,
Novísque læta pláusibus
Cœli resúltent límina.

Victis avérni fráudibus,
Virtúte clarus ínclyta,
Tuta redúctos sémita
Nos ille sacrat Númini.

Torménta spernens córporis,
Perénne carpit præmium,
Et rite Martyr pátriam
Mira corónat glória.

Qui nunc supérni gáudia
Regni beáta póssides,
Natos benígnus ánnue
Patris sequi vestígia.

Donec Redémptor ómnium
Divo replétos lúmine
Sancto frui consórtio
Det sempitérna in sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Ausóni. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Benedictus, Aña. Ante thronum misericórdiæ stat beátus Ausónius, ut pro grege sibi commísso semper vivens intercédat ad Pastórem pastórum Christum.

Oratio.

DEus, qui beátos Mártyres triumpháli láurea decorátos in cœlésti cúria sublimásti : præsta, quæsumus; ut beáti Ausónii, Mártyris tui atque Pontíficis, intervenién-

tibus méritis, supernórum cívium mereámur adscísci collégiis. Per Dóminum.

Ad tertiam,

Aña. Tanti doctóris.

Capitulum. Fratres, mementóte. *ut in Laud.*

℟. *br.* Confitébor tibi *In pópulis, Dómine. Confitébor. ℣. Psallam tibi in natiónibus. In pópulis. Glória Patri. Confitébor.

℣. Veritátem et salutáre tuum dixi. ℟. Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam.

Ad sextam,

Aña. Quum magíster.

Capitulum. *1. Thess.* 2.

Fratres, grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne.

℟. *br.* Veritátem tuam * Et salutáre tuum dixi. Veritátem. ℣. Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam. Et salutáre. Glória Patri. Veritátem.

℣. Réspice de cœlo, Dómine, et vísita víneam istam. ℟. Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua.

Ad nonam,

Capitulum. *1. Thess.* 2.

Fratres, facti sumus párvuli in médio vestrum, tanquam si nutrix fóveat fílios suos.

℟. *br.* Réspice de cœlo, Dómine, * Et vísita víneam istam. Réspice. ℣. Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua. Et vísita. Glória Patri. Réspice.

℣. Non discédimus a te, vivificábis nos. ℟. Et nomen tuum invocábimus.

In ij. vesperis,

Añæ et Capit. de Laud., Ps. ut in j. Vesp. de Comm. Ap., et loco ult. Ps. Crédidi.

Hymnus.

Jesu, nostra salus, míteris æthere
Ut mundum súpero lúmine récrees,
Nostrúmque immérita moret luis scelus,
Pendens in cruce víctima.
Tanti mox óperis, Christe, vicários,
Doctóres fídei mittis Apóstolos,
Alto consílio quos tibi pérficis
Et vita et nece cómpares.
Non his dissímilem dírigis ínclytum
Ad nos Ausónium; quem pópuli jubes
Pastórem fíeri, verbáque córdibus
Fuso sánguine píngere.
Jam nos, tanta Patris glória quos movet,
Virtútum mémores vocéque mártyris
Excitos, per iter fac, Deus árduum,
Ad cœléstia cúrrere.
Sursum corda decet tóllere, nos ubi

Veræ tuta manent gáudia pátriæ;
Sursum corda, suos quo vocat éxsules
Natos sollícitus Pater.
Sit laus summa Patri, summáque Fílio,
Sit par, sancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præsídio magnánimi valent
Mundum víncere Mártyres. Amen.

℣. Non discédimus a te, vivificábis nos. ℟. Et nomen tuum invocábimus.

Ad Magnificat, Aña. Pastor hujus Ecclésiæ, Ausóni, dux egrégie, qui pro grege martyrium passus es more fórtium, precáre pro família Deum, in cœli pátria.

Oratio.

Deus, qui beátos Mártyres triumphâli láurea decorátos in cœlésti cúria sublimásti: præsta, quæsumus; ut beáti Ausónii, Mártyris tui atque Pontíficis, interveniéntibus méritis, supernórum cívium mereámur adscísci collégiis. Per Dóminum.

Deinde Commem. seq.

DIE XXIII. MAII.

S. Ubaldi

Episcopi Confessoris.
Semiduplex.

Omnia ut in Breviario Romano, die XVI. hujus.

Commem. Oct. in Laud.

Vesp. de seq., Commem. præced. et Oct.

DIE XXIV. MAII.

B. Mariæ Virginis
sub titulo
Auxil. Christianor.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

Commem. Oct. in Laud.

In ij. Vesp. Comm. seq., Oct. et S. Urbani Papæ Martyris.

DIE XXVIII. MAII.

S. Germani

Episcopi Parisien. Conf.
Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Vesp. a Capit. de S. Germano.

Oratio.

Deus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hanc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti: da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítiis gaudére; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegámur et méritis. Per Dóminum.

Comm. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, et Oct.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Germánus, apud Æduos natus, a Scupilióne propínquo suo educátus est, cum quo ad ma-

tutínas preces ecclésiam mille passus fere distántem quacúmque áeris intempérie adíbat. Présbyter primum, et monastérii sancti Symphoriáni Augustodunénsis abbas, morum sanctitáte, ad episcopátum Parisiénsis Ecclésiæ assúmptus est. Nihil ibi remísit de vitæ austeritáte quam in monastério égerat. Hora noctis tértia ecclésiam ingréssus, non recedébat ante dilúculum, céteris de clero per tres vigílias ad psalléndum sibi ínvicem succedéntibus. Quanta rítuum majestáte, sub tali Pontífice, offícia divína celebráverit Ecclésia Parisiénsis, magnificentíssime carmínibus suis Fortunátus enarrávit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Mira Germáni in páuperes, máxime vero in servos captivósque rediméndos beneficéntia fuit, Childebérto ex régio ærário ingéntem ei pecúniam ad pias largitiónes subministránte. Quem apud Cellas, in pago Melodunénsi ægrotántem sanitáti restítuit : unde ipsam villam rex in hujuscémodi miráculi memóriam Ecclésiæ Parisiénsi donávit. Caribértum, unum e Francis régibus, qui uxóris sorórem dúxerat, reprehéndit, eíque sacris interdíxit. Sigibértum per lítteras a cæde Chilperíci fratris deterrére conátus est, et suis mónitis reluctántem, brevi moritúrum prædíxit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Sedit in concílio Parisiénsi tértio et quarto et in Turonénsi secúndo, in quo, data ad beátam Radegúndem epístola, monastérii Sanctæ Crucis Pictaviénsis institúta Epíscopi adstántes confirmárunt ac impénse laudárunt. Eídem Sanctæ ántea plúrimo adjuménto fúerat vir apostólicus, quum, ab ipsa per lítteras rogátus, regem Clotárium, jam Pictávos accedéntem, ut regínam e claustris avúlsam recíperet, ab infáusto propósito suis précibus váluit dimovére ; atque in hoc prædícto monastério beátam Agnétem Abbatíssam benedictióne consecrávit. Engolísmæ vero, una cum sancto Euphrónio, Túronum epíscopo, a rege Caribérto missus, cathedrális ecclésiæ dedicatióni dícitur interfuísse, imo et Aptónio epíscopo, e vivis subláto, Merérium regis capellánum successórem elegísse et unctióne episcopáli con secrásse. Parísiis tandem, méritis clarus et prodígiis, fere octogenárius in pace quiévit.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Homo péregre. *de Communi, primo loco.*

Comm. Oct. in Laud.

Vesp. de Oct. S. Ausonii, ut in j. Vesp. Festi.

DIE XXIX. MAII.

Octava S. Ausonii

Episcopi Mart.

Duplex.

Omnia ut in die Festo, præter sequentia.

In j. Vesp., pro Comm. S. Germani, Aña. Amávit. ℣. Justum.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



Celebérrimus est et antiquíssimus Engolísmæ sancti Ausónii cultus. Vix enim Christum cápitis obtruncatióne glorificáverat fortis ille Martyr, quum ad ejus túmulum, in occidentáli parte extra civitátis mœnia pósitum, fidéles cœpérunt conflúere. Imo dicúntur duæ vírgines, et in his Calfágia, quam a gravi morbo sanáverat, ibídem, quo libérius oratióni vacárent, sibi sedem posuísse. Certum est saltem ab antiquis tempóribus monastérium illic Vírginum ædificátum fuísse, quod fere collápsum Clodovéus primus restítuit, Cárolus vero Magnus, Engolísmæ degens, magnis possessiónibus locupletávit, deínde plures Francórum reges et Engolisménsium cómites váriis cumulavérunt benefíciis.

℟. Intendébant.

Lectio v.



Longius foret recensére quot et quanta, ob reveréntiam beáti Ausónii, privilégia, non solum ipsi monastério, sed étiam ejus súbditis concéssa; quam multa vota in sacro ejus templo persolúta; quam frequéntes et diutúrnæ vigíliæ ibídem fúerint celebrátæ. Verum enim vero neque post nefáriam reliquiárum ab hæréticis Calviniánis combustiónem, ipsíus abbátiæ destructiónem, et sanctimoniálium in Bellum Locum translatiónem, eo in loco cessávit sancti Mártyris venerátio, sed ad ecclésiam parochiálem in médiis rudéribus utcúmque eréctam diu persevérávit sólitus fidélium concúrsus, ob sanitátem recéptam beáto Ausónio grátiam referéntium, et sua ibi vota solvéntium.

℟. Beátus Ausónius.

Lectio vj.



Sed hoc in primis cultus a nostris pátribus beáto Ausónio exhibíti testimónium reférre juvat. Novus quisque Epíscopus Engolisménsis, ántequam suæ sedis posses-

siónem iníret, ad abbatiálem sancti Ausónii ecclésiam debébat accédere; ibíque ante fores ab Abbatíssa et ejus moniálibus honorífice excéptus, ad cantum antiphónæ sancto Mártyri própriæ, in eum locum ubi sacrum corpus pósitum erat deducebátur. Tunc accéptam ejúsdem vitam evolvébat, et longas preces usque ad horam secúndam post médiam noctem constánter fundébat; deínde vero in quoddam cubículum admíssus, aliquantísper quiescébat. Redeúnte autem luce, conveniébant illuc quátuor totíus comitátus præcípui barónes, qui Epíscopum in cathedrálem sedem extolléndum dúcerent.

℟. Justórum ánimæ.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi. *Tract.* xlvij. *in Joann.* 76. 2.

EGo quærens intráre ad vos, id est, ad cor vestrum, Christum prædico : Christus ítaque mihi jánua est ad vos; per Christum intro, non ad paríetes vestros, sed ad corda vestra. Per Christum intro; Christum in me libénter audístis. Quare Christum in me libénter audístis? Quia oves Christi estis, sánguine Christi comparáti estis. Agnóscitis vestrum prétium, quod non a me datur, sed per me prædicátur. Ille quippe emit, qui pretiósum sánguinem fudit : pretiósus sanguis est illíus sine peccáto. Fecit tamen ipse étiam suórum sánguinem pretiósum, pro quibus dedit sánguinis prétium : nam si suórum sánguinem non fáceret pretiósum, non dicerétur : Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

℟. Vir magnus.

Lectio viij.

HInc ipse Apóstolus Joánnes, qui hoc, quod audístis, Evangélium prædicávit, in Epístola sua dicit : Sicut Christus pro nobis ánimam suam pósuit, sic et nos debémus ánimas pro frátribus pónere. Debémus, dixit; debitóres nos fecit qui primus exhíbuit. Ideo quodam loco scriptum est : Si séderis cœnáre ad mensam poténtis, sapiénter intéllige quæ apponúntur tibi : et mitte manum tuam, sciens quia tália te opórtet præparáre. Mensa poténtis quæ sit, nostis; ibi est corpus et

sanguis Christi: qui accédit ad talem mensam, præparet tália. Et quid est, præparet tália? Quómodo pro nobis ánimam suam pósuit, sic et nos debémus, ad ædificándam plebem et asservándam fidem, ánimas pro frátribus pónere.

℟. Non recédet.

Lectio ix.

Ideo Petro, quem fácere volébat pastórem bonum, ait : Petre, amas me? pasce oves meas. Hoc semel, hoc íterum, hoc tértio usque ad ejus tristítiam. Et cum tantum interrogásset Dóminus, quantum interrogándum esse judicávit, ut ter confiterétur, qui ter negáverat, et ei suas oves pascéndas tértio commendásset, ait illi : Cum júnior esses, cingébas te, et ambulábas ubi volébas; cum autem senúeris, exténdes manus tuas, et alter te cinget, et ducet quo tu non vis. Et expósuit Evangelísta quid Dóminus díxerit : Hoc autem, inquit, dixit, signíficans qua morte clarificatúrus esset Deum. Ad hoc ergo pértinet, Pasce oves meas, ut ponas ánimam tuam pro óvibus meis.

Te Deum laudámus.

Vesp. a Capitulo de seq., Comm. præced. et S. Felicis Papæ Mart.

DIE XXX. MAII.

S. Augustini

Episcopi Cantuarien. Conf. Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano, die XXVIII. huj. Nona Lectio de S. Felice, ejusque Commem. in Laudibus.

Vesp. a Capitulo de seq., Comm. præced. et S. Petronillæ Virg.

FESTA JUNII.

DOMINICA III.

POST PENTECOSTEN.

Purissimi Cordis B. M. V.

Duplex majus.

In j. vesperis,

Añæ et Capit. de Laud., Ps. et Hymnus ut in Festis B. M. V.

℣. Exsúlta in omni corde, fília Jerúsalem. ℟. Rex Israel Dóminus in médio tui.

Ad Magnif. Aña. Exsultávit Cor meum in Dómino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo, quia lætáta sum in salutári tuo.

Oratio ut in Laudibus.

Et fit Commem. Domin. occurr.

Ad matutinum.

Invit. Ave, María, grátia plena : * Dóminus tecum.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymn. Quem terra.

In primo Nocturno.

Aña. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui.

Psalmi ut in Festis B. M. V.

Aña. Et ait María : Magníficat ánima mea Dóminum, et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

Aña. Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ : ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℣. Anima mea liquefácta est. ℟. Ut locútus est diléctus.

De Cánticis Canticórum.

Lectio j. *Cap.* iv.

QUam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut vitta coccínea, lábia tua, et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, in uno crine colli tui. Favus distíllans lábia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua. Hortus conclúsus, fons signátus.

℟. Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : Lætétur cor meum, * Ut tímeat nomen tuum. ℣. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum.—Ut.

Lectio ij. *Cap.* v.

VEni in hortum meum, soror mea sponsa : méssui myrrham meam cum aromátibus meis : comédi favum cum melle meo. Vox dilécti mei pulsántis : Aperi mihi, soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea, quia caput meum plenum est rore, et cincínni mei guttis nóctium. Surréxi ut aperírem dilécto meo : manus meæ stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha probatíssima. Apérui dilécto meo; at ille declináverat atque transíerat. Anima mea liquefácta est, ut locútus est.

℟. In Dómino gaudébo, et exsultábo in Deo Jesu meo : Deus Dóminus, fortitúdo mea, * Super excélsa dedúcet me. ℣. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.—Super.

Lectio iij. *Cap.* v. *et* vj.

QUalis est diléctus tuus ex dilécto, o pulchérrima mulíerum, qualis est diléctus tuus ex dilécto, quia sic adjurásti nos? Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus, totus desiderábilis. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus

meus, fíliæ Jerúsalem. Quo ábiit diléctus tuus, o pulchérrima mulíerum? Quo declinávit diléctus tuus, et quærémus eum tecum? Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt : regínæ laudavérunt eam.

℟. Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine mi, * Qui consolátus es me, et locútus es ad cor ancíllæ tuæ. ℣. In toto corde meo exquisívi te : ne repéllas me a mandátis tuis. — Qui. Glória Patri. Qui.

In secundo Nocturno.

Aña. Beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi a Dómino.

Aña. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Aña. Fecit poténtiam in bráchio suo : dispérsit supérbos mente cordis sui.

℣. Fortis est ut mors diléctio. ℟. Dura sicut inférnus æmulátio.

Sermo sancti Bernardíni Senénsis.

Ex Serm. ix. *de Visitatione*

Lectio iv.

Quis mortálium, nisi divíno fretus oráculo, de vera Dei et hóminis Genitríce quidquam módicum, sive grande, præsúmat pollútis lábiis nomináre, quam Pater ante sæcula Deus perpétuam prædestinávit in Vírginem digníssimam, Fílius elégit in Matrem, Spíritus sanctus omnis grátiæ domicílium præparávit? Quibus verbis ego homúnculus sensus altíssimos virgínei Cordis, sanctíssimo ore prolátos, éfferam, quibus non súfficit lingua ómnium hóminum et étiam angelórum? Dóminus enim ait : Bonus homo de bono thesáuro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros hómines mélior homo potest excogitári, quam illa, quæ in Corde et in útero suo ipsum Deum hospitáta est? Quis thesáurus mélior, quam ipse divínus amor, quo Cor Vírginis ardens erat?

℟. Ego diligéntes me dílígo, et qui mane vígilant ad me, invénient me : mecum sunt divítiæ et glória, * Opes supérbæ et justítia. ℣. Ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. —Opes.

Lectio v.

De hoc ígitur Corde quasi fornáce divíni ardóris Virgo beáta prótulit verba bona, id est verba ardentíssimæ caritátis. Sicut enim a vase óptimo vino pleno, non potest exíre nisi óptimum vinum, aut sicut a fornáce

summi ardóris non egréditur nisi incéndium fervens; sic de Corde Matris Christi exíre non pótuit verbum, nisi summi summéque divíni amóris atque ardóris. Septem verba tantum miræ senténtiæ et virtútis a Christi benedictíssima Matre legúntur dicta. Cum ángelo bis tantum locúta est. Cum Elísabeth bis étiam. Cum Fílio étiam bis. Cum minístris in núptiis semel. Hæc septem verba, secúndum septem amóris actus, sub miro gradu et órdine prolláta, quasi sunt septem flammæ Cordis ejus.

℞. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei : in me grátia omnis vitæ et veritátis : * In me omnis spes vitæ et virtútis. ℣. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléminí. — In me.

Lectio vj.

Quæ verba consíderans mens devóta, cum ipso Prophéta ait : Quam dúlcia fáucibus meis, id est ómnibus affectiónibus, elóquia tua! Porro dulcédo hæc, quam in verbis beátæ Vírginis devóta mens sentit, est ardor piæ devotiónis, quam in eis ánima experimentáliter probat. Distinguámus ígitur per órdinem has septem flammas amóris, verbórum Vírginis benedíctæ. Prima est flamma amóris separántis. Secúnda amóris transformántis. Tértia amóris communicántis. Quarta amóris jubilántis. Quinta amóris soporántis. Sexta amóris compatiéntis. Séptima amóris consummántis.

℞. Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. * Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino. ℣. Qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam : omnes qui me odérunt, díligunt mortem. — Qui me invénerit. Glória Patri. Qui me invénerit.

In tertio Nocturno.

Aña. Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me?

Aña. Misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Aña. Suscépit Israel púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ.

℣. Ego diléctomeo. ℞. Et ad me convérsio ejus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* ij. *g*

In illo témpore : Dixit mater Jesu ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et réliqua.

De Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.
In Homil. Hiem. de Temp., Dom. I. post Epiph.

Mater · ejus, inquit Evangelísta, conservábat ómnia verba hæc in Corde suo. Omnia quæ de Dómino vel a Dómino dicta sive acta cognóverat Mater Virgo, diligéntius in corde retinébat, sollícite cuncta memóriæ commendábat, ut cum demum tempus prædicándæ sive scribéndæ Incarnatiónis ejus adveníret, sufficiénter univérsa, prout essent gesta, posset explicáre quæréntibus. Imitémur et nos, fratres mei, piam Dómini Matrem, ipsi quoque ómnia verba et facta Dómini ac Salvatóris nostri fixa in corde conservándo.

℟. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem : * Neque flúmina óbruent eam. ℣. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. — Neque.

Lectio viij.

Horum Dómini verbórum et actórum meditatióne diúrna et noctúrna importúnos inánium nocentiúmque cogitatiónum repellámus incúrsus : horum crebra collatióne et nos et próximos nostros a fábulis supervácuis et male dulcorátis detractiónum collóquiis castigáre, atque ad divínæ frequéntiam laudis accéndere curémus. ¶ Si enim, fratres caríssimi, in futúri beatitúdine sæculi habitáre in domo Dómini, ac perpétuo illum laudáre desiderámus, opórtet nimírum et in hoc sæculo, quod in futúro quærámus, sollícite præmonstrémus : frequentándo vídelicet ecclésiæ límina, et non solum in ea laudes Dómini canéndo, sed et in omni loco dominatiónis ejus, ea quæ ad laudem gloriámque Conditóris nostri profíciant, verbis páriter ac factis ostendéndo.

℟. Spíritus meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum : qui audit me, non confundétur : * Et qui operántur in me, non peccábunt. ℣. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix. de Homilia Dominicæ occurr., sed si extra Dominicam agi de hoc Festo contingat, tunc ix. Lectio incipiet ab hoc signo ¶.

Ad laudes,
et per Horas, Añæ.

1. Trahe me * post te, currémus in odórem unguentórum tuórum.

Psalmi de Dominica.

2. Diléctus meus * lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea.

3. Fulcíte * me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo.

4. Adjúro vos, * fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis dilé-ctam, quoadúsque ipsa velit.

5. Ego dórmio, * et Cor meum vígilat.

Capitulum. *Cant.* viij. *b*

Pone me ut signáculum super Cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio. Lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum.

Hymnus. O gloriósa.

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam. ℟. Et háuriet salútem a Dómino.

Ad Bened. Aña. Extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi : Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti!

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti : concéde propítius; ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit Commem. Dominicæ occurrentis.

Ad primam.

In ℟. *br.*, ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad tertiam,

Aña. Diléctus meus.

Capit. Pone me.

℟. *breve.* Anima mea * Liquefácta est. Anima. ℣. Ut locútus est diléctus meus. Liquefácta. Glória Patri. Anima.

℣. Fortis est ut mors diléctio. ℟. Dura sicut inférnus æmulátio.

Ad sextam,

Aña. Fulcíte.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cœlis, ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram.

℟. *br.* Fortis est * Ut mors diléctio. Fortis. ℣. Dura sicut inférnus æmulátio. Ut. Glória Patri. Fortis.

℣. Ego dilécto meo. ℟. Et ad me convérsio ejus.

Ad nonam,

Aña. Ego dórmio.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

In omni terra steti, et in omni pópulo, et in ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor.

℟. *br.* Ego * Dilécto meo. Ego. ℣. Et ad me convér-

sio ejus. Diléсto. Glória Patri. Ego.

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam. ℟. Et háuriet salútem a Dómino.

In ij. vesperis.

Omnia ut in j., præter :

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri. ℟. Cum dilatásti Cor meum.

Ad Magnif. Aña. Exsultávit * Cor meum in Deo salutári meo, quia fecit mihi magna qui potens est.

Oratio ut in Laudibus.

Et fit Commem. Domin. occurrentis.

DIE II. JUNII.

SS. Pothini, Blandinæ *Virg. et* Soc. *Martyrum.*

Duplex.

Omnia de Comm. plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Artyrum tuórum, Dómine, Pothíni, Blandínæ et sociórum palmas ánnua celebritáte venerántes : súpplices te rogámus; ut quos cœlésti glória sublimásti, nobis pérpeti suffrágio concédas subveníre. Per Dóminum.

Pro Comm. SS. Marcellini etc. Mart., Aña. Vestri capílli. ℣. Exsultábunt.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Othínus, primus Lugdunénsis epíscopus, plurimíque álii una pro Christo certántes, Marco Aurélio imperatóre, Lugdúni váriis diébus martyrio coronáti sunt : quorum fórtia et iteráta prœlia epístola Ecclesiárum Viennénsis et Lugdunénsis, ad Ecclésias Asiæ et Phrygiæ scripta, recénset. Beatíssimus Pothínus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte martyrii mira alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal tractus est. Quo perlátus, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis, et univérsa plebe váriis eum clamóribus impeténte, tamquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Post hæc, inhumáne raptátus et innúmeris plagis afféctus, vix adhuc spirans in cárcerem projéctus est, tandémque post bíduum ánimam exhalávit.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Ceterórum martyria in várias mortis spécies divísa sunt : ex omni quippe florum génere diversísque colóribus únicam texéntes corónam beatíssimi Mártyres Deo obtulérunt. Plúrimi occu-

buérunt in cárcere; nonnúlli post vários cruciátus cápite truncáti sunt. Matúrus vero neóphytus, et Sanctus, diáconus Viennénsis, cum Blandína ancílla et Attalo ducti sunt ad béstias in amphitheátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus flagrórum vérbera pertulérunt et bestiárum ipsos trahéntium morsus, ipsam postrémo férream cáthedram, cui superpósita Mártyrum membra quum torreréntur, illórum nares molestíssimus nidor implébat. Hi ergo, máximo certámine perfúncti, tandem juguláti sunt. Attalus vero, et Blandína béstiis objécta, sed ab ipsis intácta, in ália prælia sunt reserváti.

℞. Vérbera carníficum.

Lectio vj.

Attalus íterum béstiis tráditus est, unáque Alexánder, natióne Phryx, professióne médicus, qui a præside interrogátus, se christiánum esse incunctánter erat proféssus. Ambo ítaque, quum ómnia tormentórum génera advérsus illos excogitáta in amphitheátro percurríssent, gládio percússi sunt. Ultimo tandem spectaculórum die, Blandína rursus illáta est, simúlque Pónticus adoléscens, quíndecim círciter annos natus. Et Pónticus quidem, cuncta supplícia generóse perpéssus, emísit spíritum. Beáta vero Blandína, post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa, tauro objécta est, a quo diu in altum jactáta, tandem et ipsa instar víctimæ juguláta est.

℞. Tamquam aurum.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Cum audiéritis. *de Comm., j. loco. Lect. nona de SS. Marcellino et Soc., Mart. (e duabus una), eorumque Comm. in Laud. Aña.* Istórum. ℣. Lætámini.

Vesp. a Capit. de seq.

DIE III. JUNII.
S. Clotildis
Reginæ Viduæ.

Duplex.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart., præter sequentia.

Ad Vesperas.

℣. Spécie tua.

Ad Magnif. Aña. Sanctificátus est rex Clodovéus, vir infidélis, per Clotíldem mulíerem fidélem.

Oratio.

Respice, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus impérium: et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti; iísdem, per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

Commem. SS. Pothini et Soc. Mart. Aña. Gaudent. ℣. Exsultábunt.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Clotíldis, Chilperíci regis fília, paréntibus a pátruo Gundobáldo, Burgundiórum rege, necátis, Clodovéo adhuc éthnico ab ipso Gundobáldo in cónjugem trádita est. Quæ quum primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovéo, baptizári jussit. Quum autem infántis, cui nomen impósitum fúerat Ingómeres, in albis defúncti mortem ægre ferret Clodovéus, ac baptísmo imputáret, gráviter Clotíldem objurgávit, ásserens deos pátrios, ob contémptum núminis sui irátos, sibi fílium eripuísse. At illa : Deo, inquit, omnipoténti, creatóri ómnium, grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam, ut de útero meo génitum regno suo dignarétur adscíre. Alterum fílium regína quum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit, et appellátus est Clodómeres. Qui quum ægrotáre cœpísset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus convàluit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

At regína non cessábat hortári virum ut, abjécta idololátria, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhæsit, donec in expeditióne Alamánnica, inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, a quo Clodovéus, fidem edóctus, baptizátus est et chrísmate sacro inúnctus. Post mortem Clodovéi, Túrones ádiit Clotíldis : ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis, aliísque piis opéribus inténta, muníflca erga ecclésias et monastéria.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

Clodómeris in bello Burgúndico occísi fílios, nepótes suos, Theobáldum, Guntárium et Clodoáldum apud se educávit. Tandem, plena diérum, Turónibus migrávit ad Dóminum; et Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a fíliis Childebérto et Clotário régibus ad latus Clodovéi, in sacrário basílicæ sancti Petri, quæ póstea sanctæ Genovéfæ nómine

appelláta est. Exeúnte vero sæculo décimo octávo, quum ímpii sumpsíssent principátum, et bellum Deo Sanctísque ejus fácerent, ossa beátæ regínæ cum áliis relíquiis eórum furóri subtrácta, ne violaréntur, igne cremáta sunt. Quorum sacros cíneres piæ manus collegérunt, deindéque, transáctis luctuósis tempóribus, deposuérunt Parísiis, in ecclésia parochiáli sanctórum Lupi et Ægídii, in qua nunc honorífice asservántur.

℟. Fallax grátia.

In tertio Nocturno.

Homil. in Evang. Símile est. *de Communi.*

Ad laudes,

℣. Diffúsa est.

Ad Bened. Aña. Rex Clodovéus, elevátis ad cœlum óculis, ait : Dómine Jesu Christe, quem Clotíldis prædicat esse Fílium Dei vivi, da mihi victóriam, et sérviam tibi.

Vesp. a Capit. de seq.

Pro Comm. S. Clotildis, Aña. Clotíldis, mater pátriæ, in cœlis coronáta, fecísti viríliter : adsis, et salva pópulum.

℣. Diffúsa est.

DIE VII. JUNII.

B. Bertrandi

Patriarchæ Aquileien. Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter sequentia.

Vesp. a Cap. de B. Bertrando.

Oratio.

Deus qui beátum Bertrándum pro Ecclésiæ tuæ júribus ad mortem usque certántem invícta pastoráli fortitúdine roborásti : præsta fidélibus tuis; ut ad pietátis et religiónis constántiam ejúsdem informéntur exémplis. Per Dóminum.

Deinde Comm. præced. Aña. Amávit. ℣. Justum.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Bertrándus, Patriárcha Aquileiénsis, natióne Gallus, prope Cadúrcum in óppido sancti Genésii, unde famíliæ cognómen, nobílibus ortus paréntibus, in sortem Dómini vocátus, inter canónicos Ecclésiæ Engolisménsis Decánus fuit. Theológiæ vero ac juri pontifício óperam dedit eo succéssu ut summum in utráque facultáte gradum ássequi, et in Académia Tolosána sacros cánones interpretári merúerit. Mox Aveniónem accersítus, Auditóris sacri Palátii múnere decem et septem annos perfúnctus est. His ígitur aliísque nomínibus præcláre de Romána Ecclésia méritum Joánnes vicésimus secún-

dus ad patriarchálem dignitátem evéxit. Qua suscépta, Bertrándus, in Itáliam véniens, óptimi pastóris formam exhíbuit, partésque omnes diligentíssime implévit. Diœcesánam synodum ferme quotánnis, concília duo, Utíni unum, álterum Aquiléiæ ex univérsa província coégit; sermónibus ad clerum, ad sanctimoniáles, ad pópulum, sanctíssima in primis vivéndi ratióne, gregem sibi créditum ad christiánam pietátem inflammábat.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Bonórum Ecclésiæ dispensátor fidélis, in páuperum usus ea largíssime effúdit, diutúrnæ potíssimum famis témpore, quo esuriéntes ad duo míllia síngulis diébus saturásse lítteris próditum est. Id quoque memória dignum refértur, quod nunquam cibum súmeret, quin prius in honórem duódecim Apostolórum tótidem número páuperes suis ipse mánibus aluísset. Utíni duo eréxit monastéria; ædem sanctæ Maríæ, quæ nunc metropolitána est, et canonicórum collégium auxit, ut conditóris loco habeátur. Forojuliénsis Ecclésiæ tranquillitáti consúluit; divínum in ea cultum piis largitiónibus fovit, utque peculiáris Deíparæ Vírgini honor statis précibus deferrétur auctor fuit. Ad hæc reparándis Ecclésiæ suæ jactúris labóres innúmeros et longínqua vel in extréma senectúte itínera suscépit, a Románis aliquándo Pontifícibus ablegátus ad reges et magnos príncipes : quibus ob exímiæ sanctitátis et sapiéntiæ opiniónem acceptíssimus fuit, summóque semper in honóre hábitus.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Cum divína id témporis humanáque ómnia funésto pártium stúdio permíxta ac recénti schísmate perturbáta forent, Bertrándus inter eas procéllas sancti Thomæ Cantuariénsis præsídium exemplúmque sibi propósuit, quo Ecclésiæ suæ jura vel ipso sánguine, si opus esset, fórtiter tuerétur, votíque compos efféctus est. Redux enim a concílio Patavíno, ubi contuméliis lacessítus, non apéruit os suum, anno millésimo trecentésimo quinquagésimo, die sexta Június, in factiósos hómines íncidit, ac quinque vulnéribus confóssus, pro interfectóribus orans, præclára morte justítiæ corónam accépit. Corpus exánime ad Utinénses missum canónici sepúlcro tradunt ante aram máximam : Nicoláus vero, Bertrándi succéssor, crebro permótus cum indigenárum tum ex-

terórum concúrsu ad beáti viri sepúlcrum, in arcam marmóream transférri curávit, quam Bertrándus ipse, dum víveret, sanctórum Mártyrum Hermágoræ et Fortunáti gestis inscúlptam, sacris eórum cinéribus excipiéndis servandísque paráverat. Públicum jam inde cultum ei delátum Clemens octávus rite probávit: auxítque Apostólicis lítteris Benedíctus quartus décimus. Ut autem ejus offícium cum missa ab univérso clero Utinénsis Ecclésiæ celebrarétur, Clemens tértius décimus benígne concéssit.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Vigiláte. *de Comm., ij. loco.*

DIE XV. JUNII.

S. Germanæ Cousin

Virginis.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg. præter sequentia.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátam Germánam, Vírginem tuam, caritátis et patiéntiæ decóre excéllere disposuísti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut crucem júgiter feréntes, te semper dilígere valeámus. Per Dóminum.

Com. præced. (*Aña.* O Doctor. ℣. Justum.) *et SS. Viti et Soc. Mart.* (*Aña.* Istórum. ℣. Lætámini. *Orat.* Da Ecclésiæ tuæ. *ut in Breviario Romano hac die*).

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex instrumentis causæ Beatificationis ejus.



Ermána Cousin, Píbraci, quod óppidum est Tolosánæ diœcésis, húmili loco nata, ab ipsa pene infántia grávibus ærúmnis fuit obnóxia. Cum enim manca esset et strumis inféćta, statim post óbitum matris in novércæ ódium íncidit, ejúsque ópera de patérna domo ejécta et custodiéndis grégibus addícta, solo pane et aqua víctitans et super stramen aut áridos pálmites in ipsa pécudum caula somnum carpens, vitam in summa egestáte rerúmque ómnium inópia tolerávit. Hæc et ália, quibus quotídie premebátur, frígoris, æstus et ímbrium incómmoda, quin étiam domesticórum convícia et insectatiónes, forti semper ánimo et ore ad hilaritátem compósito, non solum patientíssime tulit, sed majóra pati excogitávit, ut confórmis fíeret imágini Fílii Dei, quem únice toto cordis afféctu diléxit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Sive enim gregem ad páscua ágeret, sive in arvis stámina e colo dúceret, mente et cogitatióne in Deum defíxa, assíduas fundébat preces, et pósitis humi génibus ante crucis signum, ardentíssimi amóris æstus rerum cœléstium contemplatióne temperábat. Quotídie templum adíre, sacrifício missæ interésse, et síngulis diébus festis se divínæ mensæ pábulo refícere in more hábuit. Deíparam Vírginem singulári religióne cóluit, eíque frequéntia exhíbuit obséquii et pietátis offícia. Caritáte erga omnes afféćta, púeros et puéllas christiánæ fídei mystériis erudíre, eorúmque ánimos ad virtútem et rećtam vivéndi ratiónem informáre, egéntium inópiæ subveníre consuévit, detrácto étiam panis frústulo quo únice vescebátur. Castitátis vero et innocéntiæ laudem tantam proméruit, ut ad mortem usque illibátam serváverit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

Hanc fámulæ suæ occúltam sanćtitátem Deus éditis e cœlo signis mirabíliter declarávit. Nam et flúvium aquis exundántem, dum Pibracénse templum péteret, Germána sicco pede sæpius tránsiit, et panem paupéribus erogándum, ut novércam latéret, hibérno témpore in flores convértit. Virtútibus et prodígiis illustráta, ad cœléstis Agni núptias tandem inopináto éxitu emigrávit, annum agens secúndum supra vigésimum. Mortáles Vírginis exúviæ, anno quadragésimo et ultra postquam e vita decésserat, incorrúptæ et íntegræ, recentibúsque conspérsæ flóribus repértæ sunt. Huic prodígio ália multa per annos ferme ducéntos divína virtúte ad túmulum júgiter patráta miŕacula accessérunt, quæ innocéntis puéllæ famam et nomen longe latéque propagárunt. Quibus permótus Pius nonus Póntifex máximus, virtútibus et miráculis rite probátis, eámdem beatárum Vírginum fastis primum adscrípsit; subínde vero novis fulgéntem prodígiis idem Póntifex anno millésimo ośtingentésimo sexagésimo séptimo, ea ipsa die qua seculária Apostolórum Príncipum solémnia agebántur, Sanćtórum albo accénsuit.

℟. Afferéntur.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Símile est regnum cœlórum... thesáuro. *de Comm. non Virg. cum.* ℟℟. *de Comm. Virg.*

Nona Lect. SS. Viti et Socior. Mart., eorumque Comm. in Laud.

Vesp. a Capit. de seq. Commemor. præced.

DIE XVI. JUNII.
S. Joannis Francisci Regis
Confessoris.
Duplex.

Omnia ut in Appendice Brev. Romani pro aliq. locis.

In primo Nocturno.
Lect. de Script. occurr.
In tertio Nocturno.
Hom. in Ev. Sint lumbi. *de Communi.*

DIE XXVI. JUNII.
SS. Salvii
Episcopi Engolismen.
et Superii
Martyrum.
Duplex.

Omnia de Comm. plurimor. Mart., præter seq.

Oratio.

Deus, qui gloriósos Mártyres tuos Sálvium et Supérium virtúte constántiæ in passióne roborásti : da nobis eórum méritis et intercessióne, próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum nostrum.

Deinde Comm. S. Gulielmi Abb. et Oct. S. Joannis Baptistæ.

In primo Nocturno.
Lect. de Script. occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Salvius, in Aquitánia natus, non obscúra a téneris annis futúræ sanctitátis præbuit indícia. Humánis divinísque lítteris egrégie institútus, crescéntibus cum ætáte inter sacras exercitatiónes virtútibus et méritis, primum sacris ordínibus initiátur. Sacérdos factus, et sciéntia Sanctórum ad animárum lucra comparátus, verbi Dei ministério se totum addíxit. Quumque in exstirpándis vítiis, ac revocándis in viam salútis errántibus, eloquéntia et pietáte úberes éderet fructus, Epíscopus Engolisménsis creátus est.
℟. Sancti tui.

Lectio v.

Suscépto pastoráli offício, Sálvius fuit in pascéndo grege vigilantíssimus, et in verbi Dei prædicatióne indeféssus. Ecclésiam Engolisménsem sapientíssime per plures annos gubernávit, et máximam multitúdinem ad veritátis cognitiónem addúxit. Quum vero zelus, quo æstuábat, intra suæ diœcésis límites coarctarétur, várias Galliárum partes, divína sic disponénte providéntia, cum único sócio, cognómine Supério, prædicándo peragrávit. Ad civitátem Valencénas in Hannónia pervénit, sólitum evangelizándi opus éxsequens. Ibi plúrimos, et exémplo virtútis et incitaménto sermónis, vel incrédulos ad Christum Dóminum convértit, vel étiam credéntes magis ac

magis in fide et amóre Christi confirmávit.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vj.

Dum Valencénis Condátum pérgeret, iter fecit per villam, cui nomen erat Brenna, ut hujus loci ecclésiam sancto Martíno dicátam visitáret; quumque preces máximo cum fervóre pro sua et pópuli salúte obtulísset, sacrosanctúmque sacrifícium pie et solémniter celebrásset, a quodam crudelíssimo tyránno clam cum diácono cómite comprehénsus, in obscuríssimum cárcerem Castélli Brevítici dicti conjéctus est. Post tres duræ captivitátis menses, Sálvius suprémum agónem sibi instáre prænóscens, ánimam Deo commendávit, et in eódem cárcere secúri percússus una cum sócio martyrii palmam obtínuit. Mártyrum córpora, uti fertur, primum in stábulo expósita, taurus a réliquis animálibus mirum in modum deféndit; mox vero ab interfectóribus in eódem stábulo recóndita jacuére, donec post tres annos imperátor Cárolus Magnus, ab ángelo ter admónitus, ea diligénter conquisíta invénit, et ad ecclésiã sancti Martíni in villa Brennæ, quæ exínde sancti Sálvii nomen accépit, curávit transferénda, ubi signis et miráculis claruérunt.

℟. Tamquam aurum.

In tertio Nocturno.

Homil. in Ev. Descéndens Jesus. *de Communi, ij. loco.*

In Laud. Commem. Oct. S. Joannis Baptistæ.

Vesp. a Cap. de seq. Comm. præced. et Oct.

DIE XXVII. JUNII.

SS. Joannis et Pauli

Martyrum.

Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano, die XXVI. hujus.

In ij. Vesp., Comm. seq et Octav.

DIE XXIX. JUNII.

SS. Petri et Pauli

Apostolorum.

Comm. omnium SS. Apostolorum.

In j. vesperis,

Aña. In hoc cognóscent omnes quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Ad laudes,

Aña. Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israel.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

In ij. vesperis,

Aña. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis, dicit Dóminus.

℣. Gloriósus in Sanctis suis, fáciens mirabília. ℟. Hic Deus meus, et glorificábo eum.

Oratio.

Exáudi nos, Deus salutáris noster : et ómnium sanctórum Apostolórum tuórum tuére præsídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis. Qui vivis.

FESTA JULII.

DIE I. JULII.

S. Eparchii

Abbatis, Civitatis Engolismen. Compatroni.

Duplex j. class. cum Oct.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

In j. vesperis,

Añæ et Capit. ut ad Laud., Ps. ut in j. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus.

Cangat mater Ecclésia
Epárchii præcónia;
Cujus méritis cláruit
Hæc cívitas, quam cóluit.
Hujus insédit péctori
Ut bellum ferret córpori,
Et toto fervens ánimo,
Deo servíret óptimo.
Ortus nóbili génere,
Mundum dídicit víncere,
Carnem et serpéntem véterem,
Per spontáneum cárcerem.
Qui devótus obséquitur
Epárchio, non spérnitur;
Ejus vero cleméntiam
Statim probat et grátiam.
Lumen cæcis restítuit,
Ægris salútem præbuit,
Defúnctis vitam réddidit,
Dæmones fugans pérdidit.
Hic portum naufragántibus
Sæpe dedit rogántibus;
Nobis virtútes præbeat
Et ad supérna próvehat.
Honor Patri, laus Fílio,
Flámini benedíctio,
Trinitáti sit glória,
Cujus fruámur grátia.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Aña. Sanctíssime Epárchi, tuos ne déseras, sed apud Dóminum pro nobis pius semper intercéssor assístas, allelúia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui hunc sacratíssimum diem gloriosíssimi Confessóris tui Epárchii ánnua solemnitáte divíno cúltui consecrásti : largíre, quæsumus; ut cujus coléndæ conversatiónis venerámur exémpla, illíus salutíferis méritis adjuvémur. Per Dóminum.

Fit Comm. Oct. S. Joannis Baptistæ tantum, Aña. Ingrésso Zacharía templum Dómini, appáruit ei Gábriel Angelus, stans a dextris altáris incénsi.

℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

Oratio.

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Ad matutinum.

Hymnus. Pangat. *ut supra in Vesperis.*

In primo Nocturno.

Aña. Epárchius, * contémptis mundi divítiis, Christi paupertátem alácriter ampléxus est.

Aña. Cupiébat * ómnibus homínibus ignótus esse, ut cum Deo conversarétur et ángelis ejus.

Aña. Quadragenáriam * captivitátem sponte sua tulit Epárchius ínnocens, ut nocéntes mérita captivitáte liberáret.

℣. Amávit.

Lectiones. Beátus vir. *de Communi secundo loco.*

℟. *j.* Beátus Epárchius, ad pedes abbátis Martíni provolútus, * Se ex íntimo corde velle mónachum fíeri proféssus est. ℣. Deíque misericórdia, invítis licet paréntibus, obtínuit quod devóte postulávit. — Se ex íntimo.

℟. *ij.* Cœpit nóbilis adoléscens et víneam cólere, et terram proscíndere, et vilíssima quæque múnia complére; * Omnia vero hæc Patri per Fílium offerébat in Spíritu sancto. ℣. Jejunábat quotídie, vigilábat et orábat assídue, et perseverábat in opéribus misericórdíæ. — Omnia.

℟. *iij.* Olim in agéllo cervam cum capréolo curréntem * Orans tácite vir Dei jussit consístere; donec prodúcto léniter signo crucis eam in pace dimísit. ℣. Alias avem super pullos residéntem, et aufúgere paràntem. —Orans tácite. Glória Patri. Orans tácite.

In secundo Nocturno.

Aña. Epárchius * Deo diléctus, cui cœtus gratulátur et angelórum in cœlis, et hóminum in terris.

Aña. Vir simplex, * et rectus, ac timens Deum, in quo dolus non est invéntus.

Aña. Æmulus Patris misericordiárum, * qui non vult mortem peccatóris, sed ut convertátur et vivat.

℣. Os justi.

Lectio iv.



BEátus Epárchius, Petrócoræ natus, patrem hábuit Felícem cognómine Auréolum, matrem vero Princípiam. Séptimo ætátis anno liberálibus disciplínis ímbui cœpit, in quibus cum divína adspiránte grátia multum profecísset, apud

Felicíssimum cómitem, avum suum, cancellárii múnere annos quíndecim integérrime functus est. Dehinc abjécta curárum sæculárium molestíssima sarcína, in Sedacíaco monastério, paréntibus frustra obsisténtibus, mónachus effícitur. Obediéntia, caritáte, et perfécta sui despiciéntia ita céteros imitátur ut vincat, et a quibus ut novus tiro exémpla virtútum sumit, his ipse bréviter fiat exímiæ sanctitátis exémplar. Quotidiánum illi erat víneam cólere, terram arátro proscíndere, aliáque passim vitæ rústicæ ópera continénter obíre, præter doméstica ministéria Dei servis in monastério consuéta. Vilem hábitum ac detrítum paupertátis stúdio ambiébat, et ad perpétuum jejúnium vigiliárum labórem et misericórdiæ ópera adjungébat.

℟. Crescéntis famæ pertæsus Epárchius occúlte suum deséruit monastérium, * Et cœpit perfectíssimæ locum reclusiónis inquírere. ℣. Dum vero circumíret pagum Engolisménsem, púerum Gratúlphum interémptum suscitávit. — Et cœpit.

Lectio v.

Brevi cláruit miráculis. Vexátos enim a dæmone liberábat; ávibus, pecúdibus ac feris animántibus ut cicúribus imperábat; vinctórum cómpedes, et cárcerum repágula oratióne conterébat; non solum infírmis medebátur, verum étiam mórtuos ad vitam revocábat. Cum autem crescéntem in dies famam sanctitátis præ humilitáte non ferret, státuit remótum ab árbitris locum quærere, in quo secúrius a Patre cœlésti, qui videt in abscóndito, præmium exspectáret. Engolísmam ergo proféctus, quum consílium suum beáto Aptónio tunc témporis Epíscopo aperuísset, isque jam hóminem Dei vulgáta virtútum fama et recénti miráculo quo púerum Gratúlphum vitæ restitúerat, agnovísset, non passus est abíre lóngius, sed accómmodam ejus voto solitúdinem indicávit, in declívi montis látere inter urbem et Carántonum flúvium, ab hóminum societáte sejúnctam. Christus vero in somnis appárens, hoc in loco eum jussit in pósterum permanére.

℟. Cum sopóri se dedísset Epárchius, vox Christi ad eum facta est : * Epárchi, hic pérmane, et jam ámplius noli vagári. ℣. Locum sub mœnibus civitátis desértum et ínvium monstrávit Aptónius Epíscopus. Epárchi.

Lectio vj.

Ex multis et magnis, quæ Deus per servum suum dignátus est operári prodígiis, pauca

tantum referémus. Hóminem quemdam furti reum Ranúlphus comes ad suspéndium agi jússerat, neque oratióne sancti Epárchii flecti se passus erat : hic suspénsum jam, et in vitam et in libertátem asséruit. Sæpe ad ejus impérium sponte sua cárceris apértæ sunt fores, et captívi liberáti. Tribus cæcis visum restítuit, leprósos mundávit, dæmones fugávit. Lítteris sancti viri in præsentíssimo naufrágii perículo religióse applicátis, íllico tempéstas sedáta est. Discípulos quos multos hábuit, ne victus quidem necessárii quæréndi causa, ab assíduo precándi stúdio dimovéri patiebátur, illud idéntidem monens: "Fides famem non timet." Neque eum sua in Deum fidúcia unquam feféllit, sed ei tam liberáliter ultro a fidélibus vitæ necessária mittebántur, ut non suis modo satis esset, sed superáret étiam multum, quod in páuperes erogarétur. Hoc vitæ genus cum totos trigínta novem annos in summa sanctimónia transegísset, ipsis Kaléndis Július migrávit ad Dóminum.

℟. Epárchius negávit se sine Abbátis sui nutu reclúdi debére, * Qui sibi pacem optátam et promíssam obediéntiæ benedictiónem tribúeret. ℣. Aptónium ígitur rogávit ut mítteret ad suum Abbátem.—Qui sibi. Glória Patri. Qui.

In tertio Nocturno.

Aña. Mórtuo quodam púero, * vox una plangéntium ómnium clamávit : Beáte Epárchi, miserére nobis.

Aña. Rogávit Epárchius* Dóminum cum lácrymis, et surréxit Gratúlphus redivívus.

Aña. Qui mórtuos * suscitásti, tuére nos, sancte Epárchi, a morte sempitérna.

℣. Lex Dei ejus.

Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in Breviario die IV. Julii.*

℟. *vii.* Beátus Epárchius ad cárcerem piíssimam emísit oratiónem : * Unde non diu défuit quod eníxe postulávit. ℣. Ostia enim apérta sunt, et captívi ad ecclésiam, pópulo gaudénte, confugérunt. — Unde non diu défuit.

℟. *viii.* O vere beátum virum, constántem in ópere, largum in eleemósynis, promptum in oratióne! * Illum perpétuis extóllat felix Engolísma præcóniis. ℣. Quicúmque sanitátem ad ejus sepúlcrum expétiit, lætus domum rédiit.—Illum perpétuis. Glória Patri. Illum perpétuis.

Ad laudes,

et per Horas, Añæ.

1. Beátus Epárchius * Engolisménsem pétiit civitá-

tem, cujus fecit eum Dóminus íncolam et patrónum.

2. Trádidit se * doctrínæ beáti Aptónii, ut ejus institutióne spirituáliter profíceret.

3. Angustíssima * reclúsus in cella, multis brevi discípulis stúpuit se circúmdatum.

4. Stolam sacerdotálem * índuit eum Dóminus, et thronum ejus stabilívit in ætérnum.

5. Mórtuus est * diérum et meritórum plenus, et nomen ejus benedicétur a generatióne in generatiónem.

Capitulum. *Eccli.* xxxj.

BEátus vir qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic et laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

O Pater, tu, quem méritis corúscum
Aurei stellans tenet aula cœli,
Rite quem nostrum cólimus Patrónum,
Accipe laudes.

Stémmate illústri generátus, amplos
Inter edúctus títulos opésque,
Te Deo totum cúpida coléndo
Mente dedísti.

Hinc domum linquis, pátriam, paréntes;
Hinc voluptátes, títulos, opésque,
Insequi vita Dóminum proféssus
Páupere Christum.

Te procul turba pópuli juvábat
Sédibus solis habitáre solum,
Sícubi aut altum nemus aut remótum
Abderet antrum.

Ecce secéssus plácidi Caréntæ
His tibi ingrésso placuére terris;
Te juvat nostræ latitáre subter
Mœnibus urbis.

Te Juvat cæcos hómines, piárum
Vi precum, diro releváre morbo,
Hos et ad vitam revocáre tristi
Fúnere raptos.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus, omni
Témporis ævo.
Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. *Aña.* Beátus Epárchius * civitátem Engolísmam díligit, et quam in terra mílitans admirábili dócuit exémplo, hanc in

cœlo regnans poténti tuétur suffrágio, allelúia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui hunc sacratíssimum diem gloriosíssimi Confessóris tui Epárchii ánnua solemnitáte divíno cúltui consecrásti : largíre, quæsumus; ut cujus coléndæ conversatiónis venerámur exémpla, illíus salutíferis méritis adjuvémur. Per Dóminum.

Fit Commemoratio Oct. S. Joannis tantum. Aña. Apértum est os Zacharíæ, et prophetávit dicens : Benedíctus Deus Israel.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio ut supra in primis Vesperis.

In ij. vesperis.

Omnia ut in j. Vesp. præter ℣. Justum dedúxit.

Et fit Commem. Visitat. B. M. V. et Oct. S. Joannis Baptistæ, ut in Breviario Romano.

DIE III. JULII.
S. Martialis

Aquitaniæ Apostoli.

Duplex. ij. classis.

Omnia de Comm. Apostolorum, præter sequentia.

In ij. Vesp. Visit. B. M. V. pro Comm. S. Martialis. Aña. Venerándam beatíssimi Martiális excipiéntes solemnitátem devotíssime celebrémus : ut ipse qui, jubénte Dómino, Aquitánicæ gentis Pastor et Doctor éxstitit primus, suis obtíneat méritis ut consórtes ipsíus efficiámur in cœléstibus.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Martiálem Apóstolum Ecclésiæ tuæ sanctæ præésse voluísti : quæsumus; ut nobis, ejus suffragántibus méritis, pietátis tuæ grátiam largiáris. Per Dóminum.

Ad matutinum.

Invit. Regem omnipoténtem Dóminum, qui pópulo Aquitániæ Martiálem dedit Apóstolum, * Veníte adorémus.

In primo Nocturno.

Lect. Sic nos exístimet. *de Communi.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Martiális, unus de septuagínta Christi discípulis, ac puer ille fuísse tráditur, qui quinque panes hordeáceos et duos pisces attulísse in Evangélio memorátur. Ex Oriénte cum sancto Petro Apóstolo Romam venit, et ab eódem in Gállias causa propagándi Evangélii, una cum duóbus presbyteris Alpiniáno et

Austricliáno, missus est. Quumque, primo itíneris die, postérior ex morbo repénte obiísset, Martiális, admóto báculo sancti Petri, quem ab eo Romæ accéperat, mórtuum redúxit ad vitam. Aquitániam ingréssus, per vária hujus provínciæ óppida jactis religiónis sanctæ fundaméntis, tandem Lemóvicas advénit; qua in urbe ut primum prædicáre cœpit, crédidit et proféssa est, præ céteris, Christi nomen Valéria, Leocádii senatóris fília, quæ virginitátem Deo vovit, et mox prima ómnium in Aquitánia sánguinem martyrio profúdit. Sedáta vero persecutiónis procélla, ita deínceps in illa civitáte, Martiális exémplo virtutibúsque, salútis doctrína conváluit, ut fere pópulus omnis, abjéctis simulacrórum rítibus, ad cultum Dei sese contúlerit, nec ipse álibi sedem episcopátus sui collocándam dúxerit.

℟. Vidi conjúnctos viros.

Lectio v.

Ex iis autem quos fídei jugo vir Dei subjécerat, adlégit quosdam minístros, Aureliánum in primis et Andréam, idolórum ántea pontífices, quibúscum christiánæ plebis curam partirétur; atque ita secúndum formam apostólicam ex clero et pópulo Ecclésiam Lemovicénsem instítuit, cujus ipse primus pastor fuit. Templum ad cultum Dei vivi sub protomártyris Stéphani título dedicávit. Pictávis quoque, dum Evangélium annuntiáret, reveláante Dómino martyrium sancti Petri, in honórem beatíssimi Apostolórum Príncipis ecclésiam curávit ædificári; quod et Engolísmæ atque Sántonis póstea fecit. Burdígalæ vero, divínitus de martyrio sancti Andréæ mónitus, ecclésiam sub ipsíus vocábulo páriter consecrávit. Sed quot labóres exantlárit, quot mirácula fécerit totis vigínti et octo annis suæ in Aquitánia prædicatiónis, propémodum incredíbile est. Tandem anno post Christi resurrectiónem quadragésimo, et ætátis suæ quinquagésimo nono, apud Lemóvicas in pace quiévit.

℟. Beáti estis.

Lectio vj.

Non Lemovicénses tantum, sed et omnes pópulos a Rhódano usque ad Océanum, a Pyrenæis móntibus Lígerim usque longe latéque dispérsos, Evangélii luce perfúdit; atque ita per totam hanc regiónem exímia apostolátus sui signa relíquit, unde nec jam Aquitániæ solum, at étiam Galliárum Apóstolus méruit nuncupári. Hoc insígne nomen in plúribus concíliis tum Lemóvicæ, Pictávii, vel Bitúrigi hábitis beáto

Confessóri delátum fuit, ac ea de re consúltus Joánnes Papa décimus nonus offícia apostólica in divínis mystériis illi exhibénda esse declarávit, quod et observávit semper Ecclésia Pictaviénsis. Cónditum est corpus sancti Martiális in crypta, quam miráculis plúrimis suo témpore inclaruísse refert sanctus Gregórius Turonénsis : ubi étiam duo sancti presbyteri, qui ei ad mortem usque adhæsérunt, conjúnctis túmulis sepúlti sunt.

℟. Isti sunt triumphatóres.

In tertio Nocturno.

Homilia in Evang. Designávit Dóminus. *de Comm. Evang.*

Ad laudes.

Ad Bened. Aña. O magnum Primátem, virtúte miraculórum ineffábilem, Martiálem Apóstolum! tua nos súblevet píetas quos nímia mergit právitas, omnémque gregem tibi commíssum dignéris perdúcere ad gáudia Sanctis præparáta.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui beátum Martiálem Apóstolum Ecclésiæ tuæ sanctæ præésse voluísti : quæsumus; ut nobis, ejus suffragántibus méritis, pietátis tuæ grátiam largiáris. Per Dóminum.

In ij. vesperis,

Ad Magnif. Aña. O Pastor egrégie! O spéculum Præsulum! O Martiális doctor et dux Aquitániæ, súscipe preces te deprecántium, et intercéde pro salúte ómnium.

Comm. seq. tantum.

DIE IV. JULII.

S. Irenæi

Episc. Lugdunen. Mart.

Duplex.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

In Laud. fit Commem. Octavarum SS. Apost. Petri et Pauli et S. Eparchii.

Vesp. a Cap. de seq., Comm. præced. et Octavarum.

DIE VII. JULII.

SEPTIMA DIE

INFRA OCTAVAM

S. Eparchii

Abbatis.

Semiduplex.

Omnia ut in die festo, præter sequentia.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. I. *de S. Victore.*

Lectio iv.

SAncti Epárchii vita et glória speciális, non tam ad glóriam, quam ad virtútem próvocat om-

nes, qui recto sunt corde. Non recti plane, sed pervérsi est ánimi, ante quærere glóriam, quam exercére virtútem, et velle coronári, qui legítime non certáverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem súrgere. Ita est. Frustra ad celsitúdinem nítitur glóriæ, qui prius non cláruit virtúte. Frustra fátuæ vírgines sponso óbviam surgunt, quarum lámpades exstinguúntur; et ídeo fátuæ, quia vácuis gloriántur lampádibus, virtútis óleum non habéntes.

℟. Crescéntis famæ.

Lectio v.

Virtus, gradus ad glóriam, virtus mater glóriæ est. Fallax glória et vana est pulchritúdo, quam illa non partu-rívit. Sola est, cui glória jure debétur et secúre impénditur. Sancto Epárchio nec virtus, nec glória deest; sed quemádmodum ambæ res, et quo órdine in hómine processérunt, id óperæ prétium intuéri. Habémus enim, dilectíssimi, in vita Epárchii et quod digne mirémur, et quod salúbriter imitémur. Tútius sane æmulánda solidióra, quam sublimióra, et quæ magis virtútem redóleant, glóriam minus. Studeámus proínde móribus conformári, cui in mirabílibus similári, etsi vólumus, non valémus.

℟. Cum sopóri.

Lectio vj.

Æmulémur in viro sóbrium victum, devótum afféctum; æmulémur mansuetúdinem spíritus, castimóniam córporis, oris custódiam, ánimi puritátem, pónere frenum iræ et modum linguæ, dormíre párcius, oráre frequéntius, commonére nosmetípsos psalmis, hymnis et cánticis spirituálibus, diébus júngere noctes, et divínis láudibus occupári, æmulémur charísmata melióra. Æmulémur, inquam, quod éxstitit liberális in páuperes, pátiens ad peccántes, benígnus ad omnes. Hoc enim mélius. In his forma est, cui imprimámur: in miráculis glória, a qua reprimámur. Illa lætíficent, ista ædíficent; móveant illa, ista promóveant.

℟. Epárchius.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xix.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Decl. de Evang. hujus verbis.

Arbitror verba lectiónis hujus ea esse, de quibus ad immortálem sponsum a fínibus terræ

clamat Ecclésia : Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Hæc nempe sunt verba, quæ contémptum mundi in univérso mundo et voluntáriam persuasére homínibus paupertátem. Hæc sunt, quæ mónachis claustra replent, desérta anachorétis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægyptum spóliant, et óptima quæque ejus vasa dirípiunt. Hic sermo vivus et éfficax, convértens ánimas felíci æmulatióne sanctitátis, et veritátis promissióne fidéli.

℟. Beátus Epárchius.

Lectio viij.

Jam et mundus transit, et concupiscéntia ejus, et relínquere hæc magis éxpedit, quam relínqui. Ecce, inquit, relíquimus ómnia, et secúti sumus te : nimírum, quia exsultávit ut gigas ad curréndam viam, nec curréntem sequi póteras onerátus. Sed nec inútilis commutátio pro eo, qui super ómnia est, ómnia reliquísse: nam et simul cum eo donántur ómnia, et ubi apprehénderis eum, erit unus ipse ómnia in ómnibus, qui pro ipso ómnia reliquérunt. Omnia sane díxerim, non tantum possessiónes, sed étiam cupiditátes, et eas máxime.

℟. O vere beátum.

Lectio ix.

Petrus cogitátum suum jactans in Dómino, et omnem sollicitúdinem suam in eum projíciens, certus quod illi foret cura de eo, relíquit ómnia, et secútus est Dóminum, ne intérrogans quidem de præmio, donec ex perículo dívitum, quod Salvátor prosequebátur, súmeret occasiónem percontándi : Quid ergo erit nobis? Ait illi Jesus : Amen dico vobis. Verbum confirmatiónis præmíttitur : magnum nóveris esse, quod séquitur. In regeneratióne sedébitis et vos. Consequémini, ait, quem sequímini, ut cum ipse séderit, et vos páriter sedeátis. O séssio! Quis mihi tríbuat, ut dignis éxprimam verbis, quod de sessióne hac cordis affectióne concípio? Imo quis tríbuat mihi sessiónis hujus imperturbáta frui réquie, quam desídero, quam cúpio, quam requíro?

Te Deum laudámus.

Vesp. de seq. ut in j. Vesp. Festi.

DIE VIII. JULII.

In Octava S. Eparchii

Abb., Civit. Engolismen. Compatroni.

Duplex.

Omnia ut in die festo, præter sequentia.

In primo Nocturno.
Lect. de Script. occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CIvitáti Engolisménsium insígnem splendórem áttulit beatíssimus Epárchius, inter ejus tuteláres Patrónos mérito computátus. Nam tantas et tales, post humátum ejus corpus, sive ad locum sepúlcri, sive per multárum terrárum spátia, ubicúmque ipsíus relíquiæ cónditæ sunt, virtútes Dóminus per servum suum operári dignátus est, ut Sancti nostri cultus ádmodum célebris exstíterit. Sic, non multo post ejus mortem, Nicásius, tunc témporis Engolisménsis epíscopus, in civitáte Burdígala ecclésiam in honórem sancti Epárchii devóte constítuit, ubi étiam reliquiárum ejus pígnora cum magna glória, Deo auxiliánte, collocávit; et insígnem quoque Pictávii ecclésiam sub sancti Epárchii nómine légimus esse fundátam. In diœcési vero Engolisménsi séxdecim ecclésias parochiáles numerámus ipsi dedicátas.
℟. Crescéntis famæ.

Lectio v.

ENgolísmæ vero, solitúdo, prope céllulam Epárchii, ad advérsam tamen flúminis ripam, commutáta est in magníficum cœnóbium Sancti nómine insignítum, quod regum Fránciæ, et præsértim Pippíni, et Guliélmi, cómitis Engolisménsis cognoménto Sectóris Ferri, aliorúmque príncipum donatiónibus ita accrévit, ut tota Gállia celebérrimum fúerit, plúrium Episcopórum túmulis, imo cómitum ipsórum Engolisménsium stata sepultúra nobilitátum. Hujus cœnóbii vária sors fuit; nam a principátu Cároli Martélli constitúta in eo fúerat congregátio Canonicórum; qui sub Pippíno rege Aquitániæ mónachis Benedictínis cessérunt. Quo témpore autem Nortmánni Aquitániam afflictábant, monastérium quoque beáti Epárchii desolátum est, ita ut nullus monachórum ibi dégeret, et hac de re canonicális ordo eódem regrederétur. Tértio demum Guliélmus Sector Ferri mónachos restítuit, monasteriúmque multis possessiónibus auxit.
℟. Cum sopóri.

Lectio vi.

SAcrum vero Epárchii corpus in basílica monastérii per totum id tempus quiescébat, in qua ab inítio fúerat sepúltum, quæque in honórem sancti Martíni prímitus consecráta, multis ejúsdem Martíni reliquiárum pignóribus dives exstábat. In ea étiam servabátur corpus

beáti Gratúlphi, sancti Epárchii discípuli; et multas relíquias de Jerosólymis asportátas a Maináldo abbáte scimus in eádem fuísse honorífice collocátas. Verum hæreticórum rábies, capta urbe, in venerándas totque jam sæculis honorátas Sancti nostri aliorúmque Engolisménsium patronórum relíquias sacrílegis flammis desæviit, quibus vel ipsa infidélium Nortmannórum immánitas pepércerat.

℟. Epárchius.

In ij. Vesp., Comm. seq.

DIE IX. JULII.

S. Elisabeth

Reginæ Portug. Viduæ.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario Romano, die VIII. hujus.

Vesp. a Cap. de seq., Com. S. Elisabeth.

FESTA AUGUSTI.

DIE XIII. AUGUSTI.

B. Calfagiæ

Virginis.

Duplex.

Omnia de Communi Virginum, præter sequentia.

A Capit. fit de B. Calfagia.

Oratio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui hunc diem ánnua beátæ Calfágiæ Vírginis tuæ celebritáte consecrásti: præsta, quæsumus; ut, ejus oratióne muníti, post hanc mortális vitæ milítiam, cum ipsa coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Comm. S. Claræ, Oct. et SS. Hippolyti et Soc. Mart.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



Tempóribus beatíssimi Ausónii, Mártyris ínclyti et primi Engolisménsium epíscopi, éxstitit quædam puélla génere nobilíssima et ópibus reférta, Calfágia nómine, quæ plures annos gravi morbo afflictáta, amplam substántiæ partem in médicos consúmpserat; frustra tamen, quum ei nihil ómnino leváminis attulíssent. Percrebrescénte vero sancti Ausónii fama, consílium íniit eum adeúndi, ab ipso morbi remédium imploratúra. Dum autem iter parat, súbito mirum in modum sentit se mélius habére, exclamátque jam de ídolis ad Christum convérsa: "Vere non est álius Deus, præter eum quem colit Ausónius."

℟. Propter veritátem.

Lectio v.



Igitur cum magna auri et argénti cópia ad sanctum Antístitem perréxit, comitánte nu-

merósa suórum famulórum catérva. Mox ad ejus pedes provolúta, baptísmum summis précibus ab eódem postulávit; qui tantam fidem et devotiónem admirátus, eam salutári lavácro libentíssime ábluit, perfectæque sanitáti íllico restítuit. Dícitur post hæc Calfágia a sancto Epíscopo velámen Vírginum accepísse, et opes suas cum in ecclésiam Engolísmæ ædificándam, tum in páuperes sublevándos per manus beáti Cæsárii diáconi lárgiter impendísse.

℟. Dilexísti.

Lectio vj.

Postquam martyrium passus est beátus Ausónius, ad sepúlcrum ejus Calfágia, una cum Calíaga et áliis quibúsdam virgínibus, sedem sibi pósuit. Defúncta vero sepúlta est juxta sacrum túmulum quem viva tóties visitáverat, honorúmque beáto Patri impensórum párticeps statim facta est. Religióse servátæ sunt beátæ Calfágiæ relíquiæ in ecclésia ab antíquis tempóribus sancto Ausónio dedicáta; donec verténte século sexto décimo ab hæréticis Calviniánis fuérunt combústæ.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Nocturno.

Lect. de Hom. in Evang. Símile erit. *de Comm., j. loco. Lectio ix. SS. Mart.*

In Laud. Comm. Oct. et SS. Mart.

Vesp. a Capit. de seq.

DIE XIV. AUGUSTI.

S. Radegundis

Francorum Reginæ, Vid.

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., præter sequentia.

In i. vesperis.

Ad Magnif. Aña. Radegúndis, Franciadum decus, mundi glóriam contémpsit, et régiam púrpuram sacro velámine commutávit.

Oratio.

Deus, pro cujus amóre beáta Radegúndis ex aulæ tumúltu, spretis mundi illécebris, in solitúdinem evolávit: tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, et amáre cœléstia. Per Dóminum.

Comm. B. Calfagiæ, Aña. Veni sponsa. ℣. Diffúsa est.

Deinde Oct. S. Laurentii, Aña. Beátus Lauréntius dum in cratícula superpósitus ureretúr, ad impiíssimum tyrannum dixit: Assátum est jam, versa, et mandúca: nam facultátes Ecclésiæ, quas requíris, in cœléstes thesáuros manus páuperum deportavérunt.

℣. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est. ℟. Qui per signum crucis cæcos illuminávit.

quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : intra in gáudium Dómini tui.
℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.
Oratio ut supra.
Vesp. de seq. absque ulla Commem.

DIE XVI. AUGUSTI.

S. Rochi

Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

Comm. Octavar. in Laud.

Vesp. a Capit. de seq., Commem. præced. et Oct. Assumpt.

DIE XVIII. AUGUSTI.

S. Hyacinthi

Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano, die XVI. hujus.

Vesp. a Cap. de S. Hyacintho, Comm. præced., Oct. Assumpt., et S. Agapiti Mart.

Lectio nona ejusdem S. Agapiti. In Laudibus, Commem. Oct. Assumpt. et S. Mart.

In ij. Vesp. Comm. Oct.

DIE XXV. AUGUSTI.

S. Ludovici

Regis Francorum, Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequent.

In j. Vesp. ad Magnif. Aña. Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum, et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum.

Oratio.

Deus, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum, de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit et regnat.

In primo Nocturno.

Lect. de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ludovícus nonus, Gálliæ rex, duódecim annos natus, patre amísso, et in Blanchæ matris sanctíssima disciplína educátus, cum jam vigésimum annum in regno ágeret, in morbum íncidit : quo témpore cogitávit de recuperánda possessióne Jerosolymórum. Quamóbrem ubi convaluísset, vexíllum ab Epíscopo Parisiénsi accépit : deínde mare cum ingénti exércitu trajíciens, primo prœlio Saracénos fugávit. Sed cum ex pestiléntia magna mílitum multitúdo periísset, victus ipse captúsque est.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Rebus póstea cum Saracénis compósitis, liber rex exercitúsque dimíttitur. Quinque annis in Oriénte commorátus, plúrimos christiános a barbarórum servitúte redémit, multos étiam infidéles ad Christi fidem convértit: prætérea áliquot christianórum urbes refécit suis súmptibus. Interim mater ejus migrat e vita: quare domum redíre cógitur, ubi totum se dedit pietátis offíciis.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Multa ædificávit monastéria et páuperum hospítia: beneficéntia egéntes sublevábat: frequens visébat ægrótos, quibus ipse non solum suis súmptibus ómnia suppeditábat, sed étiam quæ opus erant mánibus ministrábat. Vestítu vulgári utebátur, cilício ac jejúnio corpus assídue affligébat. Sed cum íterum transmisísset, bellum Saracénis illatúrus, jamque castra in eórum conspéctu posuísset, pestiléntia decéssit in illa oratióne: Introíbo in domum tuam; adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Ejus corpus póstea Lutétiam Parisiórum translátum est, quod in célebri sancti Dionysii templo asservátur et cólitur; caput vero in sacra æde sanctæ Capéllæ. Ipse clarus miráculis a Bonifácio Papa octávo in Sanctórum númerum est relátus.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xix.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi. *De Civit. Dei, l.* 5. *c.* xxiv.

Christiános quosdam imperatóres non ídeo felíces dícimus quia vel diútius imperántes fílios morte plácida reliquérunt, vel hostes reipúblicæ domuérunt, vel inimícos cives advérsus se insurgéntes et cavére et opprímere potuérunt. Hæc et ália vitæ hujus ærumnósæ vel múnera, vel solátia, quióam étiam cultóres dæmonum accípere meruérunt, qui non pértinent ad regnum Dei, quo pértinent isti; et hoc ipsíus misericórdia factum est, ne ab illo ista qui in eum créderent velut summa bona desideràrent.

℟. Iste est qui.

Lectio viij.

SEd felíces eos dícimus, si juste ímperant; si inter linguas sublímiter honorántium et obséquia nimis humíliter salutántium non extollúntur, sed se hómines esse meminérunt; si suam potestátem, ad Dei cultum máxime dilatándum, majestáti ejus fámulam fáciunt; si Deum timent, díligunt, colunt; si plus amant illud regnum ubi non timent habére consórtes; si tárdius víndicant, fácile ignóscunt; si eámdem vindíctam pro necessitáte regéndæ tuendæque reipúblicæ, non pro saturándis inimicitiárum ódiis, exsérunt; si eámdem véniam, non ad impunitátem iniquitátis, sed ad spem correctiónis, indúlgent; si quod áspere cogúntur plerúmque decérnere, misericórdiæ lenitáte et beneficiórum largitáte compénsant; si luxúria tanto eis est castigátior, quanto posset esse libérior; si malunt cupiditátibus pravis quam quibúslibet géntibus imperáre.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

ET si hæc ómnia fáciunt, non propter ardórem inánis glóriæ, sed propter caritátem felicitátis ætérnæ; si pro suis peccátis, humilitátis, et miseratiónis et oratiónis sacrifícium Deo suo vero immoláre non négligunt, tales christiános imperatóres dícimus esse felíces interim spe, póstea reípsa futúros, cum id quod exspectámus advénerit.

Te Deum laudámus.

In laudibus.

Ad Bened. Aña. In tentatióne invéntus est fidélis: ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

Oratio.

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti: ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum.

In ij. vesperis,

Ad Magnif. Aña. Operátus est bonum, et rectum, et verum coram Dómino, volens requírere Deum suum in toto corde suo, allelúia.

Et fit Comm. S. Zephyrini Papæ et Mart. Aña. Iste sanctus. ℣. Glória. *Oratio.* Præsta, quæsumus.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I. SEPTEMBRIS.

S. Viviani

Episc. Santonen. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. (m. t. v.) *præter seq. A Capit. fit de S. Viviano. Oratio.* Da, quæsumus

Comm. præc., S. Ægidii Abb. (℣. Os justi. *e ij. Noct.*) *et SS. Duodecim Fratrum Mart.*

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Viviánus, seu Bibiánus, patre gentíli et christiána matre génitus, adoléscens pietátis litterarúmque rudiménta ab Ambrósio, Santonénsi epíscopo, fuit edóctus; et propter exímias virtútes, circa trigésimum ætátis suæ annum, présbyter ordinátus. Crescénte in dies sanctitátis ejus fama, post mortem Ambrósii, ad regéndam Santonénsem Ecclésiam totíus cleri et pópuli votis, licet invítus et multum relúctans, assúmitur. Quo in múnere ita se gessit, ut gregi suo semper inténtus, ómnia caritátis offícia exercére non desísteret. Cum in Visigothórum invasióne, Sántonum nobilióres Tolósam captívi deduceréntur, se illis cómitem adjúnxit Viviánus, qui vel eórum libertáti restituéndæ consúleret, vel saltem eos in captivitáte solarétur. Ibi coram Theodoríco accersítus, cum intra cœnándum renuísset Viviánus páteram, de more, regi offérre, eo quod hæréticus esset, Theodorícus, ira commótus, gravíssimis minis sanctum Præsulem increpávit. Deo autem cor regis noctu immutánte, póstera die Viviánus, cum iis quos comitátus fúerat, munéribus locupletátus, dimíssus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Santonas revérsus, a Sáxonum latrocíniis urbem précibus liberávit. Tandem sénio et méritis conféctus, prænuntiáto die mortis suæ, quiévit in Dómino, circa médium sæculi quinti, et in basílica quam ipse exstrúxerat fuit sepúltus. Præclarórum illíus gestórum librum exstitísse sexto Ecclésiæ sæculo testátur Gregórius Turonénsis, multósque refert ad illíus túmulum sanitátem recuperásse. In ejus honórem Eusébius, Santonénsis epíscopus, ejúsque succéssor Emérius, ampliórem basílicam ædificáre cœpérunt, quæ a sancto Leóntio Burdigalénsi perfécta est. Quam ob causam, iste a Fortunáto Pictaviénsi multis láudibus effértur una cum soróre sua Placidína, quæ túmulum sancti Viviáni auro, argénto et gemmis adornándum curáverat.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Maxima semper fuit in eo invocándo populórum píetas ac fidúcia; et plúrimis in lo-

cis, præsértim in território Santonénsi, eréctæ conspiciúntur ecclésiæ sub ejus título. Beáti Viviáni relíquiæ sæculo nono clam subdúctæ, et in Figiacénse monastérium allátæ, ibídem summa cum veneratióne colebántur; præsértim ab anno millésimo trecentésimo undetricésimo, quo témpore, jussu Bertrándi, Cadurcénsis epíscopi, e thesáuro ecclésiæ ubi jacébant extráctæ, in conspéctum et cultum populórum solémniter expósitæ fúerant. Sed exeúnte sæculo décimo sexto a Calviniánis expilátæ, cum plúribus áliis relíquiis et majóri parte ecclésiæ, periérunt.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Homo péregre. *de Comm., j. loco.*

Lect. nona de S. Ægidio, ejusque ac SS. duodecim Fratrum Comm. in Laud.

In ij. Vesp. Commem S. Stephani Regis.

IN SUFFRAGIIS SANCTORUM.

Commemoratio SS. Ausonii et Eparchii

PATRONORUM DIOECESIS ENGOLISMENSIS.

Ad vesperas.

Aña. Hos Dóminus nobis dedit, ut eórum conversatiónem intueámur, fidem imitémur et patrocíniis adjuvémur.

Ad laudes.

Aña. Isti sunt duo viri misericórdiæ, qui assístunt ante Dóminum ut intercédant pro nobis.

℣. Oráte pro nobis, sancti Ausóni et Epárchi.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Deus, qui nos beatórum Ausónii et Epárchii doctrínis et exémplo docuísti : præsta, quæsumus, ut, eórum interveniéntibus méritis, supernórum cívium mereámur adscísci consórtio.

Concordat cum exemplari authentico quod in Archivis Curiæ Nostræ asservatur.

Engolismæ, die 8 Decembris 1884.

L. ✝ S. ✠ A. L., Ep. Engolismensis.



Index

Hymnorum.

Festorum.

Imprimatur.
Tornaci, die 30 Maii 1885.
AUG. LEROY, Vic. Gen.



Typis Soc. S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. — Tornaci.

6

12

Proprium Officiorum Dioecesis Engolismensis

a Sacra Rituum Congregatione approbatum Anno 1884 ac de mandato Illmi et Revmi DD. Alexandri Leopoldi Sebaux Episcopi Engolismensis editum.

Pars Autumnalis.





Tornaci Nerviorum, Typis Societatis S. Joannis Evang.
Desclée, Lefebvre et Soc. M.DCCC.LXXXV.

224

Engolismen.



T Kalendario perpetuo et Proprio Officiorum ac Missarum in usum Diœceseos Engolismen. nonnulla insererentur Cœlitum Festa, quorum celebratio penes Clerum et populum maxime erat in votis, atque insimul additamenta ac variationes, quæ, volventibus annis, in iisdem Kalendario et Proprio locum habuerunt, ad accuratiorem ordinem disponerentur; Rm̃us Dominus Alexander Leopoldus Sebaux Episcopus Engolismen. una cum Capitulo suæ cathedralis Ecclesiæ, Kalendarium ipsum et Proprium reformare aggressus est, omne adhibens studium, quatenus cuncta in iis Rubricarum præscriptionibus, et Sanctæ Sedis Decretis apprime responderent: hæc autem omnia, sic apte concinnata, supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII sanctioni demississime subjecit.

Placuit vero eidem Sanctissimo Domino Nostro præfati Kalendarii ac Proprii examen Sacræ Rituum Congregationi committere, quæ, post exquisitum votum in scriptis unius ex Consultoribus Congregationis ipsius, omnibus accurate perpensis, idem Kalendarium ac Proprium a se emendatum atque ordinatum, prouti huic præjacet Decreto, probari posse censuit. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua, referente infrascripto Secretario, ratam habens, concedere dignata est, ut a Clero totius Diœceseos Engolismen. Sæculari ac Regulari, Diœcesano Kalendario utente, tam in Horis Canonicis persolvendis, quam in Missis celebrandis suprascriptum Kalendarium ac Proprium in posterum adhibeatur; attamen sub conditione, ut duplex omnium authenticum exemplar ad ipsam Sacram Congregationem transmittatur statim ac typis ea impressa fuerint. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 Januarii 1884.

D. Cardinalis Bartolinius S. R. C. Præfectus.

L. ✝ S.

LAURENTIUS SALVATI S. R. C. Secretarius.

Nos, Alexander Leopoldus,

DEI ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA
EPISCOPUS ENGOLISMENSIS.



ER præsentes decernimus ac mandamus ut Kalendarium et Proprium Officiorum ac Missarum a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII per organum S. Rituum Congregationis sub die 24 Januarii 1884 approbatum, a die 1ª Januarii 1885 ab universo Diœcesis Engolismensis Clero tam in horis canonicis persolvendis quam in missis celebrandis perpetuo adhibeatur.

Et juxta Summorum Pontificum Constitutiones, RR. DD. Desclée, Lefebvre et Soc. potestatem facimus Kalendarium et Proprium prædictum, sub modo et forma in exemplari a S. Rituum Congregatione adnotatis, typis dandi atque evulgandi, sive seorsim a Breviario et Missali Romano cudatur, sive appendicis loco ipsis Breviario ac Missali adjiciatur.

Datum Engolismæ sub signo sigilloque Nostris, necnon Cancellarii Nostræ Curiæ subscriptione, die decima nona Martii, anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo quarto.

A. L. Episcopus Engolismensis.

L. † S.

De mandato Illm̃i ac Rm̃i Dñi Episcopi
G. TORTELLI, C. C.

Calendarium Perpetuum.

Januarius.

1. Circumcisio D. N. J. C. *Duplex ii. classis.*
2. Octava S. Stephani Protom. *Dupl.* Com. Octavar.
3. Octava S. Joannis Apost. et Evang. *Dupl.* Com. Octav. et S. Eumachii Conf.
4. Octava SS. Innocentium MM. *Dupl.*
5. Vigilia Epiphaniæ. *Semid.* Com. S. Telesphori Pap. Mart.
6. Epiphania Domini. *Dupl. j. class.* cum Octava.
7. De Octava. *Semid.*
8. De Octava. *Semid.*
9. De Octava. *Semid.*
10. De Octava. *Semid.*
11. De Octava. *Semid.* Com. S. Hygini Pap. Mart.
12. De Octava, vel de Dom. infr. Oct. *Semid.*
13. Octava Epiphaniæ. *Dupl.*
14. Hilarii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl. maj.* Com. S. Felicis Presb. Mart.
15. Pauli primi Eremit. Conf. *Dupl.* Com. S. Mauri Abb.
16. Marcelli Pap. Mart. *Semid.*
17. Antonii Abb. *Dupl.*
18. Cathedra S. Petri Apost. Romæ. *Dupl. maj.* (in Ecc. Cathedr. *Dupl. ij. classis.*) Com. S. Pauli Apost. et S. Priscæ Virg. Mart.
19. Canuti Regis Martyris, *Semid.* ad libitum. Commem. SS. Marii et Soc. MM.
20. Fabiani Pap. et Sebastiani MM. *Dupl.*
21. Agnetis Virg. Mart. *Dupl.*
22. Vincentii et Anastasii MM. *Semid.*
23. Desponsatio B. M. V. *Dupl. maj.* Com. S. Joseph et S. Emerentianæ Virg. Mart.
24. Timothei Episc. Mart. *Dupl.*
25. Conversio S. Pauli Apost. *Dupl. maj.* Com. S. Petri Apost.
26. Polycarpi Episc. Mart. *Dupl.*
27. Joannis Chrysost. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
28. Agnetis secundo. *Simpl.*
29. Francisci Salesii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
30. Bathildis Regin. Vid. *Dupl.*
31. Petri Nolasci Conf. *Dupl.*

Festa mobilia.

Domin. II. post Epiph. SS. Nominis Jesu. *Duplex ij. classis.* Commem. Domin.

Feria III. post Dom. Septuag. Orationis D. N. J. C. in Monte Olivarum. *Dupl. maj.*

Feria III. post. Domin. Sexag. Commem. Passionis D. N. J. C. *Duplex majus.*

Calendarium perpetuum.

Februarius.

1. Ignatii Episc. Mart. *Dupl.*
2. PURIFICATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.*
3. Blasii Episc. Mart. *Simpl.*
4. Joannæ Valesiæ Vid. *Dupl.*
5. Agathæ Virg. Mart. *Dupl.*
6. Andreæ Corsini Episc. Conf. (d. a. ex 4. huj.) *Dupl.* Com. S. Dorotheæ Virg. Mart.
7. Romualdi Abb. *Dupl.*
8. Joannis de Matha Conf. *Dupl.*
9. Cyrilli Alexandr. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Apolloniæ Virg. Mart.
10. Scholasticæ Virg. *Dupl.*
11. Raymundi de Pennafort Conf. (d. a. ex 23. Jan.) *Semid.*
12. Titi Episc. Conf. *Dupl.*
13. Cæsarii Archidiaconi Engolismen. Conf. *Dupl.*
14. Genovefæ Virg. *Dupl.* Com. S. Valentini Presb. Mart.
15. Martinæ Virg. (d. a. ex 30. Jan.) *Semid.* Com. SS. Faustini et Soc. MM.
16.
17.
18. Simeonis Episc. Mart. *Simpl.*
19.
20.
21.
22. Cathedra S. Petri Apost. Antiochiæ. *Dupl. maj.* (in Ecc. Cathedr. *Dupl. ij. class.*) Com. S. Pauli Apost.
23. Petri Damiani Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Vigil.
24. MATHIÆ APOST. *Dupl. ij. class.*
25.
26.
27.
28.

In anno Bissextili Februarius habet dies 29, et tunc de S. Mathia fit die 25.

Festa mobilia.

Feria VI. post Cineres, Sacr. Spineæ Coronæ D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. I. Quadrag. Lanceæ et Clavor. D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag. Sacratiss. Sindonis D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.



Martius.

1. Amantii Buxiensis Conf. *Dupl.*
2. Albini Episc. Conf. *Semid.*
3.
4. Casimiri Conf. *Semid.* Com. S. Lucii Pap. Mart.
5.
6.

7. Thomæ de Aquino Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. SS. Perpetuæ et Soc. MM.
8. Joannis de Deo Conf. *Dupl.*
9. Franciscæ Romanæ Vid. *Dupl.*
10. Quadraginta Martyrum. *Semid.*
11.
12. Gregorii I. Pap. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
13.
14.
15.
16.
17. Patritii Episc. Conf. *Dupl.*
18. Gabrielis Archang. *Dupl. maj.*
19. JOSEPHI CONF. B. M. V. SPONSI. *Dupl. j. class.*
20. Cyrilli Hierosolymit. Episc. Conf. et Ecc. Doct. (d. a. ex 18. huj.) *Dupl.*
21. Benedicti Abb. *Dupl. maj.*
22.
23.
24.
25. ANNUNTIATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.*
26.
27.
28.
29.
30. Translatio S. Ausonii primi Engolism. Episc. Mart. *Dupl. maj.*

Festa mobilia.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Sacror. Quinque Vulnerum D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Pretiosiss. Sanguinis D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. Passionis, Septem Dolorum B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Fer.



Aprilis.

1.
2. Francisci de Paula Conf. *Dupl.*
3.
4. Isidori Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
5. Vincentii Ferrerii Conf. *Dupl.*
6. Julianæ Cornelionen. Virg. *Dupl.*
7.
8.
9.
10.
11. Leonis I. Pap. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
12.
13. Hermenegildi Mart. *Semid.*
14. Justini Philosophi Mart. *Dupl.* Com. SS. Tiburtii et Soc. MM.
15.
16.

quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : intra in gáudium Dómini tui.
℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.
Oratio ut supra.
Vesp. de seq. absque ulla Commem.

DIE XVI. AUGUSTI.
S. Rochi
Confessoris.
Duplex.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.
Comm. Octavar. in Laud.
Vesp. a Capit. de seq., Commem. præced. et Oct. Assumpt.

DIE XVIII. AUGUSTI.
S. Hyacinthi
Confessoris.
Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano, die XVI. hujus.
Vesp. a Cap. de S. Hyacintho, Comm. præced., Oct. Assumpt., et S. Agapiti Mart.
Lectio nona ejusdem S. Agapiti. In Laudibus, Commem. Oct. Assumpt. et S. Mart.
In ij. Vesp. Comm. Oct.

DIE XXV. AUGUSTI.
S. Ludovici
Regis Francorum, Conf.
Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequent.
In j. Vesp. ad Magnif. Aña. Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum, et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum.

Oratio.

Deus, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum, de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit et regnat.

In primo Nocturno.

Lect. de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ludovícus nonus, Gálliæ rex, duódecim annos natus, patre amísso, et in Blanchæ matris sanctíssima disciplína educátus, cum jam vigésimum annum in regno ágeret, in morbum íncidit : quo témpore cogitávit de recuperánda possessióne Jerosolymórum. Quamóbrem ubi convaluísset, vexíllum ab Epíscopo Parisiénsi accépit : deínde mare cum ingénti exércitu trajíciens, primo prœlio Saracénos fugávit. Sed cum ex pestiléntia magna mílitum multitúdo periísset, victus ipse captúsque est.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Rebus póstea cum Saracénis compósitis, liber rex exercitúsque dimíttitur. Quinque annis in Oriénte commorátus, plúrimos christiános a barbarórum servitúte redémit, multos étiam infidéles ad Christi fidem convértit: prætérea áliquot christianórum urbes refécit suis súmptibus. Interim mater ejus migrat e vita: quare domum redíre cógitur, ubi totum se dedit pietátis offíciis.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Multa ædificávit monastéria et páuperum hospítia: beneficéntia egéntes sublevábat: frequens visébat ægrótos, quibus ipse non solum suis súmptibus ómnia suppeditábat, sed étiam quæ opus erant mánibus ministrábat. Vestítu vulgári utebátur, cilício ac jejúnio corpus assídue affligébat. Sed cum íterum transmisísset, bellum Saracénis illatúrus, jamque castra in eórum conspéctu posuísset, pestiléntia decéssit in illa oratióne: Introíbo in domum tuam; adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Ejus corpus póstea Lutétiam Parisiórum translátum est, quod in célebri sancti Dionysii templo asservátur et cólitur; caput vero in sacra æde sanctæ Capéllæ. Ipse clarus miráculis a Bonifácio Papa octávo in Sanctórum númerum est relátus.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xix.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi. *De Civit. Dei, l.* 5. *c.* xxiv.

Christiános quosdam imperatóres non ídeo felíces dícimus quia vel diútius imperántes fílios morte plácida reliquérunt, vel hostes reipúblicæ domuérunt, vel inimícos cives advérsus se insurgéntes et cavére et opprímere potuérunt. Hæc et ália vitæ hujus ærumnósæ vel múnera, vel solátia, quióam étiam cultóres dæmonum accípere meruérunt, qui non pértinent ad regnum Dei, quo pértinent isti; et hoc ipsíus misericórdia factum est, ne ab illo ista qui in eum créderent velut summa bona desiderárent.

℟. Iste est qui.

Lectio viij.

SEd felíces eos dícimus, si juste ímperant; si inter linguas sublímiter honorántium et obséquia nimis humíliter salutántium non extollúntur, sed se hómines esse meminérunt; si suam potestátem, ad Dei cultum máxime dilatándum, majestáti ejus fámulam fáciunt; si Deum timent, díligunt, colunt; si plus amant illud regnum ubi non timent habére consórtes; si tárdius víndicant, fácile ignóscunt; si eámdem vindíctam pro necessitáte regéndæ tuendæque reipúblicæ, non pro saturándis inimicitiárum ódiis, exsérunt; si eámdem véniam, non ad impunitátem iniquitátis, sed ad spem correctiónis, indúlgent; si quod áspere cogúntur plerúmque decérnere, misericórdiæ lenitáte et beneficiórum largitáte compénsant; si luxúria tanto eis est castigátior, quanto posset esse libérior; si malunt cupiditátibus pravis quam quibúslibet géntibus imperáre.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

ET si hæc ómnia fáciunt, non propter ardórem inánis glóriæ, sed propter caritátem felicitátis ætérnæ; si pro suis peccátis, humilitátis, et miseratiónis et oratiónis sacrifícium Deo suo vero immoláre non négligunt, tales christiános imperatóres dícimus esse felíces interim spe, póstea reípsa futúros, cum id quod exspectámus advénerit.

Te Deum laudámus.

In laudibus.

Ad Bened. Aña. In tentatióne invéntus est fidélis: ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

Oratio.

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti: ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum.

In ij. vesperis.

Ad Magnif. Aña. Operátus est bonum, et rectum, et verum coram Dómino, volens requírere Deum suum in toto corde suo, allelúia.

Et fit Comm. S. Zephyrini Papæ et Mart. Aña. Iste sanctus. ℣. Glória. *Oratio.* Præsta, quæsumus.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I. SEPTEMBRIS.

S. Viviani

Episc. Santonen. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. (m. t. v.) *præter seq.*

A Capit. fit de S. Viviano.

Oratio. Da, quæsumus.

Comm. præc., S. Ægidii Abb. (℣. Os justi. *e ij. Noct.*) *et SS. Duodecim Fratrum Mart.*

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Viviánus, seu Bibiánus, patre gentíli et christiána matre génitus, adoléscens pietátis litterarúmque rudiménta ab Ambrósio, Santonénsi epíscopo, fuit edóctus; et propter exímias virtútes, circa trigésimum ætátis suæ annum, présbyter ordinátus. Crescénte in dies sanctitátis ejus fama, post mortem Ambrósii, ad regéndam Santonénsem Ecclésiam totíus cleri et pópuli votis, licet invítus et multum relúctans, assúmitur. Quo in múnere ita se gessit, ut gregi suo semper inténtus, ómnia caritátis offícia exercére non desísteret. Cum in Visigothórum invasióne, Sántonum nobilióres Tolósam captívi deduceréntur, se illis cómitem adjúnxit Viviánus, qui vel eórum libertáti restituéndæ consúleret, vel saltem eos in captivitáte solarétur. Ibi coram Theodoríco accersítus, cum intra cœnándum renuísset Viviánus páteram, de more, regi offérre, eo quod hæréticus esset, Theodoricus, ira commótus, gravíssimis minis sanctum Præsulem increpávit. Deo autem cor regis noctu immutánte, póstera die Viviánus, cum iis quos comitátus fúerat, munéribus locupletátus, dimíssus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Santonas revérsus, a Sáxonum latrocíniis urbem précibus liberávit. Tandem sénio et méritis conféctus, prænuntiáto die mortis suæ, quiévit in Dómino, circa médium sæculi quinti, et in basílica quam ipse exstrúxerat fuit sepúltus. Præclarórum illíus gestórum librum exstitísse sexto Ecclésiæ sæculo testátur Gregórius Turonénsis, multósque refert ad illíus túmulum sanitátem recuperásse. In ejus honórem Eusébius, Santonénsis epíscopus, ejúsque succéssor Emérius, ampliórem basílicam ædificáre cœpérunt, quæ a sancto Leóntio Burdigalénsi perfécta est. Quam ob causam, iste a Fortunáto Pictaviénsi multis láudibus effértur una cum soróre sua Placidína, quæ túmulum sancti Viviáni auro, argénto et gemmis adornándum curáverat.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Maxima semper fuit in eo invocándo populórum píetas ac fidúcia; et plúrimis in lo-

cis, præsértim in território Santonénsi, eréctæ conspiciúntur ecclésiæ sub ejus título. Beáti Viviáni relíquiæ sæculo nono clam subdúctæ, et in Figiacénse monastérium allátæ, ibídem summa cum veneratióne colebántur; præsértim ab anno millésimo trecentésimo undetricésimo, quo témpore, jussu Bertrándi, Cadurcénsis epíscopi, e thesáuro ecclésiæ ubi jacébant extráctæ, in conspéctum et cultum populórum solémniter expósitæ fúerant. Sed exeúnte sæculo décimo sexto a Calviniánis expilátæ, cum plúribus áliis relíquiis et majóri parte ecclésiæ, periérunt.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Homo péregre. *de Comm., j. loco.*

Lect. nona de S. Ægidio, ejusque ac SS. duodecim Fratrum Comm. in Laud.

In ij. Vesp. Commem. S. Stephani Regis.

IN SUFFRAGIIS SANCTORUM.

Commemoratio SS. Ausonii et Eparchii

PATRONORUM DIOECESIS ENGOLISMENSIS.

Ad vesperas.

Aña. Hos Dóminus nobis dedit, ut eórum conversatiónem intueámur, fidem imitémur et patrocíniis adjuvémur.

Ad laudes.

Aña. Isti sunt duo viri misericórdiæ, qui assístunt ante Dóminum ut intercédant pro nobis.

℣. Oráte pro nobis, sancti Ausóni et Epárchi.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Deus, qui nos beatórum Ausónii et Epárchii doctrínis et exémplo docuísti : præsta, quæsumus, ut, eórum interveniéntibus méritis, supernórum cívium mereámur adscísci consórtio.

Concordat cum exemplari authentico quod in Archivis Curiæ Nostræ asservatur.

Engolismæ, die 8 Decembris 1884.

L. ✝ S. ✠ A. L., Ep. Engolismensis.



Index

Hymnorum.

Festorum.

Imprimatur.
Tornaci, die 30 Maii 1885.
Aug. Leroy, Vic. Gen.

quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio ut supra.

Vesp. de seq. absque ulla Commem.

DIE XVI. AUGUSTI.

S. Rochi

Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

Comm. Octavar. in Laud.

Vesp. a Capit. de seq., Commem. præced. et Oct. Assumpt.

DIE XVIII. AUGUSTI.

S. Hyacinthi

Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano, die XVI. hujus.

Vesp. a Cap. de S. Hyacintho, Comm. præced., Oct. Assumpt., et S. Agapiti Mart.

Lectio nona ejusdem S. Agapiti. In Laudibus, Commem. Oct. Assumpt. et S. Mart.

In ij. Vesp. Comm. Oct.

DIE XXV. AUGUSTI.

S. Ludovici

Regis Francorum, Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequent.

In j. Vesp. ad Magnif. Aña. Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum, et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum.

Oratio.



Deus, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum, de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit et regnat.

In primo Nocturno.

Lect. de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



Ludovícus nonus, Gálliæ rex, duódecim annos natus, patre amísso, et in Blanchæ matris sanctíssima disciplína educátus, cum jam vigésimum annum in regno ágeret, in morbum íncidit : quo témpore cogitávit de recuperánda possessióne Jerosolymórum. Quamóbrem ubi convaluísset, vexíllum ab Epíscopo Parisiénsi accépit : deínde mare cum ingénti exércitu trajíciens, primo prœlio Saracénos fugávit. Sed cum ex pestiléntia magna mílitum multitúdo periísset, victus ipse captúsque est.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Rebus póstea cum Saracénis compósitis, liber rex exercitúsque dimíttitur. Quinque annis in Oriénte commorátus, plúrimos christiános a barbarórum servitúte redémit, multos étiam infidéles ad Christi fidem convértit: prætérea áliquot christianórum urbes refécit suis súmptibus. Interim mater ejus migrat e vita: quare domum redíre cógitur, ubi totum se dedit pietátis offíciis.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Multa ædificávit monastéria et páuperum hospítia: beneficéntia egéntes sublevábat: frequens visébat ægrótos, quibus ipse non solum suis súmptibus ómnia suppeditábat, sed étiam quæ opus erant mánibus ministrábat. Vestítu vulgári utebátur, cilício ac jejúnio corpus assídue affligébat. Sed cum íterum transmisísset, bellum Saracénis illatúrus, jamque castra in eórum conspéctu posuísset, pestiléntia decéssit in illa oratióne: Introíbo in domum tuam; adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Ejus corpus póstea Lutétiam Parisiórum translátum est, quod in célebri sancti Dionysii templo asservátur et cólitur; caput vero in sacra æde sanctæ Capéllæ. Ipse clarus miráculis a Bonifácio Papa octávo in Sanctórum númerum est relátus.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xix.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi. *De Civit. Dei, l.* 5. *c.* xxiv.

Christiános quosdam imperatóres non ídeo felíces dícimus quia vel diútius imperántes fílios morte plácida reliquérunt, vel hostes reipúblicæ domuérunt, vel inimícos cives advérsus se insurgéntes et cavére et opprímere potuérunt. Hæc et ália vitæ hujus ærumnósæ vel múnera, vel solátia, quiðam étiam cultóres dæmonum accípere meruérunt, qui non pértinent ad regnum Dei, quo pértinent isti; et hoc ipsíus misericórdia factum est, ne ab illo ista qui in eum créderent velut summa bona desiderárent.

℟. Iste est qui.

Lectio viij.

SED felíces eos dícimus, si juste ímperant; si inter linguas sublímiter honorántium et obséquia nimis humíliter salutántium non extollúntur, sed se hómines esse meminérunt; si suam potestátem, ad Dei cultum máxime dilatándum, majestáti ejus fámulam fáciunt; si Deum timent, díligunt, colunt; si plus amant illud regnum ubi non timent habére consórtes; si tárdius víndicant, fácile ignóscunt; si eámdem vindíctam pro necessitáte regéndæ tuendǽque reipúblicæ, non pro saturándis inimicitiárum ódiis, exsérunt; si eámdem véniam, non ad impunitátem iniquitátis, sed ad spem correctiónis, indúlgent; si quod áspere cogúntur plerúmque decérnere, misericórdiæ lenitáte et beneficiórum largitáte compénsant; si luxúria tanto eis est castigátior, quanto posset esse libérior; si malunt cupiditátibus pravis quam quibúslibet géntibus imperáre.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

ET si hæc ómnia fáciunt, non propter ardórem inánis glóriæ, sed propter caritátem felicitátis ætérnæ; si pro suis peccátis, humilitátis, et miseratiónis et oratiónis sacrifícium Deo suo vero immoláre non négligunt, tales christiános imperatóres dícimus esse felíces intérim spe, póstea reípsa futúros, cum id quod exspectámus advénerit.

Te Deum laudámus.

In laudibus.

Ad Bened. Aña. In tentatióne invéntus est fidélis: ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

Oratio.

DEUS, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti: ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum.

In ij. vesperis,

Ad Magnif. Aña. Operátus est bonum, et rectum, et verum coram Dómino, volens requírere Deum suum in toto corde suo, allelúia.

Et fit Comm. S. Zephyrini Papæ et Mart. Aña. Iste sanctus. ℣. Glória. *Oratio.* Præsta, quæsumus.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I. SEPTEMBRIS.
S. Viviani
Episc. Santonen. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. (m. t. v.) *præter seq. A Capit. fit de S. Viviano. Oratio.* Da, quæsumus

Comm. præc., S. Ægidii Abb. (℣. Os justi. *e ij. Noct.*) *et SS. Duodecim Fratrum Mart.*

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Viviánus, seu Bibiánus, patre gentíli et christiána matre génitus, adoléscens pietátis litterarúmque rudiménta ab Ambrósio, Santonénsi epíscopo, fuit edóctus; et propter exímias virtútes, circa trigésimum ætátis suæ annum, présbyter ordinátus. Crescénte in dies sanctitátis ejus fama, post mortem Ambrósii, ad regéndam Santonénsem Ecclésiam totíus cleri et pópuli votis, licet invítus et multum relúctans, assúmitur. Quo in múnere ita se gessit, ut gregi suo semper inténtus, ómnia caritátis offícia exercére non desísteret. Cum in Visigothórum invasióne, Sántonum nobilióres Tolósam captívi deduceréntur, se illis cómitem adjúnxit Viviánus, qui vel eórum libertáti restituéndæ consúleret, vel saltem eos in captivitáte solarétur. Ibi coram Theodoríco accersítus, cum intra cœnándum renuísset Viviánus páteram, de more, regi offérre, eo quod hæréticus esset, Theodorícus, ira commótus, gravíssimis minis sanctum Præsulem increpávit. Deo autem cor regis noctu immutánte, póstera die Viviánus, cum iis quos comitátus fúerat, munéribus locupletátus, dimíssus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Santonas revérsus, a Sáxonum latrocíniis urbem précibus liberávit. Tandem sénio et méritis conféctus, prænuntiáto die mortis suæ, quiévit in Dómino, circa médium sæculi quinti, et in basílica quam ipse exstrúxerat fuit sepúltus. Præclarórum illíus gestórum librum exstitísse sexto Ecclésiæ sæculo testátur Gregórius Turonénsis, multósque refert ad illíus túmulum sanitátem recuperásse. In ejus honórem Eusébius, Santonénsis epíscopus, ejúsque succéssor Emérius, ampliórem basílicam ædificáre cœpérunt, quæ a sancto Leóntio Burdigalénsi perfécta est. Quam ob causam, iste a Fortunáto Pictaviénsi multis láudibus effértur una cum soróre sua Placidína, quæ túmulum sancti Viviáni auro, argénto et gemmis adornándum curáverat.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Maxima semper fuit in eo invocándo populórum píetas ac fidúcia; et plúrimis in lo-

cis, præsértim in território Santonénsi, eréctæ conspiciúntur ecclésiæ sub ejus título. Beáti Viviáni relíquiæ sæculo nono clam subdúctæ, et in Figiacénse monastérium allátæ, ibídem summa cum veneratióne colebántur; præsértim ab anno millésimo trecentésimo undetricésimo, quo témpore, jussu Bertrándi, Cadurcénsis epíscopi, e thesáuro ecclésiæ ubi jacébant extráctæ, in conspéctum et cultum populórum solémniter expósitæ fúerant. Sed exeúnte sæculo décimo sexto a Calviniánis expilátæ, cum plúribus áliis relíquiis et majóri parte ecclésiæ, periérunt.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Homo péregre. *de Comm., j. loco.*

Lect. nona de S. Ægidio, ejusque ac SS. duodecim Fratrum Comm. in Laud.

In ij. Vesp. Commem. S. Stephani Regis.

IN SUFFRAGIIS SANCTORUM.

Commemoratio SS. Ausonii et Eparchii

PATRONORUM DIOECESIS ENGOLISMENSIS.

Ad vesperas.

Aña. Hos Dóminus nobis dedit, ut eórum conversatiónem intueámur, fidem imitémur et patrocíniis adjuvémur.

Ad laudes.

Aña. Isti sunt duo viri misericórdiæ, qui assístunt ante Dóminum ut intercédant pro nobis.

℣. Oráte pro nobis, sancti Ausóni et Epárchi.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Deus, qui nos beatórum Ausónii et Epárchii doctrínis et exémplo docuísti: præsta, quæsumus, ut, eórum interveniéntibus méritis, supernórum cívium mereámur adscísci consórtio.

Concordat cum exemplari authentico quod in Archivis Curiæ Nostræ asservatur.

Engolismæ, die 8 Decembris 1884.

L. ✝ S. ✠ A. L., Ep. Engolismensis.



Index

Hymnorum.

Festorum.

Imprimatur.
Tornaci, die 30 Maii 1885.
AUG. LEROY, Vic. Gen.



Typis Soc. S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. — Tornaci.

6 12

Proprium Officiorum Dioecesis Engolismensis

a Sacra Rituum Congregatione approbatum Anno 1884 ac de mandato Illmi et Revmi DD. Alexandri Leopoldi Sebaux Episcopi Engolismensis editum.

Pars Autumnalis.





Tornaci Nerviorum, Typis Societatis S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. M.DCCC.LXXXV.

224

Engolismen.


UT Kalendario perpetuo et Proprio Officiorum ac Missarum in usum Diœceseos Engolismen. nonnulla insererentur Cœlitum Festa, quorum celebratio penes Clerum et populum maxime erat in votis, atque insimul additamenta ac variationes, quæ, volventibus annis, in iisdem Kalendario et Proprio locum habuerunt, ad accuratiorem ordinem disponerentur; Rm̃us Dominus Alexander Leopoldus Sebaux Episcopus Engolismen. una cum Capitulo suæ cathedralis Ecclesiæ, Kalendarium ipsum et Proprium reformare aggressus est, omne adhibens studium, quatenus cuncta in iis Rubricarum præscriptionibus, et Sanctæ Sedis Decretis apprime responderent: hæc autem omnia, sic apte concinnata, supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII sanctioni demississime subjecit.

Placuit vero eidem Sanctissimo Domino Nostro præfati Kalendarii ac Proprii examen Sacræ Rituum Congregationi committere, quæ, post exquisitum votum in scriptis unius ex Consultoribus Congregationis ipsius, omnibus accurate perpensis, idem Kalendarium ac Proprium a se emendatum atque ordinatum, prouti huic præjacet Decreto, probari posse censuit. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua, referente infrascripto Secretario, ratam habens, concedere dignata est, ut a Clero totius Diœceseos Engolismen. Sæculari ac Regulari, Diœcesano Kalendario utente, tam in Horis Canonicis persolvendis, quam in Missis celebrandis suprascriptum Kalendarium ac Proprium in posterum adhibeatur; attamen sub conditione, ut duplex omnium authenticum exemplar ad ipsam Sacram Congregationem transmittatur statim ac typis ea impressa fuerint. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 Januarii 1884.

D. Cardinalis Bartolinius S. R. C. Præfectus.

L. ✝ S.

LAURENTIUS SALVATI S. R. C. Secretarius.

Nos, Alexander Leopoldus,

DEI ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA
EPISCOPUS ENGOLISMENSIS.


PER præsentes decernimus ac mandamus ut Kalendarium et Proprium Officiorum ac Missarum a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII per organum S. Rituum Congregationis sub die 24 Januarii 1884 approbatum, a die 1ª Januarii 1885 ab universo Diœcesis Engolismensis Clero tam in horis canonicis persolvendis quam in missis celebrandis perpetuo adhibeatur.

Et juxta Summorum Pontificum Constitutiones, RR. DD. Desclée, Lefebvre et Soc. potestatem facimus Kalendarium et Proprium prædictum, sub modo et forma in exemplari a S. Rituum Congregatione adnotatis, typis dandi atque evulgandi, sive seorsim a Breviario et Missali Romano cudatur, sive appendicis loco ipsis Breviario ac Missali adjiciatur.

Datum Engolismæ sub signo sigilloque Nostris, necnon Cancellarii Nostræ Curiæ subscriptione, die decima nona Martii, anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo quarto.

A. L. Episcopus Engolismensis.

L. ✝ S.

De mandato Illm̃i ac Rm̃i Dñi Episcopi
G. TORTELLI, C. C.

Calendarium Perpetuum.

Januarius.

1. CIRCUMCISIO D. N. J. C. *Duplex ii. classis.*
2. Octava S. Stephani Protom. *Dupl.* Com. Octavar.
3. Octava S. Joannis Apost. et Evang. *Dupl.* Com. Octav. et S. Eumachii Conf.
4. Octava SS. Innocentium MM. *Dupl.*
5. Vigilia Epiphaniæ. *Semid.* Com. S. Telesphori Pap. Mart.
6. EPIPHANIA DOMINI. *Dupl. j. class.* cum Octava.
7. De Octava. *Semid.*
8. De Octava. *Semid.*
9. De Octava. *Semid.*
10. De Octava. *Semid.*
11. De Octava. *Semid.* Com. S. Hygini Pap. Mart.
12. De Octava, vel de Dom. infr. Oct. *Semid.*
13. Octava Epiphaniæ. *Dupl.*
14. Hilarii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl. maj.* Com. S. Felicis Presb. Mart.
15. Pauli primi Eremit. Conf. *Dupl.* Com. S. Mauri Abb.
16. Marcelli Pap. Mart. *Semid.*
17. Antonii Abb. *Dupl.*
18. Cathedra S. Petri Apost. Romæ. *Dupl. maj.* (in Ecc. Cathedr. *Dupl. ij. classis.*) Com. S. Pauli Apost. et S. Priscæ Virg. Mart.
19. Canuti Regis Martyris, *Semid.* ad libitum. Commem. SS. Marii et Soc. MM.
20. Fabiani Pap. et Sebastiani MM. *Dupl.*
21. Agnetis Virg. Mart. *Dupl.*
22. Vincentii et Anastasii MM. *Semid.*
23. Desponsatio B. M. V. *Dupl. maj.* Com. S. Joseph et S. Emerentianæ Virg. Mart.
24. Timothei Episc. Mart. *Dupl.*
25. Conversio S. Pauli Apost. *Dupl. maj.* Com. S. Petri Apost.
26. Polycarpi Episc. Mart. *Dupl.*
27. Joannis Chrysost. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
28. Agnetis secundo. *Simpl.*
29. Francisci Salesii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
30. Bathildis Regin. Vid. *Dupl.*
31. Petri Nolasci Conf. *Dupl.*

Festa mobilia.

Domin. II. post Epiph. SS. NOMINIS JESU. *Duplex ij. classis.* Commem. Domin.

Feria III. post Dom. Septuag. Orationis D. N. J. C. in Monte Olivarum. *Dupl. maj.*

Feria III. post. Domin. Sexag. Commem. Passionis D. N. J. C. *Duplex majus.*

Calendarium perpetuum.

Februarius.

1. Ignatii Episc. Mart. *Dupl.*
2. PURIFICATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.*
3. Blasii Episc. Mart. *Simpl.*
4. Joannæ Valesiæ Vid. *Dupl.*
5. Agathæ Virg. Mart. *Dupl.*
6. Andreæ Corsini Episc. Conf. (d. a. ex 4. huj.) *Dupl.* Com. S. Dorotheæ Virg. Mart.
7. Romualdi Abb. *Dupl.*
8. Joannis de Matha Conf. *Dupl.*
9. Cyrilli Alexandr. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Apolloniæ Virg. Mart.
10. Scholasticæ Virg. *Dupl.*
11. Raymundi de Pennafort Conf. (d. a. ex 23. Jan.) *Semid.*
12. Titi Episc. Conf. *Dupl.*
13. Cæsarii Archidiaconi Engolismen. Conf. *Dupl.*
14. Genovefæ Virg. *Dupl.* Com. S. Valentini Presb. Mart.
15. Martinæ Virg. (d. a. ex 30. Jan.) *Semid.* Com. SS. Faustini et Soc. MM.
16.
17.
18. Simeonis Episc. Mart. *Simpl.*
19.
20.
21.
22. Cathedra S. Petri Apost. Antiochiæ. *Dupl. maj.* (in Ecc. Cathedr. *Dupl. ij. class.*) Com. S. Pauli Apost.
23. Petri Damiani Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Vigil.
24. MATHIÆ APOST. *Dupl. ij. class.*
25.
26.
27.
28.

In anno Bissextili Februarius habet dies 29, et tunc de S. Mathia fit die 25.

Festa mobilia.

Feria VI. post Cineres, Sacr. Spineæ Coronæ D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. I. Quadrag. Lanceæ et Clavor. D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag. Sacratiss. Sindonis D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.



Martius.

1. Amantii Buxiensis Conf. *Dupl.*
2. Albini Episc. Conf. *Semid.*
3.
4. Casimiri Conf. *Semid.* Com. S. Lucii Pap. Mart.
5.
6.

7. Thomæ de Aquino Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. SS. Perpetuæ et Soc. MM.
8. Joannis de Deo Conf. *Dupl.*
9. Franciscæ Romanæ Vid. *Dupl.*
10. Quadraginta Martyrum. *Semid.*
11.
12. Gregorii I. Pap. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
13.
14.
15.
16.
17. Patritii Episc. Conf. *Dupl.*
18. Gabrielis Archang. *Dupl. maj.*
19. JOSEPHI CONF. B. M. V. SPONSI. *Dupl. j. class.*
20. Cyrilli Hierosolymit. Episc. Conf. et Ecc. Doct. (d. a. ex 18. huj.) *Dupl.*
21. Benedicti Abb. *Dupl. maj.*
22.
23.
24.
25. ANNUNTIATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.*
26.
27.
28.
29.
30. Translatio S. Ausonii primi Engolism. Episc. Mart. *Dupl. maj.*

Festa mobilia.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Sacror. Quinque Vulnerum D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Pretiosiss. Sanguinis D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. Passionis, Septem Dolorum B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Fer.



Aprilis.

1.
2. Francisci de Paula Conf. *Dupl.*
3.
4. Isidori Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
5. Vincentii Ferrerii Conf. *Dupl.*
6. Julianæ Cornelionen. Virg. *Dupl.*
7.
8.
9.
10.
11. Leonis I. Pap. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
12.
13. Hermenegildi Mart. *Semid.*
14. Justini Philosophi Mart. *Dupl.* Com. SS. Tiburtii et Soc. MM.
15.
16.

17. Aniceti Pap. Mart. *Simpl.*
18.
19.
20. Giraldi de Salis Conf. *Dupl.*
21. Anselmi Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
22. Soteris et Caii Pap. MM. *Semid.*
23. Georgii Mart. *Semid.*
24. Fidelis a Sigmaringa Mart. *Dupl.*
25. MARCI EVANG. *Dupl. ij. class.*
26. Cleti et Marcellini Pap. MM. *Semid.*
27.
28. Pauli a Cruce Conf. *Dupl.* Com. S. Vitalis Mart.
29. Petri Mart. *Dupl.*
30. Eutropii primi Santonen. Episc. Mart. *Dupl. maj.*

Festum mobile.

Dom. III. post Pascha, PATROCINII S. JOSEPHI B. M. V. SPONSI CONF. *Dupl. ij. class.* Com. Dom.



Maius.

1. PHILIPPI ET JACOBI APP. *Dupl. ij. class.*
5. Athanasii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
3. INVENTIO S. CRUCIS. *Dupl. ij. class.* Com. SS. Alexandri et Soc. MM. ac Juvenalis Episc. Conf.
4. Monicæ Vid. *Dupl.*
5. Pii V. Pap. Conf. *Dupl.*
6. Joannis Apost. ante Portam Latinam. *Dupl. maj.*
7. Stanislai Episc. Mart. *Dupl.*
8. Apparitio S. Michaëlis Archang. *Dupl. maj.*
9. Gregorii Nazianz. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
10. Antonini Episc. Conf. *Dupl.* Com. SS. Gordiani et Soc. MM.
11. Gualteri Abb. Stirp. Conf. *Dupl.*
12. Nerei, Achillei, Domitillæ Virg. atque Pancratii MM. *Semid.*
13. Catharinæ Senens. Virg. (d. a. ex 30. April.) *Dupl.*
14. Bonifacii Mart. *Simpl.*
15. Isidori Agricolæ Conf. *Dupl.*
16. Germerii Episc. Tolos. Conf. *Dupl.*
17. Paschalis Baylon Conf. *Dupl.*
18. Venantii Mart. *Dupl.*
19. Petri Cœlestini Pap. Conf. *Dupl.* Com. S. Pudentianæ Virg.
20. Bernardini Senens. Conf. *Semid.*
21. Joannis Nepomuceni Mart. (d. a. ex 16 huj.) *Dupl.*
22. AUSONII PRIMI ENGOLISMEN. EPISC. MART. PRÆCIPUI DIŒC. PATR. *Dupl. j. class.*
23. Ubaldi Episc. Conf. (d. a. ex 16 huj.) *Semid.* Com. Oct.
24. B. M. V. tit. Auxil. Christianor. *Dupl. maj.* Com. Oct.
25. Gregorii VII. Pap. Conf. *Dupl.* Com. Oct. et S. Urbani Pap. Mart.
26. Philippi Nerii Conf. *Dupl.* Com. Oct. et S. Eleutherii Pap. Mart.
27. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *Semid.* Com. Oct. et S. Joannis Pap. Mart.

28. Germani Parisien. Episc. Conf. *Semid.* Com. Oct.
29. Octava S. Ausonii Episc. Mart. *Dupl.*
30. Augustini Episc. Cantuar. Conf. (d. a. ex 28. huj.) *Dupl.* Com. S. Felicis Pap. Mart.
31. Angelae Mericiae Virg. *Dupl.* Com. S. Petronillae Virg.

Festum mobile.

Feria VI. post Octavam Corporis Christi, Sacratiss. Cordis Jesu. *Dupl. maj.*



Junius.

1.
2. Pothini, Blandinæ Virg. et Soc. MM. *Dupl.* Com. SS. Marcellini et Soc. MM.
3. Clotildis Regin. Vid. *Dupl.*
4. Francisci Caracciolo Conf. *Dupl.*
5. Bonifacii Episc. Mart. *Dupl.*
6. Norberti Episc. Conf. *Dupl.*
7. Bertrandi Patriarch. Aquilejen. Conf. *Dupl.*
8.
9. Primi et Feliciani MM. *Simpl.*
10. Margaritæ Scotor. Regin. Vid. *Semid.*
11. Barnabæ Apost. *Dupl. maj.*
12. Joannis a S. Facundo Conf. *Dupl.* Com. SS. Basilidis et Soc. MM.
13. Antonii de Padua Conf. *Dupl.*
14. Basilii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
15. Germanæ Cousin Virg. *Dupl.* Com. SS. Viti et Soc. MM.
16. Joannis Francisci Regis Conf. *Dupl.*
17.
18. Marci et Marcelliani MM. *Simpl.*
19. Julianæ de Falconeriis Virg. *Dupl.* Com. SS. Gervasii et Soc. MM.
20. Silverii Pap. Mart. *Simpl.*
21. Aloysii Gonzagæ Conf. *Dupl.*
22. Paulini Episc. Conf. *Simpl.*
23. Vigilia.
24. NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ. *Dupl. j. class.* cum Octava.
25. Gulielmi Abb. *Dupl.* Com. Oct.
26. Salvii Episc. Engolism. et Superii MM. *Dupl.* Com. Oct.
27. Joannis et Pauli MM. (d. a. ex heri) *Dupl.* Com. Oct.
28. Leonis Papæ Conf. *Semid.* Com. Oct. et Vigil.
29. PETRI ET PAULI APP. *Dupl. j. class.* cum Octava. Com. Omn. SS. App.
30. Com. S. Pauli Apost. *Dupl. maj.* Com. S. Petri Apost. et Oct. S. Joan. Bapt.

Festum mobile.

Dom. III. post Pentecosten, Purissimi Cordis B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.

Julius.

1. EPARCHII ABB. CIVIT. ENGOLISM. COMPATR. *Dupl. j. class.* cum Octava. Com. Oct. S. Joan. Bapt.
2. VISITATIO B. M. V. *Dupl. ij. class.* Com. SS. Processi et Soc. MM.
3. MARTIALIS EPISC. CONF. AQUIT. APOST. *Dupl. ij. class.*
4. Irenæi Episc. Mart. *Dupl.* Com. Octavar.
5. Cyrilli et Methodii Episc. Conf. *Dupl.* Com. Octavar.
6. Octava SS. Petri et Pauli App. *Dupl.* Com. Oct. S. Eparchii Abb.
7. De Octava. *Semid.*
8. Octava S. Eparchii Abb. *Dupl.*
9. Elisabeth Regin. Portugal. Vid. (d. a. ex heri) *Semid.*
10. Septem Fratrum, ac Rufinæ et Secundæ Vg. MM. *Semid.*
11. Pii I. Pap. Mart. *Simpl.*
12. Joannis Gualberti Abb. *Dupl.* Com. SS. Naboris et Soc. MM.
13. Anacleti Pap. Mart. *Semid.*
14. Bonaventuræ Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.*
15. Henrici Imperat. Conf. *Semid.*
16. B. M. V. de Monte Carmelo. *Dupl. maj.*
17. Alexii Conf. *Semid.*
18. Camilli de Lellis Conf. *Dupl.* Com. SS. Symphorosæ et Filior. MM.
19. Vincentii a Paulo Conf. *Dupl.*
20. Hieronymi Æmiliani Conf. *Dupl.* Com. S. Margaritæ Virg. Mart.
21. Praxedis Virg. *Simpl.*
22. Mariæ Magdalenæ Pœnit. *Dupl. maj.*
23. Apollinaris Episc. Mart. *Dupl.* Com. S. Liborii Episc. Conf.
24. Vigilia. Com. S. Christinæ Virg. Mart.
25. JACOBI APOST. *Dupl. ij. class.* Com. S. Christophori Mart.
26. ANNÆ MATRIS B. M. V. *Dupl. ij. class.*
27. Pantaleonis Mart. *Simpl.*
28. Nazarii, Celsi et Victoris Papæ MM. ac Innocentii Papæ Conf. *Semid.*
29. Marthæ Virg. *Dupl. maj.* Com. SS. Felicis et Soc. MM.
30. Abdon et Sennen. MM. *Simpl.*
31. Ignatii de Loyola Conf. *Dupl.*

Festum mobile.

Dom. I. Julii, PRETIOSISS. SANGUINIS D. N. J. C. *Dupl. ij. class.* Com. Dom.



Augustus.

1. Petri ad Vincula. *Dupl. maj.* (in Eccl. Cathedr. *Dupl. ij. class.*) Com. S. Pauli Apost. et SS. Machabæor. MM.
2. Alphonsi Mariæ de Ligorio Episc. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Stephani Pap. Mart.
3. Inventio S. Stephani Protom. *Semid.*
4. Dominici Conf. *Dupl. maj.*
5. Dedicatio S. Mariæ ad Nives. *Dupl. maj.*

6. Transfiguratio D. N. J. C. *Dupl. maj.* Com. SS. Xysti et Soc. MM.
7. Cajetani Conf. *Dupl.* Com. S. Donati Episc. Mart.
8. Cyriaci, Largi et Smaragdi MM. *Semid.*
9. Vigilia. Com. S. Romani Mart.
10. LAURENTII LEVIT. MART. *Dupl. ij. class.* cum Octava.
11. De Octava. *Semid.* Com. SS. Tiburtii et Susannæ MM.
12. Claræ Virg. *Dupl.* Com. Oct.
13. Calfagiæ Virg. *Dupl.* Com. Octav. et SS. Hippolyti et Soc. MM.
14. Radegundis Francor. Regin. Vid. *Dupl.* Com. Oct. Vigil. et S. Eusebii Conf.
15. ASSUMPTIO B. M. V. *Dupl. j. class.* cum Octava.
16. Rochi Conf. *Dupl.* Com. Octavar.
17. Octava S. Laurentii Levit. Mart. *Dupl.* Com. Oct. Assumpt.
18. Hyacinthi Conf. (d. a. ex 16. hujus) *Dupl.* Com. Oct. et S. Agapiti Mart.
19. De Octava. *Semid.*
20. Bernardi Abb. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Oct.
21. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid. *Dupl.* Com. Oct.
22. Octava Assumpt. B. M. V. *Dupl.* Com. SS. Timothei et Soc. MM.
23. Philippi Benitii Conf. *Dupl.* Com. Vigil.
24. BARTHOLOMÆI APOST. *Dupl. ij. class.*
25. Ludovici Reg. Franc. Conf. *Dupl.*
26. Zephyrini Pap. Mart. *Simpl.*
27. Josephi Calasanctii Conf. *Dupl.*
28. Augustini Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Hermetis Mart.
29. Decollatio S. Joannis Bapt. *Dupl. maj.* Com. S. Sabinæ Mart.
30. Rosæ Liman. Virg. *Dupl.* Com. SS. Felicis et Soc. MM.
31. Raymundi Nonnati Conf. *Dupl.*

Festum mobile.

Dom. infra Oct. Assumpt. S. JOACHIM CONF. PATRIS B. M. V. *Dupl. ij. class.* Com. Dom.



September.

1. Viviani Episc. Santonen. Conf. *Dupl.* Com. S. Ægidii Abb. et SS. XII. Fratrum MM.
2. Stephani Regis Conf. *Semid.*
3.
4.
5. Laurentii Justiniani Episc. Conf. *Semid.*
6.
7.
8. NATIVITAS B. M. V. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. S. Adriani Mart.
9. De Octava. *Semid.* Com. S. Gorgonii Mart.
10. Nicolai de Tolentino Conf. *Dupl.* Com. Oct.
11. De Octava. *Semid.* Com. SS. Proti et Hyacinthi MM.

12. De Octava. *Semid.*
13. De Octava. *Semid.*
14. Exaltatio S. Crucis. *Dupl. maj.* Com. Oct.
15. Octava Nativ. B. M. V. *Dupl.* Com. S. Nicomedis Mart.
16. Cornelii Pap. et Cypriani Episc. MM. *Semid.* Com. SS. Euphemiæ et Soc. MM.
17. Impressio Stigmatum S. Francisci Conf. *Dupl.*
18. Josephi a Cupertino Conf. *Dupl.*
19. Januarii Episc. et Soc. MM. *Dupl.*
20. Eustachii et Soc. MM. *Dupl.* Com. Vigil.
21. MATTHÆI APOST. ET EVANG. *Dupl. ij. class.*
22. Thomæ a Villanova Episc. Conf. *Dupl.* Com. SS. Mauritii et Soc. MM.
23. Lini Papæ Mart. *Semid.* Com. S. Theclæ Virg. Mart.
24. B. M. V. de Mercede. *Dupl. maj.*
25.
26. Cypriani et Justinæ MM. *Simp.*
27. Cosmæ et Damiani MM. *Semid.*
28. Wenceslai Ducis Mart. *Semid.*
29. DEDICATIO S. MICHAELIS ARCHANG. *Dupl. ij. class.*
30. Hieronymi Presb. et Ecc. Doct. *Dupl.*

Festa mobilia.

Dom. infra Oct. Nativ. B. M. V. SS. Nominis ejusd. B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.

Dom. III. Sept. Septem Dolorum B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.



October.

1. Remigii Episc. Conf. *Dupl.*
2. Angelorum Custodum. *Dupl. maj.*
3.
4. Francisci Assis. Conf. *Dupl. maj.*
5. Placidi et Soc. MM. *Simp.*
6. Brunonis Conf. *Dupl.*
7. Palladii Episc. Santon. Conf. *Dupl.* Comm. SS. Marci Pap. Conf. et Sergii et Soc. MM.
8. Birgittæ Vid. *Dupl.*
9. Dionysii et Soc. MM. *Semid.*
10. Francisci Borgiæ Conf. *Semid.*
11. Gratulphi Conf. *Dupl.*
12.
13. Eduardi Reg. Conf. *Semid.*
14. Callisti Pap. Mart. *Dupl.*
15. Teresiæ Virg. *Dupl.*
16.
17. Hedwigis Vid. *Semid.*
18. LUCÆ EVANG. *Dupl. ij. classis.*
19. Petri de Alcantara Conf. *Dupl.*
20. Joannis Cantii Conf. *Dupl.*
21. Asterii Conf. *Dupl.* Com. S. Hilarionis Abb.
22. Ursulæ Virg. et Soc MM. (d. a. ex heri) *Dupl.*

23. SS. Redemptoris. *Dupl. maj.*
24. Raphaëlis Archang. *Dupl. maj.*
25. Frontonis Episc. Petrocor. Conf. *Dupl. maj.* Com. SS. Chrysanthi et Dariæ MM.
26. Aptonii Episc. Engolism. Conf. *Dupl.* Com. S. Evaristi Pap. Mart.
27. B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. *Dupl.* Com. Vigil.
28. SIMONIS ET JUDÆ APP. *Dupl. ij. class.*
29. Solinæ Virg. Mart. *Semid.*
30.
31. Vigilia.

Festa mobilia.

Dom. I. Octobris, Sacratiss. Rosarii B. M. V. *Dupl. maj.* Com. Dom.

Dom. ultima Oct. Com. SS. quorum Corpora, vel Reliquiæ in Ecclesiis Diœc. Engolismen. asservantur. *Dupl.* Com. Dom.



November.

1. OMNIUM SANCTORUM. *Dupl. j. class.* cum Octava.
2. De Octava. *Semid.* Com. Omn. Fidel. Defunctor. sub ritu *dupl.*
3. De Octava. *Semid.*
4. Caroli Episc. Conf. *Dupl.* Com. Oct. et SS. Vitalis et Agricolæ MM.
5. Benigni Mart. *Dupl.* Com. Oct.
6. De Octava. *Semid.*
7. De Octava. *Semid.*
8. Octava Omnium Sanctor. *Dupl.* Com. SS. Quatuor Coronator. MM.
9. Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris. *Dupl.* Com. S. Theodori Mart.
10. Andreæ Avellini Conf. *Dupl.* Com. SS. Tryphonis et Soc. MM.
11. Martini Episc. Conf. *Dupl.* Com. S. Mennæ Mart.
12. Martini Pap. Mart. *Semid.*
13. Stanislai Kostka Conf. *Dupl.*
14. Josaphat Episc. Polocen. Mart. *Dupl.*
15. Gertrudis Virg. *Dupl.*
16. Didaci Conf. (d. a. ex 13. huj.) *Semid.*
17. Gregorii Thaumaturgi Episc. Conf. *Semid.*
18. Dedicatio Basilicæ SS. Petri et Pauli App. *Dupl.*
19. Elisabeth Regin. Hungar. Vid. *Dupl.* Com. S. Pontiani Pap. Mart.
20. Felicis de Valois Conf. *Dupl.*
21. Præsentatio B. M. V. *Dupl. maj.*
22. Cæciliæ Virg. Mart. *Dupl.*
23. Clementis Pap. Mart. *Dupl.* Com. S. Felicitatis Mart.
24. Joannis a Cruce Conf. *Dupl.* Com. S. Chrysogoni Mart.
25. Catharinæ Virg. Mart. *Dupl.*
26. Petri Alexandrini Episc. Mart. *Simpl.*
27.
28.

Calendarium perpetuum.

29. Vigilia. Com. S. Saturnini Mart.
30. ANDREÆ APOST. *Dupl. ij. class.*

Festa mobilia.

Dom. post Oct. Omn. Sanctor. DEDICATIO OMN. GALL. ECCLESIARUM. *Dupl. j. class.* cum Octava. Com. Dom.


Dom. subsequenti, Octava Dedicationis Omn. Gall. Ecclesiarum. *Dupl.* Com. Dom.



December.

1. Eligii Episc. Conf. *Dupl.*
2. Bibianæ Virg. Mart. *Semid.*
3. Francisci Xaverii Conf. *Dupl.*
4. Petri Chrysol. Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. S. Barbaræ Virg. Mart.
5. Trojani Episc. Santonen. Conf. *Dupl.* Comm. S. Sabbæ Abb.
6. Nicolai Episc. Conf. *Dupl.*
7. Ambrosii Episc. Conf. et Ecc. Doct. *Dupl.* Com. Vigil. in Missa tantum.
8. IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V. *Dupl. j. class.* cum Octava.
9. De Octava. *Semid.*
10. Translatio Almæ Domus Lauret. *Dupl.* Com. S. Melchiadis Pap. Mart.
11. Damasi Pap. Conf. *Semid.* Com. Oct.
12. De Octava. *Semid.*
13. Luciæ Virg. Mart. *Dupl.*
14. De Octava. *Semid.*
15. Octava Immacul. Concept. B. M. V. *Dupl.*
16. Eusebii Episc. Mart. *Semid.*
17. Lazari Episc. Conf. *Dupl.*
18. Exspectatio Partus B. M. V. *Dupl. maj.*
19.
20. Vigilia.
21. THOMÆ APOST. *Dupl. ij. class.*
22.
23.
24. Vigilia Nativitatis D. N. J. C.
25. NATIVITAS D. N. J. C. *Dupl. j. class.* cum Octava.
26. STEPHANI PROTOM. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. Oct. Nativ. et Omn. SS. MM.
27. JOANNIS APOST. ET EVANG. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. Octavarum.
28. INNOCENTIUM MM. *Dupl. ij. class.* cum Octava. Com. Octavarum.
29. Thomæ Cantuar. Episc. Mart. *Semid.* Com. Octavarum.
30. De Octava, vel de Dom. infra Oct. *Semid.* Com. Octavarum.
31. Silvestri Pap. Conf. *Dupl.* Com. Octavarum.





Proprium Officiorum

IN USUM

Dioecesis Engolismensis.

PARS AUTUMNALIS.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I. SEPTEMBRIS.

S. Viviani

Episc. Santonen. Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. (m. t. v.), *præter seq.*

A Capit. fit de S. Viviano.

Oratio. Da, quæsumus.

Comm. præc., S. Ægidii Abb. (℣. Os justi. *e ij. Noct.*), *et SS. duodecim Fratrum Mart.*

In primo Nocturno.

Lect. de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Iviánus, seu Bibiánus, patre gentíli et christiána matre génitus, adoléscens pietátis litterarúmque rudiménta ab Ambrósio, Santonénsi epíscopo, fuit edóctus; et propter exímias virtútes, circa trigésimum ætátis suæ annum, présbyter ordinátus. Crescénte in dies sanctitátis ejus fama, post mortem Ambrósii, ad regéndam Santonénsem Ecclésiam totíus cleri et pópuli votis, licet invítus et multum relúctans, assúmitur. Quo in múnere ita se gessit, ut gregi suo semper inténtus, ómnia caritátis offícia exercére non desísteret. Cum in Visigothórum invasióne, Sántonum nobilióres Tolósam captívi deduceréntur, se illis cómitem adjúnxit Viviánus, qui vel eórum libertáti restituéndæ consúleret, vel saltem eos in captivitáte solarétur. Ibi coram Theodoríco accersítus, cum intra cœnándum renuísset Vi-

viánus páteram, de more, regi offérre, eo quod hærético esset, Theodorícus, ira commótus, gravíssimis minis sanctum Præsulem increpávit. Deo autem cor regis noctu immutánte, póstera die, Viviánus cum iis quos comitátus fúerat, munéribus locupletátus, dimíssus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

SAntonas revérsus, a Sáxonum latrocíniis urbem précibus liberávit. Tandem sénio et méritis conféctus, prænuntiáto die mortis suæ, quiévit in Dómino, circa médium sæculi quinti, et in basílica quam ipse exstrúxerat fuit sepúltus. Præclarórum illíus gestórum librum exstitísse sexto Ecclésiæ sæculo testátur Gregórius Turonénsis, multósque refert ad illíus túmulum sanitátem recuperásse. In ejus honórem, Eusébius, Santonénsis epíscopus, ejúsque succéssor Emérius, ampliórem basílicam ædificáre cœpérunt, quæ a sancto Leóntio Burdigalénsi perfécta est. Quam ob causam, iste a Fortunáto Pictaviénsi multis láudibus effértur una cum soróre sua Placidína, quæ túmulum sancti Viviáni auro, argénto et gemmis adornándum curáverat.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

MAxima semper fuit in eo invocándo populórum píetas ac fidúcia; et plúrimis in locis, præsértim in território Santonénsi, eréctæ conspiciúntur ecclésiæ sub ejus título. Beáti Viviáni relíquiæ, sæculo nono clam subdúctæ, et in Figiacénse monastérium allátæ, ibídem summa cum veneratióne colebántur; præsértim ab anno millésimo trecentésimo undécimo, quo témpore, jussu Bertrándi, Cadurcénsis epíscopi, e thesáuro ecclésiæ ubi jacébant extráctæ, in conspéctum et cultum populórum solémniter expósitæ fúerant. Sed exeúnte sæculo décimo sexto a Calviniánis expilátæ, cum plúribus áliis relíquiis et majóri parte ecclésiæ, periérunt.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Homil. in Evang. Homo péregre. *de Comm., ij. loco.*

Lect. nona de S. Ægidio, ejusque ac SS. duodecim Fratrum Comm. in Laud.

In ij. Vesperis Commem. S. Stephani Regis Conf.

FESTA OCTOBRIS.

DIE I. OCTOBRIS.

S. Remigii

Episc. Remen. Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. (m. t. v.), *præter seq.*

A Capit. fit de S. Remigio.

Oratio.

Deus, qui per beáti Remígii Pontíficis documénta, Francórum tibi colla subdidísti ferócia : largíre supplícibus tuis; ut qui christiáno gloriámur nómine, fidem nostram dignis opéribus ostendámus. Per Dóminum.

Commem. præc. Aña. O Doctor. ℣. Justum dedúxit.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Remígius in agro Laudunénsi natus est Æmílio cómite et sancta Celínia paréntibus jam ad eam ætátem provéctis qua nulli speraréntur líberi. Ejus ortum prædíxerat solitárius quidam cæcus, Montánus nómine, qui et visum póstea recépit, admóto ad óculos lacte quo infans Remígius alebátur. Annos natus duos et vigínti, ob seníles in adolescéntia mores, ad sedem Remórum præter voluntátem evéctus est; in quem étiam, dum inaugurarétur, rádius cœléstis lúminis, inspectánte univérso pópulo, illábi visus est. Quum autem Clodovéus Alemánnos Tolbíaci, invocáto Christi nómine, debellásset, et instánti Remígio ut fidem profiterétur, respondísset veréri se ut per pópulum sibi licéret; ubi id rescívit pópulus, statim acclamávit : Mortáles deos abígimus, pie rex, et Deum quem Remígius prædicat immortálem sequi paráti sumus.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Cum Remígius Clodovéum, quem fídei documéntis imbúerat, baptizávit ipso die Natális Dómini, his eum verbis allocútus : Mitis, depóne colla, Sicámber : adóra quod incendísti, incénde quod adorásti. Baptizátum delápso cœlitus chrísmate cum signáculo crucis inúnxit. De exércitu autem ejus ter mille et ámplius baptísmo initiáti sunt; simul et Alboflédis, soror Clodovéi : quæ quum paulo post decessísset, Remígius per lítteras regem est consolátus. Lanthíldis quoque, áltera ejus soror, ab Ariána hæresi revocáta, sacro chrísmate reconciliáta est Ecclésiæ. Clodovéum Gothis bellum paréntem utilíssimis regno administrándo consíliis, missa ad ipsum epístola, instrúxit; eidémque sic armis contra Ariános fidem tuénti, certam victóriam prædíxit. Concílio Aurelianénsi primo, cujus auctor exstíterat, intérfuit; et commíssam sibi a Románo Pontífice legatiónem apostólicam religiosíssime exsecútus est. Nec ínterim vacá-

bat a stúdio divínæ Scriptúræ, cujus plures libros est egrégie interpretátus.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Mira erat et suávi eloquéntia, et in pœniténtes cleméntia singulári : Neque enim, inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam, sed ad hóminum curam. Ecclésiis Terruannénsi, Laudunénsi et Atrebaténsi, pietáte ac doctrína exímios e suis discípulis epíscopos præfécit. Ariánam hæresim acérrime insectátus est,et fidem cathólicam tum sermóne tum exémplo mirum in modum amplificávit. Multis miráculis ejus sanctitátem Deus testátam esse vóluit. Puéllam a dæmone liberávit et eámdem mórtuam suscitávit oratióne. Visum cæcis non paucis réddidit, et incéndium, cujus vis totam Remórum urbem absumptúra videbátur, suis précibus exstínxit. Ipse tot egrégiis opéribus clarus ac sénio conféctus óbiit, die décima tértia Januárii, anno Christi quingentésimo quadragésimo quinto. Méminit sanctus Gregórius Turonénsis festivitátis beáti Pontíficis, quæ jam suo témpore Kaléndis Octóbris celebrabátur: qua die in magnificentióri basílica, a Leóne Papa nono dicáta, corpus ejus translátum est.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Homil. in Evang. Homo péregre. *de Comm., primo loco.*

Vesp. de seq., Commem. S. Remigii.

DIE VII. OCTOBRIS.

S. Palladii

Episc. Santonen. Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter sequentia.

A Capit. de S. Palladio.

Oratio. Exáudi.

Commem. S. Brunonis, Aña. Hic vir. ℣. Justum.

Deinde S. Marci Papæ et Conf. Aña. Euge, serve bone et fidélis : quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Oratio.

Exáudi, Dómine, preces nostras : et interveniénte beáto Marco, Confessóre tuo atque Pontífice, indulgéntiam nobis tríbue placátus et pacem. Per Dóminum.

Demum SS. Sergii et Soc. Mart. Aña. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio.

SAnctórum Mártyrum tuórum nos, Dómine, Sérgii, Bacchi, Marcélli, et Apuléii, beáta mérita prosequántur, et tuo semper fáciant amóre ferventes. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PAlládius, nóbilis Arvérnus, ex génere dívitis cujúsdam Palládii cómitis ortus, Dídymo in episcopátu Santonénsi, annuénte pópulo, succéssit, anno círciter quingentésimo septuagésimo tértio. Inter céteras quibus énituit boni pastóris dotes, singulári pietáte et zelo decóris domus Dei commendábilis fuit. Plúrima enim templa vetustáte collabéntia reparávit, nováque constrúxit. Ædificáto sepúlcro sancti Martíni Abbátis, discípuli sancti Martíni Turonénsis epíscopi, relíquias sancti Eutrópii, Mártyris et primi Sántonum epíscopi, in loco minus digno sepúltas, in ecclésia a se nuper in subúrbio civitátis ædificáta collocávit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

ASsídue convénit ad multa concília, quæ, dum Epíscopus esset, in Gálliis hábita sunt; quin et ipsíus tempóribus synodus Santonénsis celebráta est, in qua Nantínus, comes Engolisménsis, ob vária scélera excommunicátus, pacem obtínuit. Multis pressúris subínde exércitus est pius Antístes, sic Deo voléntе; ut qui Sanctos singuláriter venerabátur, eórum quoque vestígia sequerétur. Dúrius étiam hábitus a rege Gunttránno, divérsis calúmniis contra sanctum Epíscopum prævénto; tandem ejus innocéntia compérta, in grátiam regis rédiit, et facultátem reverténdi ad suam urbem episcopálem, ex qua expúlsus fúerat, consecútus est. Ab eo témpore pacífice suam rexit sanctus Præsul Ecclésiam, nec quidquam contra eum inténtum est ab inimícis.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

PErfécta insígni basílica, quam in honórem sanctórum Petri et Pauli condíderat, Leupérculum Ecclésiæ suæ presbyterum Romam ad sanctum Gregórium Magnum misit, ut áliqua Sanctórum pígnora impetráret. Sanctus Póntifex, Palládii votis ánnuens, illi quasdam

sanctórum Petri et Pauli et aliórum Sanctórum relíquias concéssit, atque egrégia ad illum scripta epístola, ejus máxime pietátem laudávit. Eádem sacra pígnora ita distríbuit Palládius, ut unam partem in unoquóque trédecim altárium, quæ in ecclésia eréxerat, repóneret. Sénio tandem conféctus, et méritis plenus, Nonis Octóbris felíciter ad Dóminum migrávit. Olim capsa illíus reliquiárum in públicis supplicatiónibus gestabátur.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Homilia in Evang. Vigiláte. *de Comm., ij. loco. Nona Lect. de S. Marco, ut in Breviario Romano.*

In Laud. pro Com. ejusd. Aña. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Deinde SS. Sergii et Soc. Mart. Aña. Vestri capílli. ℣. Exsultábunt.

Vesp. a Cap. de seq., Comm. præced.

DIE XI. OCTOBRIS.

B. Gratulphi

Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Confessoris non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Gratúlphum, Confessórem tuum, immatúra morte præréptum, ad vitam revocáre dignátus es: præsta, quæsumus; ut a letífero peccáti morbo per ejus mérita præserváti, mortem effugiámus sempitérnam. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Francisci Borgiæ Conf. Aña. Hic vir. ℣. Justum dedúxit.

In primo Nocturno.

Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Gratúlphus a villa Anglesis, Engolisménsis pagi, créditur oriúndus. In antíquis enim monuméntis invénimus eum, quum adhuc puer ánimam efflásset, a beáto Epárchio, qui id témporis, Sedacíaco monastério relícto, per prædíctam villam iter habéret, supplicántibus mónachis, resuscitátum fuísse. Dehinc vero dícitur tanto benefício simul et admiránda Epárchii sanctitáte illéctus, ejus adhæsísse vestígiis, ipsíque se discípulum subdens, vitam duxísse solitáriam. Verisímile est quoque Gratúlphum órdine presbyteráli a sancto Aptónio fuísse insignítum. Sacrum beáti Gratúlphi corpus in basílica sancti Epárchii servátum est, et veneratióni christiá-

næ plebis exhíbitum, donec, illa basílica ab hæréticis Calviniánis fúnditus evérsa, in flammis périit absúmptum. Exstat in hac diœcési non longe a Mánlia locus sancti Gratúlphi nómine decorátus, ibíque ecclésia olim parochiális ipsi beáto usque a sæculo undécimo dedicáta.

℟. Honéstum.

Lectio v. et vj. de Comm., j. loco. Beáti Gratúlphi dies ... *etc.*

In tertio Nocturno.

Homilia in Evang. Sint lumbi vestri. *de Comm. j. loco.*

DIE XXI. OCTOBRIS.

S. Asterii

Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. (m. t. v.), *præter seq. A Cap. fit de S. Asterio.*

Oratio.

Deus, cujus múnere beátus Conféssor Astérius, ut evangélicæ perfectiónis viam ingrederétur, mundána quæque relíquit: da nobis fámulis tuis; ut ejus exémplo terréna respuéntes consequámur ætérna. Per Dóminum.

Comm. S. Joannis Cantii Conf. Aña. Hic vir. ℣. Justum. *et S. Hilarionis Abbatis, Aña.* Euge, serve bone et fidélis : quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : intra in gáudium Dómini tui.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio.

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet : ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Astérius, in território Petrocorénsi nobílibus, sed infidélibus paréntibus natus, lítteris excoléndus cuídam presbytero tráditus est, a quo christiánæ religiónis rudiménta edóctus, ad sanctum Epárchium, sanctitáte et miraculórum fama conspícuum, Engolísmam se cóntulit. Sacro fonte post paucos dies renátus, cœléstis beáti Epárchii et discipulórum ejus vivéndi formæ amóre simul et admiratióne exardéscens, sanctum Abbátem urgére non déstitit, donec voti compos ab eo mónachi veste decorarétur.

℟. Honéstum.

Lectio v.

In hoc árduo vitæ génere intra quinquénnium ádeo profécit, ut sodálibus et magístro ad perfectiónis ápicem visus sit pervenísse. De pa-

réntum salúte sóllícitus, natále solum repétiit, et ubi accépit ambos in avíta superstitióne exspirásse, in duórum fratrum natu minórum procuránda conversióne útilem navávit óperam. Tum in solitúdinem se recípiens cœléstium rerum contemplatióni se dedit, jejúniis ac mánuum labóri ínterim vacans.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Miráculis clarus ac plenus méritis octogenárius óbiit, et in ea sancti Petri ecclésia sepúltus est, quam múlier quædam nóbilis ob sanitátem ejus précibus recuperátam exstrúxerat. Post felícem Astérii éxitum, sanctitátis ejus fama crescénte, miraculísque ad ipsíus nóminis invocatiónem coruscántibus, sacrum corpus, e túmulo ubi pósitum fúerat elevátum, benefíciis tam singuláribus íncolas et ádvenas affécit, ut ecclésiæ et óppido sancti Astérii nomen índitum fúerit.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Ecce nos relíquimus. *de Comm. Abb., j. loco. Lectio ix. de S. Hilarione (e duab. una), ut in Breviario Romano.*

Pro Comm. S. Hilarionis in Laud., Aña. Similábo. ℣. Amávit.

Vesp. a Cap. de seq.

DIE XXII. OCTOBRIS.

SS. Ursulæ
Virginis
et Sociarum
Martyrum.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg., præter sequentia.

In utrisque Vesp. ad Magnif. et in Laud. ad Bened., Aña. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades : ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Pro Comm. S. Asterii, Aña. Hic vir. ℣. Justum.

In primo Nocturno.

Lect. de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Dum sæculo quinto fere médio Attila, Hunnórum dux, a prima sua in Gállias irruptióne, ubi ad Cataláunum profligátus fúerat, in Pannóniam revertebátur, ántequam Rhe-

num trajíceret, nobilíssimam urbem Colóniam Agrippínam aggréditur, et ob ódium cathólicæ religiónis, quæ ibi máxime florébat, eam rapína ac cædibus vastábat. Sævíssimo autem ímpetu bárbari, libídine æstuántes, in vírgines puéllas irruébant, quæ, a Británnia emigrántes, ibídem commorabántur. Inter quas præclaríssima éxstitit virgo, Ursula nómine, quæ céteras hortabátur sócias ómnia pótius subíre torménta, mortémque crudelíssimam obíre, quam virginális pudicítiæ detriméntum pati.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Cum nóbile hoc virgíneum agmen constantíssime Hunnis restitísset, partim ab ipsis gládio trucidátæ, partim sagíttis transfíxæ, partim véctibus contúsæ, martyrium consummárunt. Ursula vero, super cómitum suárum velut cœléstium margaritárum acérvum gloriósa víctima procúmbens, púrpura pro fide et castitáte fusi sánguinis decoráta, exércitum géminis virginitátis et fídei corónis insígnem in cœlum triúmphans introdúxit. Postquam vero sæva barbarórum procélla deflúxit, Coloniénses supérstites Vírginum aliorúmque cívium Mártyrum córpora ut pretiósa pígnora collegérunt et summo honóre condidérunt.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

In agro virgíneo sánguine rubro, in quo sacra quies Martyribus data fuit, basílica ædificáta est, jam médio sæculo séptimo sanctárum Vírginum dicta, ob quarum reveréntiam nullum exínde cadáver humánum illic tumulabátur. Quæ, sæculo nono monastérium facta, inítio décimi moniáles ob metum Hungarórum prófugas recépit, semper ab ínclytæ civitátis Præsúlibus liberáliter dotáta et pie visitáta. Conspiciúntur usque in hunc diem ecclésiæ sæpe restaurátæ muri, Mártyrum lóculis undíque exornáti, dum major reliquiárum pars intra chori paríetes et sub paviménto látitant : cernúntur in próximo oratório innúmera Vírginum cápita martyrii vestígiis passim insignita, partim crínibus sanguinoléntis tecta. Hæc sacra pígnora prætéritis tempóribus piis peregrinatiónibus fidéles prosecúti sunt.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxv.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum

cœlórum decem virgínibus, quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. xciij. *al.* xxiij. *de Verb. Dom.*

SApiéntium lámpades ardébant de óleo intérno, de consciéntiæ securitáte, de interióri glória, de íntima caritáte. Ardébant tamen et illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? Quia non déerant laudes hóminum. Póstea vero quum surrexérunt, id est in resurrectióne a mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades suas, id est præparáre Deo óperum suórum réddere ratiónem.

℟. Hæc est virgo.

Lectio viij.

ET quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat, nemo est tunc qui non de se cógitet, non ergo erant qui óleum vénderent, cœpérunt defícere lámpades et convertérunt se fátuæ ad quinque prudéntes. Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur. Hoc quærébant quod consuéverant, id est aliéno óleo lucére, ad aliénas laudes ambuláre.

℟. Média nocte.

Lectio ix.

CLausum est ergo óstium. Et quid illis dictum est: Non novi vos? Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est: Non novi vos? Improbo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnósco, ars mea nescit vítia. Hoc est autem magnum; et nescit vítia, et júdicat vítia: nescit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Quam multi estis, fratres mei, in nómine Christi, sint in vobis quinque prudéntes, sed nolíte quinque hómines. Sint in vobis quinque prudéntes, ad istam prudéntiam quinárii númeri pertinéntes. Véniet enim hora, et quando nescímus véniet. Média nocte véniet. Vigiláte. Sic clausit Evangélium: Vigiláte, quia nescítis diem, neque horam.

Te Deum laudámus.

Si legenda est nona Lect. de aliqua Hom. vel de Sancto, tunc suprascriptæ Lectiones dividantur ita: Lectio vij. Sapiéntium. *usque ad:* aliénas laudes ambuláre. *Lectio viij.* Clausum est... *usque ad finem.*

Vesp. de sequenti.

DIE XXIII. OCTOBRIS.

SS. Redemptoris.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

In j. Vesp., pro Comm. S. Ursulæ et Soc. Mart. Aña. Prudéntes. ℣. Adducéntur.

In ij. Vesp., Commem. S. Raphaelis Archang.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

S. Raphaelis

Archangeli.

Duplex majus.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

In ij. Vesp., Comm. seq.

DIE XXV. OCTOBRIS.

S. Frontonis

Episcopi Petrocoren. Conf.

Duplex majus.

Omnia ut in Comm. Conf. Pont., præter sequentia.

Aña. Sacérdos et Póntifex. ℣. Amávit eum.

Oratio.

Quæsumus, Dómine Deus noster : ut in præsénti festivitáte, beatíssimi Confessóris tui atque Pontíficis Frontónis nos tibi comméndet orátio veneránda; per quam peccatórum nobis véniat remíssio et tuæ propitiatiónis optáta miserátio. Per Dóminum.

Pro Comm. SS. Chrysanthi et Dariæ Mart. Aña. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio.

Beatórum Mártyrum tuórum, Dómine, Chrysánthi et Dáriæ, quæsumus, adsit nobis orátio : ut quos venerámur obséquio, eórum pium júgiter experiámur auxílium. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Lectiones Laudémus viros gloriósos. *de Comm., j. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Beátus Fronto, a viris apostólicis ordinátus Epíscopus, ex illis fuit quos a sede Petri in Gálliam missos ad prædicándum Evangélium, váriis in provínciis illud annuntiásse fert illárum tradítio. Is cum beáto Geórgio divérsas regiónes prædicándo peragrávit, multósque paganórum superstitióni erípuit. Geórgio ad Velaunórum partes transeúnte, ipse Petrocorénsem gentem ab idolórum cultu ad veri Núminis cognitiónem revocándam suscépit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Petrocórium ingréssus, ibi christiánam fidem summo labóre et incredíbili constántia prædicávit, magnámque cívium multitúdinem ad

Christum convértit. Tandem post multos exantlátos labóres, multáque ad confirmándam religiónem quam prædicábat patráta mirácula, sanctus Pastor in pace quiévit. Ejus corpus sepúltum est prope urbem, in eo qui póstea dictus est Pódium sancti Frontónis loco, qui et ipse in civitátem crevit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Ibi Frotérius epíscopus sæculo décimo monastérium ædificáre cœpit, quod témpore Guliélmi de Alba Rupe repentíno incéndio conflagrávit, ipsa tamen nunc supérstite insígni basílica, quæ sub Geráldo de Gordónio ab archiepíscopo Bituricénsi, anno supra millésimum quadragésimo séptimo, duodécimo Kaléndas Aprílis, fúerat consecráta. Exstat in diœcési nostra locus sancti Frontónis nómine decorátus, ibíque ecclésia parochiális ipsi dedicáta.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* xvj.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

(*Hom.* xxix. *in Evang.*)

Signa autem eos qui creditúri sunt, hæc sequéntur : in nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit; super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquid, fratres mei, quia illa signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim fides crésceret, miráculis fúerat nutriénda. Quia et nos, cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus quoúsque ea in terra jam coaluísse videámus, et si simul radícem fíxerint, in rigándo cessámus. Hinc est quod Paulus dixit : Linguæ in signum sunt, non fidélibus, sed infidélibus.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

Habémus de his signis atque virtútibus quæ atténte considerémus. Sancta quippe Ecclésia quotídie spirituáliter facit quod tunc per Apóstolos corporáliter faciébat. Nam sacerdótes ejus, cum per exorcísmi grátiam manum credéntibus impónunt, et habitáre malígnos spíritus in eórum mente contradícunt, quid áliud

fáciunt nisi dæmónia ejíciunt? ¶ Et fidéles quique, qui jam vitæ véteris sæculária verba derelínquunt, sancta autem mystéria ínsonant, Conditóris sui laudes et poténtiam quantum prævalent narrant, quid áliud fáciunt nisi novis linguis loquúntur? Qui dum bonis suis exhortatiónibus malítiam de aliénis córdibus áuferunt, serpéntes tollunt, sed tamen ad operatiónem pravam mínime pertrahúntur; mortíferum quidem est quod bibunt, sed non iis nocébit.

℟. Sint lumbi.

Nona Lectio (e duabus una) de SS. Chrysantho et Daria, ut in Breviario Romano, eorumque Comm. in Laud., Aña. Vestri capílli. ℣. Exsultábunt.

In Vesp. Comm. seq. et S. Evaristi Papæ et Mart. ut seq.

DIE XXVI. OCTOBRIS.

S. Aptonii

Episc. Engolismen. Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter sequentia.

Si primæ Vesp. fuerint integræ, Añæ de Laud.

Ad Magnif. Aña. Depósitus est gloriósus Dei Póntifex Aptónius ad déxteram beáti Mártyris Ausónii, ut quorum unus fúerat amor gregis sibi commíssi, eórum una quoque fíeret sepultúra, allelúia.

℣. Amávit eum.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui hunc diem beáti Aptónii, Confessóris tui, solemnitáte consecrásti : præsta, quæsumus; ut ejus oratióne muníti, et divínæ lucis décore perfúsi, in tuum amórem júgiter accendámur. Per Dóminum.

Pro Comm. S. Evaristi, Papæ Mart. Aña. Iste sanctus. ℣. Glória. *Orat.* Infirmitátem.

In primo Nocturno.

Lect. Fidélis sermo. *de Comm., primo loco.*

℟. *j.* Piis fídei opéribus insisténdo, diléctus Deo Aptónius humilitáte ac poténtia diáboli superávit invídiam : * Domum oratiónis ingréssus, flexis humi génibus, diu perstábat in précibus. ℣. Deus ætérne, tu nosti, nomen tuum semper glorificáre vólui.— Domum oratiónis.

℟. *ij.* Beátus Aptónius, longo fessus sénio, piam ánimam in pace Deo réddidit, * Quæ ángelis comitántibus in regiónem vivéntium lætánter evolávit. ℣. Corpus ejus ad déxteram Mártyris Ausónii sepúltum est, ánima vero carnális cárceris víncula disrúpit. — Quæ ángelis.

℟. *iij.* Sancte Dei Præsul, Aptóni gloriose, tuum pópulum prótege et ab hóstibus defénde : * Crédimus enim tuis précibus nos semper esse salvándos. ℣. Orámus te, dux et pater, Aptóni, ut sis apud Deum pro nobis perpétuus intercéssor.—Crédimus enim. Glória Patri. Crédimus.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



APtónius Lupicíno Epíscopo in sedem Engolisménsem succéssit, anno supra quingentésimum quadragésimo primo. Vix autem illam suscéperat regéndam Ecclésiam, quum beátus Epárchius, famæ in dies percrebrescéntis pertæsus, Sedacíaco relícto monastério, per pagum Engolisménsem iter instítuit, ínviam scílicet homínibus solitúdinem quærens, in qua libérius Deo servíre et cœléstibus vacáre posset meditatiónibus. Qui quum Engolísmam advenísset, ágnitus est a cívibus quibúsdam, et addúctus ad Aptónium Antístitem.

℟. Invéni David.

Lectio v.



EPárchium summo gáudio excépit Aptónius, et postquam intelléxit ejus peregrinatiónis causam, eum lóngius prógredi non permísit; illi vero, quo libéntius Engolísmæ remanéret, locum omníno desértum, et in látere declívi montis, cui cívitas ínsidet, ad plagam septentrionálem situm osténdit, sedémque propósuit. Qui quum servo Dei placuísset valde, eum ibi, multis précibus ad Deum fusis et sacris rítibus adhíbitis, reclúsit Aptónius; neque hoc unum ei cóntulit benefícium, sed étiam illum ad presbyterálem dignitátem evéxit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.



SUbscrípsit Aptónius, fere mediánte sexto sæculo, actis concílii Aureliánum per Childebértum regem coácti, in quo Patres, probáta Marci ejúsdem urbis epíscopi, quem falsis crimínibus iníqui viri accusáverant, innocéntia, vários Eutychis et Nestórii condemnavérunt erróres. Tempóribus autem ejúsdem pii Pontíficis et ipsíus cura verisímile est perféctam tandem fuísse novam ecclésiam cathedrálem, quæ, díruta prióre ab Ariánis pollúta, sub Clodovéo primo statim erat inchoáta; cujus tamen dedicatióni non intérfuit. Dicúntur enim sancti viri Germánus Parisiénsis et Euphrónius Turonénsis a Cariberto rege Engolísmam missi, ut ecclésiam cathedrálem beáto Petro dedicárent; ibi

étiam Merérium, ejúsdem regis capellánum, Aptónio vita functo successórem elegísse et consecrásse. Beáti vero Antístitis corpus sepúltum est in basílica sancti Ausónii; et ádeo conjúncti sunt in morte Ausónius et Aptónius, ut vulgus eos fratres appelláverit, et eódem fato ambórum relíquiæ fúerint ab ímpiis Calviniánis combústæ.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Hom. in Evang. Homo péregre. *de Communi, primo loco.*

Nona Lectio S. Evaristi.

Ad laudes,

et per Horas, Añæ.

1. Aptónius, * Christi fámulus, scuto fídei, loríca justítiæ et gálea salútis cum gládio spíritus armátus, ómnium voce elígitur Epíscopus.

2. Illustrávit * eum cœléstis sapiéntia, et spirituálibus gemmis ornáta simplícitas.

3. Vir sanctus * quotídie profíciens in Dei timóre, vigíliis, jejúniis et oratiónibus indeféssus insistébat.

4. Aptónius, * Epárchii sanctitátem admirátus, eum cum gáudio suscéptum Engolisménsi lucrátus est Ecclésiæ.

5. Ædificávit * domum Dómini beátus Aptónius in monte, dicens : Opus grande est; neque enim hómini præparátur habitátio, sed Deo.

Ad Benedictus. Aña. Lætétur Engolisménsis Ecclésia in tránsitu almi Confessóris Aptónii, qui ad cœnam nuptiárum Agni coronándus a Dómino vocátus est, allelúia.

Oratio.



Omnípotens sempitérne Deus, qui hunc diem beáti Aptónii Confessóris tui solemnitáte consecrásti : præsta, quæsumus; ut ejus oratióne muníti, et divínæ lucis décore perfúsi, in tuum amórem júgiter accendámur. Per Dóminum.

Dein. Com. S. Evaristi.

Vesp. a Cap. de sequenti.

Pro Comm. S. Aptonii, Aña. Depósitus est, *ut in j. Vesp.* ℣. Justum.

DIE XXVII. OCTOBRIS.

B. Margaritæ Mariæ Alacoque

Virginis.

Duplex.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis, die XXV. Octobris.

Nona Lectio de Homil. Vigiliæ, ejusque Comm. in Laudibus.

Vesp. de sequenti, Comm. præced.

DIE XXIX. OCTOBRIS.
S. Solinæ
Virginis Martyris.
Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum, præter sequentia.

Aña. Veni, sponsa. ℣. Spécie tua.

Oratio.

Quæsumus, omnípotens Deus : ut méritis précibusque beátæ Vírginis et Mártyris tuæ Solínæ, verus sol méntibus nostris irrádiet, et ténebras peccatórum nostrórum depéllat. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Solína, Virgo et Martyr ínclyta, illústribus in Aquitánia paréntibus, sed in gentilitátis erróre versántibus, nata, a téneris annis ad christiánam fidem convérsa, totam se Christi obséquio mancipávit; pollícita se nullum velle, præter eum, sponsum in terris admíttere, sed ei, quem mente colébat, étiam carnis integritáte semper adhærére. Quod et revéra præstitit : nunquam enim de senténtia servándæ virginitátis dimovéri pótuit, a multis licet propter géneris nobilitátem vultúsque elegántiam sollicitáta, et a paréntibus íterum atque íterum vexáta plagísque intérdum afflícta. Quorum ne insectatiónibus ac furóribus céderet, omnes astus elúdere fuga cógitat. Prudens ítaque Virgo, relíctis paréntibus amplissimísque divítiis, incérto, sola et álacris, itíneri se commíttit; ac divíno sancti Spíritus instínctu concitáta, urbem Carnoténsem transmígrat, ubi sanctíssimæ Vírginis Deíparæ famósa erat ædícula, ut casti propósiti tenórem sub tam nóbili título virginitátis consecráret.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Sed persecutióne in Christi cultóres subórta, Quirínus, urbis præféctus, qui sanctos Saviniánum, Potentiánum et álios evangélicæ veritátis præcónes, váriis torméntis afflíctos, a regióne extórres fécerat, audíta quæ percrebébat de Solína vírgine fama, missis lictóribus, suo eam tribunáli sisti præcipit, ratiónem redditúram cur Crucifíxi fidem spárgeret, et puellárum ánimos a connúbio, afféctu novæ religiónis, avérteret. Accédit illa, seque christiánam esse, insuper et Christo sponsalítia fide adstríctam, vixdum interrogáta, ingénue fortitérque confitétur. Mirátur præses in córpore mulíebri virílem ánimum, et primo quidem blandis eam sermó-

nibus ad senténtiam mutándam próvocat; deínde vero minis ac terróribus ejus constántiam labefactáre conténdit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

AT Christi Virgo nec blandiméntis sedúcitur, nec terróre concútitur; sed eódem vultu et ánimo persevérat, terrentémque simíliter ac blandiéntem eádem mentis serenitáte derídet. Excandéscens præses eam statim in cárcerem públicum detrúdi ímperat. Altero die edúcta, íterum judício sístitur, ubi constántior quam ántea in fide repérta, data senténtia, cervíces lubénter pro divínæ veritátis assertióne et pudicítiæ cultu ferro suppósuit. Sic mactáta Christi ovícula binam láuream et fídei et castitátis fórtiter propugnátæ felíciter revéxit. Puras ejus exúvias christiáni clam colligéntes, eo loco, ubi exstrúcta est sancti Petri abbátia in valle Carnoténsi, cum aromátibus condidérunt; quæ, ante recentióres Gálliæ tumúltus, in capsa deauráta honorífice depósita, religiósa totíus urbis colebátur veneratióne, necnon in váriis áeris et córporum, non sine opportúno Dei auxílio, calamitátibus invocabátur. Sub ejus nómine ecclésia, paróchiæ insigníta título, etiámnunc exstat in diœcési Pictaviénsi, et in Engolisménsi áltera.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium : Símile erit regnum... decem virgínibus. *de Communi, j. loco.*

DOMINICA ULTIMA OCTOBRIS.

Commem. Sanctorum quorum Corpora vel Reliquiæ *in Ecclesiis Diœc. Engol. asservantur. Duplex.*

Omnia ut in Appendice Brev. Romani pro aliq. locis. Nona Lect. de Homil. Dominicæ ejusque Commem. in utrisque Vesp. et Laud.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE V. NOVEMBRIS.

S. Benigni

Martyris.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut intercedénte beáto Benígno, Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Caroli et Octavæ.

In primo Nocturno.
Lect. de Scriptura occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Benígnus, Burgúndiæ apóstolus, beáti Polycárpi, célebris Smyrnénsis epíscopi, discípulus, et ab eo sacérdos ordinátus, ab eo quoque prædicatúrus Evangélium destinátur, et in Gállias míttitur una cum Andóchio étiam presbytero, Thyrso diácono, atque Andéolo subdiácono. Andéolus quidem in regiónibus, quas Rhódanus álluit, subsístit, territoriúmque Vivariénse prædicatióne sua et martyrio illustrávit. Benígnus autem cum Andóchio et Thyrso Augustodúnum Æduórum usque pervénit: ibi a Fausto, nobilitáte géneris, senatória dignitáte et prætóris insígnibus claro, perhumáne accépti sunt; cujus fílium triénnem Symphoriánum, martyrii glória póstea insígnem, Benígnus baptizávit, et Andóchius e sacro fonte levávit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Sociis Andóchio et Thyrso Augustodúni relíctis, in cujus território et ipsi mortem pro fide appetiérunt, Benígnus Língonas primum se cóntulit, urbémque illam tergeminórum fratrum Speusíppi, Eleusíppi, et Meleusíppi lustráli expiatióne ac véluti primítiis Christo initiávit. Tandem ad Castrum Divionénse ministérium ibi consummatúrus advénit, quo círciter témpore imperátor Marcus Aurélius ad vidéndum muros novos ibi constrúctos eo páriter adventábat. Jam suus Benígno labor fructus felicíssimos atque éthnicæ superstitióni invidéndos pepérerat; jam numerósam plebem collégerat, quam Evangélii luce perfúsam verbo divíno pascébat, et ad virtútes christiánas informábat. Congréssus enim suos habére, et Deo fácere sólitum ferunt in sacris cryptis, supra quas insígnis olim sancti Stéphani vocábulo surréxit basílica, ubi semel priórum vis et furor persecutiónum cœpit remíttere.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

Vix advénerat imperátor, cum apud eum Benígnus impietátis in pátrios deos accusátur; quem conféstim tyránnus inquíri et vinctum ad tribúnal suum addúci jubet. In pago Spaníaco, non procul Divióne, invéntus, comprehénditur, adjuvánte præfécto regiónis Teréntio. Interrogátus, ac minis modo, modo blandítiis ad ejurándam fidem tentátus, cum nil doli profícerent, nervis

duríssimis primum cædi, mox e tróchlea suspénsus, jubétur exténdi disrumpíque : quibus in cruciátibus hæc ejus erat orátio : Grátias tibi, Dómine Jesu, qui hæc me dignátus es propter nomen tuum pati! Hac constántia irritátus imperátor invíctum púgilem in turrim inclúdi jubet : hodiédum exstant relíquiæ turris illíus intra muros sitæ, et Sancti nómine insignítæ. Ibi novis in eum fúriis insúrgunt; ejus pedes excaváto ínserunt lápidi, et liquénti plumbo álligant : ejus dígitis candéntes igne súbulas vi ádigunt; eum dénique freméntibus fame cánibus objéctant, qui ab eo, famis oblíti et sanctitátem viri revériti, abstinuérunt. Quod ubi rescívit Aurélius, ei collum capútque férreo vecte tundi comminuíque, ac totum corpus actis dextro lævóque látere lánceis transfígi jubet. Exstíncti corpus aromátibus condítum non longe a cárcere in sepúlcro repósitum est, quod ne obscúrum aliquándo aut ignótum esset, miraculórum luce Deus et cópia illustrávit. ℞. Stola.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x. *c*

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nihil est opértum, quod non revelábitur : et occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi. *Comment. in Matth. cap.* x. *post medium.*

Dóminus diem judícii osténdit, quæ abstrúsam voluntátis nostræ consciéntiam prodet : et ea quæ nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicæ déteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántium monet esse metuéndas : quia dies judícii nulla hæc fuísse atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine : et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Non légimus Dóminum sólitum fuísse nóctibus sermocinári, et doctrínam in ténebris tradidísse : sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebræ sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

℞. Coróna áurea.

Lectio viij.

Itaque id quod a se dictum est, cum libertáte fídei et confessiónis vult esse loquéndum. Idcírco quæ in ténebris dicta sunt prædicári jussit in lúmine : ut, quæ secréto áurium commíssa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium præcónio audiántur. Constánter enim Dei ingerénda cognítio est, et profúndum doctrínæ evangélicæ secré-

tum in lúmine prædicatiónis apostólicæ reveléndum: non timéntes eos, quibus cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est: sed timéntes pótius Deum, cui perdéndæ in gehénna et ánimæ et córporis sit potéstas.

℟. Hic est vere Martyr.

Lectio ix.

Nolíte timére eos qui occídunt corpus. Nullus ígitur córporum nostrórum casus est pertimescéndus, neque ullus interiméndæ carnis admitténdus est dolor: quando pro natúræ suæ atque oríginis conditióne resolúta, in substántiam spirituális ánimæ refundátur. Et quia doctrínis tálibus confirmátos opórtet líberam confiténdi Dei habére constántiam, étiam conditiónem, qua tenerémur, adjécit: negatúrum se eum Patri in cœlis, qui se homínibus in terra negásset: eum porro qui conféssus coram homínibus se fuísset, a se in cœlis confiténdum: qualésque nos nóminis sui testes homínibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimónio ejus usúros.

Te Deum laudámus.

Comm. Oct. in Laud. et Vesp.

DIE XIII NOVEMBR.

S. Stanislai Kostkæ

Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Appendice Breviarii Romani pro aliquibus locis.

Fit Commem. S. Martini Papæ et Mart. in j. Vesperis.

Secundæ Vesp. a Cap. de seq., Commem. præced.

DIE XVI. NOVEMBRIS.

S. Didaci

Confessoris. m. t. v.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario Romano die XIII. hujus.

Commem. S. Didaci in ij. Vesp. S. Gertrudis.

Secundæ Vesp. a Cap. de seq., Comm. præced.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I. DECEMBRIS.

S. Eligii

Episcopi Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter sequentia.

Aña. Sacérdos et Póntifex. ℣. Amávit.

Oratio.

Tríbue nobis, quæsumus, Dómine, singulárem sancti Elígii Confessóris tui atque Pontíficis caritátem imitári: ut illíus mérita in spíritu et veritáte celebrémus. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ELígius, in vico Catalacénsi, parum díssito ab urbe Lemóvica, natus est paréntibus Euchério et Terrígia, qui eum, ob singulárem qua pollébat indústriam, Abbóni aurífabro Lemóvicis instruéndum tradidérunt. A quo óptime edóctus, relícta pátria, Parísios se cóntulit, ubi perítiæ suæ fama Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram sacerdóte, et exínde in ópera pietátis omni stúdio incúbuit. Nam, étiam cum artem exercébat, subínde in sacros códices óculos intendébat : ita ut mens Deo vacáret dum manus úsibus serviébant humánis. Quidquid arte sua comparábat, id totum fovéndis egénis, et captívis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio, rediméndis erogábat. Hinc tantus ad eum páuperum concúrsus, ut quærénti domum Elígii dicerétur : Ubi páuperum cœtum conspéxeris, illic et Elígium repéries.

℟. Invéni David.

Lectio v.

INtra domum autem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera canónicum cursum solémniter adimplébant. Non minus accéptus Dagobérto quam Clotário patri, et ab illo ad Aremoricórum regem pacis componéndæ causa missus, reges ambos felíci fœdere sociávit. Vária ejus hortátu exstrúcta sunt templa et monastéria. Solemniacénse in Lemovícibus cœnóbium cóndidit. Parísiis ædificávit monastérium Vírginum. Instaurávit ibídem basílicam sancti Martiális, in quam cum sancti Apóstoli relíquiæ deportaréntur, procederéntque juxta cárcerem, ex Elígii consílio, psalléntium chori, óstia obseráta vinctis cœlitus patuérunt. Plúrima divérsis tempóribus auro, argénto et gemmis ornávit sepúlcra sanctórum. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoníacam labem, quæ altas in Gállia radíces égerat, exstirpávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

TAndem ad Noviomensem episcopátum assúmptus, non modo salúti gregis sibi commíssi invigilávit, sed et Flandros et Frísios, aliósque ad Septentriónem pópulos, non sine magno labóre ac vitæ discrímine, ad Christum addúxit. Sedit in concílio Cabilonénsi sub Clodovéo secúndo. Multa præcláre scripsit; ejécit dæ-

mones, futúra divínitus prædíxit, aliísque miráculis illústris, óbiit septuagenárius, desinénte die última Novémbris, anno sexcentésimo quinquagésimo nono, hora prima noctis, et Noviómi sepúltus est. Ejus funus sancta regína Bathíldis cum líberis prosecúta est. Váriæ divérsis tempóribus, in monastérium Solemniacénse prope Lemóvicas, e Novioménsi Ecclésia, sancti Pontíficis translátæ sunt relíquiæ.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Homilia in Evang. Vigiláte. *de Communi, secundo loco.*

In Vesp. Commem. sequentis.

IN SUFFRAGIIS SANCTORUM.

Commemoratio SS. Ausonii et Eparchii

PATRONORUM DIOECESIS ENGOLISMENSIS.

Ad vesperas,

Aña. Hos Dóminus nobis dedit, ut eórum conversatiónem intueámur, fidem imitémur et patrocíniis adjuvémur.

Ad laudes,

Aña. Isti sunt duo viri misericórdiæ, qui assístunt ante Dóminum, ut intercédant pro nobis.

℣. Oráte pro nobis, sancti Ausóni et Epárchi. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Deus, qui nos beatórum Ausónii et Epárchii doctrínis et exémplo docuísti : præsta, quæsumus; ut, eórum interveniéntibus méritis, supernórum cívium mereámur adscísci consórtio. Per Dóminum.


Concordat cum exemplari authentico quod in Archivis Curiæ Nostræ asservatur.

Engolismæ, die 8 Decembris 1884.

L. ✝ S. ✠ A. L., Ep. Engolismensis.




Index Festorum.



Imprimatur.
Tornaci, die 10 Junii 1885.
AUG. LEROY, Vic. Gen.



Typis Soc. S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. — Tornaci.



DIE III. JANUARII.
S. Genovefæ
Virginis. Duplex.
Oratio.

Effúnde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ, quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti : ut sédula ejus imitatióne tibi sincére obsequéntes, fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum nostrum.

Lect. j. Noct. De virgínibus. *de Communi.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Genovéfa, Nemptodúri in agro Parisiénsi, Sevéro et Gerúntia paréntibus nata, inaudíto virtútis splendóre a téneris annis cláruit. Germánus Antissiodorénsis in Británniam transitúrus cum Lupo Trecénsi, ut Pelagiánæ hæresis relíquias profligáret, conjéctis in eam óculis Deo caram et vitæ sanctitáte illústrem fore prædíxit. Ab ea cum postulásset num virginitátem Deo consecráre vellet, Genovéfa, vultu ad modéstiam compósito, statim respóndit id unum se veheménter optáre. Germánus ítaque Ecclésiam frequénti pópulo ingréssus, puéllæ manus impósuit, et inter crebros psalmórum prolixásque oratiónes, vírginem consecrávit. Postrídie sciscitándi an voti jam emíssi memor esset, mémorem vero se, et in eo propósito permansúram, Deo operánte, asseverávit. Ille nummum æreum signo crucis insignítum, nec sine Dei nutu, humi conspicátus, collégit, vírgini dedit, præcepítque ut collo appénsum gestáret, nec ullis deínceps monílibus, quæ sponsæ Christi non convéniunt ornári se paterétur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

Miraculórum dono et multitúdine excélluit máxime circa energúmenos, quos óleo consecráto inúngens, a dæmonum tyránnide liberábat. Plúrima prophético spíritu edíxit, atque imprímis, accedénte Attila, Hunnórum rege, cives Parisiénses adhortáta est ne, relíctis sédibus, fortúnas suas álio transférrent, urbem pollícita, subvérsis áliis munitiónibus, perstitúram. Rei veritátem probávit evéntus, idque Cenovéfæ patrocínio datum. Grassánte deínde fame, et in máxima annónæ caritáte, urbem magna fruménti cópia, et páuperes innúmeros erogátis pánibus sustentávit. Neque tamen tot éditis miráculis effúgere pótuit, quin malevolórum ódio et contuméliis preme-

rétur. Germánus in Británniam íterum profectúrus, eam ádiit, et váriis impetítam calúmniis divíno elóquio consolátus est; habitáque gravi ad pópulum oratióne, quanti esset apud Deum mériti expósuit, et locum, in quo preces illa fundébat, lácrymis ejus madefáctum osténdit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

Ab anno ætátis décimo quinto ad usque quinquagésimum Domínica tantum die et quinta féria jejúnium solvit; sumpto pane hordeáceo, ac módico pulménto, quod ante quíndecim dies coctum, ut minus sápidum esset, frígida temperábat aqua. Post id tempus, suadéntibus Epíscopis, quibus non obtemperáre nefas putábat, piscículis, et lacte usa est. Neque vero intra Gálliæ límites tanta virtus continéri pótuit. Símeon ille Stylítes, audíta tot miraculórum fama, ejus se précibus vóluit commendátum. Admirándis dénique virtútibus, ut scribit Beda, late cláruit, et in Christi servitúte ad octogínta et novem annos consénuit. De quo hæc étiam Gregórius Turonénsis: Sancta Genovéfa, quæ in córpore pósita, tanta virtúte prævaluit ut mórtuum suscitáverit, Lutétiæ in basílica sanctórum Apostolórum Petri et Pauli sepúlta est : ad cujus túmulum sæpius petitiónes datæ suffrágium óbtinent; sed et frigoriticórum febres ejus virtúte sæpíssime restringúntur.

℟. Afferéntur Regi Vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In iij. Noct. Homil. Sæpe vos, fratres. *de Comm.*



Imprimatur.
Tornaci, die 26 Septembris 1884.
G. BOUVRY, Vic. Gen.

DIE XVI. APRILIS.

S. Benedicti Josephi Labre *Conf. Duplex.*

Oratio.

Deus, qui sanctum Benedíctum The Joséphum Confessórem tuum humilitátis stúdio, et paupertátis amóre tibi uni adhærére fecísti : da nobis, ejus suffragántibus méritis, terréna cuncta despícere, et cœléstia semper inquírere. Per Dóminum nostrum.

Lectiones j. Nocturni de Scriptura occurrente.

In Quadragesima. Justus si morte. *de Communi Conf. non Pont. j. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

In óppido Améttes Boloniénsis diœcésis in Gállia ex honéstis piissimísque paréntibus ortus est Benedíctus Joséphus Labre. Divína grátia prævéntus, gravem et a nugis aliénam índolem a pueríli ætáte osténdit, et suis frátribus pietáte, obediéntia, solértia in addiscéndis christiánæ doctrínæ ac litterárum rudiméntis perféctum exémplar præfúlsit. Duodénnis ad pátruum sacerdótem parœciæ præpósitum missus, eruditióne páriter ac virtúte profécit. Hinc caritáte flagrans in próximos, confluéntium egenórum nullum a se discédere sivit inánem, eidémque pátruo sócium indivíduum se adjúnxit in ægrórum solátium, dira lue per loca grassánte, cujus ille víctima occúbuit. Nulli labóri parcens, nec perículo térritus, vilióra quæque obívit offícia ad eórum levándam calamitátem, qui morbo corrépti jacébant, pastórum quoque vices explens in pascéndis grégibus ab eis relíctis, grámine in arvis a se colléсto pro pécorum alimónia; ideóque factum, ut sibi ángeli nomen promerúerit. Neque áliter exínde egit apud avúnculum, ubi omníno spléndidum caritátis et mansuetúdinis spécimen édidit, mira patiéntia et benignitáte longo témpore perpéssus singulárem cujúsdam contubernális morositátem, a quo noctu diúque male habebátur.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Ad austeríssimum vitæ genus jámdiu se appellátum séntiens, rígido jejúnio, aut duro tantum pane dies transígere assuéverat, brevem fessis membris quiétem dare super nudos ásseres cum cervicáli ex lígneis fragméntis, flagéllo se cædere, plurésque horas flexis ante augustíssimum Eucharístiæ sacraméntum génibus orándo impéndere. Ratus porro se ad aspérius áliquod cœnobíticum institútum a Deo

vocári, ad Trappénses primum se cóntulit, deínde ad Carthusiános, postrémo ad Cisterciénses. Sed ob grácilem córporis hábitum et contráctas ægritúdines a síngulis abíre coáctus fuit; ita disponénte Deo, ut beátus júvenis arctióris sequélæ crucis Christi in médio pópuli spectáculum fíeret mundo, et Angelis, et homínibus. Nam cum ferventióri prece divínum lumen implorásset, intérna claríssima locutióne intelléxit sectánda sibi fore árdua sancti Aléxii vestígia, durissimámque vitam in sacris peregrinatiónibus traducéndam. Probánte ígitur consciéntiæ suæ moderatóre, annos natus vigínti duos, pia suscépit longíssima itínera; pedes, veste obsoléta, et rudi piléolo tectus, fune præcínctus ac male calceátus, sine pecúnia, rerúmque ómnium inops, obláta tantum stipe víctitans, et saccum déferens onústum saxis, quo peregrinándi labóres sibi gravióres rédderet. Hac ratióne multas Európæ regiónes plúries peragrávit, ubíque sanctióra loca visitándo, nunquam vestes immútans, æstum, brumam, imbres pérferens, noctu cubans plerúmque sub dio, declinánsque a trita via, et diversóriis, ut vitáret perícula, et ánimum libérius in Deum inténderet.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Ubicúmque consísteret, mira virtútum relinquébat exémpla cum sanctitátis fama haud raris prodígiis confirmáta. Séptimo ante óbitum anno Romam repétiit, ibíque cónstitit, etsi quotánnis Lauretánam beátæ Vírginis ædem, et ália vicinióra sanctuária adíre non prætermíserit. Cœlitem pótius quam viatóris vitam in Urbe ágere visus est. Tecto ut plúrimum carens, lácero eódem induménto perpétuo usus, oléribus, herbísque per viam abjéctis, vel oblátis analéctis sive e sterquilínio promptis inédiam relevábat, sitim aut exstinguébat aqua, aut acéto vexábat. Sæpe tota nocte orábat in amphitheátro Flávio, tot Mártyrum sánguine consecráto. Máximam vero diéi partem in templis dúcere consuévit, vel ante Deíparæ imáginem, vel coram sacrosáncta Eucharístia públicæ adoratióni propósita, ibíque immóbilis, ardens, niténti vultu, oculísque in sacram hóstiam defíxis, morabátur in contemplatióne ejus, quem diligébat. Inséctis erósus, squalóre óbsitus, quidquid irrisiónum atque injuriárum a plebécula sibi irrogabátur, lætus et constans perferébat. Anno dénique millésimo septingentésimo octogésimo tértio, die decimaséxta Aprílis, cum in

templo sanctæ Maríæ ad Montes precatióni plures dedísset horas, corréptus delíquio, tradúctúsque vicínas in ædes benéfici hóminis sanctíssime ánimam Deo réddidit, trigésimo quinto ætátis anno. Quem virtútibus et miráculis clarum Pius nonus Póntifex máximus Beatórum, novísque fulgéntem signis Leo decimustértius Sanctórum albo adscrípsit. ℟. Iste homo.

In iij. Noct. Homilia. Quia Dóminus ac Redémptor. *de Communi unius Mart. ij. loco cum* ℟℟. *de Conf. non Pontif.*

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS
DE BONO CONSILIO.
Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. Mariæ Virg. præter sequentia.

Oratio.

Bonórum ómnium largítor Deus, qui Genitrícis diléčti Fílii tui speciósam imáginem mira apparitióne clarificáre voluísti : concéde quæsumus, ut ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, ad cœléstē pátriam felíciter perducámur. Per eúmdem.

Ad Matutinum,

Hymnus.

Laude festívo, pia gens, honóre,
Dum Genestáni veneráris ædem, [alma
Qua Dei magnæ Genitrícis
Splendet imágo.

Hæc ubi mira spécie repénte [dam.
Obtulit sese pópulis vidén-
Multa mox secum bona ferre nostras
Visa per oras.

Ipsa tunc ægris áderat, moléstos [pellens,
Córporis morbos, animique
Longe et ærúmnas Látio imminéntes
Ipsa fugábat.

Virgo, quæ magnis decoráta signis
Nunc quoque effúlges, míseris juvámen
Affer, et fusis pátiens cliéntum
Annue votis.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui super cœli sólio corúscans, bérnat
Tótius mundi sériem gu-
Trinus et unus.
Amen.

In primo Nocturno.
De libro Proverbiórum.
Lectio j. *Cap.* ij. *b*

SI intráverit sapiéntia cor tuum, et sciéntia ánimæ tuæ placúerit: consílium custódiet te, et prudéntia servábit te, ut eruáris a via mala, et ab hómine, qui pervérsa lóquitur : qui relínquunt iter rectum, et ámbulant per vias tenebrósas : qui lætántur cum malefécerint, et exsúltant in rebus péssimis : quorum viæ pervérsæ sunt, et infámes gressus eórum.
℟. Sancta et immaculáta.

mones, futúra divínitus prædíxit, aliísque miráculis illústris, óbiit septuagenárius, desinénte die última Novémbris, anno sexcentésimo quinquagésimo nono, hora prima noctis, et Noviómi sepúltus est. Ejus funus sancta regína Bathíldis cum líberis prosecúta est. Váriæ divérsis tempóribus, in monastérium Solemniacénse prope Lemóvicas, e Novioménsi Ecclésia, sancti Pontíficis translátæ sunt relíquiæ.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Homilia in Evang. Vigiláte. *de Communi, secundo loco.*

In Vesp. Commem. sequentis.

IN SUFFRAGIIS SANCTORUM.

Commemoratio SS. Ausonii et Eparchii

PATRONORUM DIOECESIS ENGOLISMENSIS.

Ad vesperas,

Aña. Hos Dóminus nobis dedit, ut eórum conversatiónem intueámur, fidem imitémur et patrocíniis adjuvémur.

Ad laudes,

Aña. Isti sunt duo viri misericórdiæ, qui assístunt ante Dóminum, ut intercédant pro nobis.

℣. Oráte pro nobis, sancti Ausóni et Epárchi. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Deus, qui nos beatórum Ausónii et Epárchii doctrínis et exémplo docuísti : præsta, quæsumus; ut, eórum interveniéntibus méritis, supernórum cívium mereámur adscísci consórtio. Per Dóminum.

Concordat cum exemplari authentico quod in Archivis Curiæ Nostræ asservatur.

Engolismæ, die 8 Decembris 1884.

L. ✝ S. ✠ A. L., Ep. Engolismensis.




Index Festorum.



Imprimatur.
Tornaci, die 10 Junii 1885.
AUG. LEROY, Vic. Gen.



Typis Soc. S. Joannis Evang. Desclée, Lefebvre et Soc. — Tornaci.



Officia Gallicae 13

DIE III. JANUARII.
S. Genovefæ
Virginis. Duplex.
Oratio.

EFfúnde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ, quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti : ut sédula ejus imitatióne tibi sincére obsequéntes, fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum nostrum.

Lect. j. Noct. De virgínibus. *de Communi.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GEnovéfa, Nemptodúri in agro Parisiénsi, Sevéro et Gerúntia paréntibus nata, inaudíto virtútis splendóre a téneris annis cláruit. Germánus Antissiodorénsis in Británniam transitúrus cum Lupo Trecénsi, ut Pelagiánæ hæresis relíquias profligáret, conjéctis in eam óculis Deo caram et vitæ sanctitáte illústrem fore prædíxit. Ab ea cum postulásset num virginitátem Deo consecráre vellet, Genovéfa, vultu ad modéstiam compósito, statim respóndit id unum se veheménter optáre. Germánus ítaque Ecclésiam frequénti pópulo ingréssus, puéllæ manus impósuit, et inter crebros psalmórum prolixásque oratiónes, vírginem consecrávit. Postrídie sciscitándi an voti jam emíssi memor esset, mémorem vero se, et in eo propósito permansúram, Deo operánte, asseverávit. Ille nummum æreum signo crucis insignítum, nec sine Dei nutu, humi conspicátus, collégit, vírgini dedit, præcepítque ut collo appénsum gestáret, nec ullis deínceps monílibus, quæ sponsæ Christi non convéniunt ornári se paterétur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

MIraculórum dono et multitúdine excélluit máxime circa energúmenos, quos óleo consecráto inúngens, a dæmonum tyránnide liberábat. Plúrima prophético spíritu edíxit, atque imprímis, accedénte Attila, Hunnórum rege, cives Parisiénses adhortáta est ne, relíctis sédibus, fortúnas suas álio transférrent, urbem pollícita, subvérsis áliis munitiónibus, perstitúram. Rei veritátem probávit evéntus, idque Cenovéfæ patrocínio datum. Grassánte deínde fame, et in máxima annónæ caritáte, urbem magna fruménti cópia, et páuperes innúmeros erogátis pánibus sustentávit. Neque tamen tot éditis miráculis effúgere pótuit, quin malevolórum ódio et contuméliis preme-

rétur. Germánus in Británniam íterum profectúrus, eam ádiit, et váriis impetítam calúmniis divíno elóquio consolátus est; habitáque gravi ad pópulum oratióne, quanti esset apud Deum mériti expósuit, et locum, in quo preces illa fundébat, lácrymis ejus madefáctum osténdit.
℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

AB anno ætátis décimo quinto ad usque quinquagésimum Domínica tantum die et quinta féria jejúnium solvit; sumpto pane hordeáceo, ac módico pulménto, quod ante quíndecim dies coctum, ut minus sápidum esset, frígida temperábat aqua. Post id tempus, suadéntibus Epíscopis, quibus non obtemperáre nefas putábat, piscículis, et lacte usa est. Neque vero intra Gálliæ límites tanta virtus continéri pótuit. Símeon ille Stylítes, audíta tot miraculórum fama, ejus se précibus vóluit commendátum. Admirándis dénique virtútibus, ut scribit Beda, late cláruit, et in Christi servitúte ad octogínta et novem annos consénuit. De quo hæc étiam Gregórius Turonénsis: Sancta Genovéfa, quæ in córpore pósita, tanta virtúte prævaluit ut mórtuum suscitáverit, Lutétiæ in basílica sanctórum Apostolórum Petri et Pauli sepúlta est: ad cujus túmulum sæpius petitiónes datæ suffrágium óbtinent; sed et frigoriticórum febres ejus virtúte sæpíssime restringúntur.
℟. Afferéntur Regi Vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.
In iij. Noct. Homil. Sæpe vos, fratres. *de Comm.*



Imprimatur.
Tornaci, die 26 Septembris 1884.
G. BOUVRY, Vic. Gen.

DIE XVI. APRILIS.

S. Benedicti Josephi Labre *Conf. Duplex.*

Oratio.

Deus, qui sanctum Benedíctum Joséphum Confessórem tuum humilitátis stúdio, et paupertátis amóre tibi uni adhærére fecísti : da nobis, ejus suffragántibus méritis, terréna cuncta despícere, et cœléstia semper inquírere. Per Dóminum nostrum.

Lectiones j. Nocturni de Scriptura occurrente.

In Quadragesima. Justus si morte. *de Communi Conf. non Pont. j. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

In óppido Améttes Boloniénsis diœcésis in Gállia ex honéstis piissimísque paréntibus ortus est Benedíctus Joséphus Labre. Divína grátia prævéntus, gravem et a nugis aliénam índolem a puerîli ætáte osténdit, et suis frátribus pietáte, obediéntia, solértia in addiscéndis christiánæ doctrínæ ac litterárum rudiméntis perféctum exémplar præfúlsit. Duodénnis ad pátruum sacerdótem parœciæ præpósitum missus, eruditióne páriter ac virtúte profécit. Hinc caritáte flagrans in próximos, confluéntium egenórum nullum a se discédere sivit inánem, eidémque pátruo sócium indivíduum se adjúnxit in ægrórum solátium, dira lue per loca grassánte, cujus ille víctima occúbuit. Nulli labóri parcens, nec perículo térritus, vilióra quæque obívit offícia ad eórum levándam calamitátem, qui morbo corrépti jacébant, pastórum quoque vices explens in pascéndis grégibus ab eis relíctis, grámine in arvis a se colléćto pro pécorum alimónia; ideóque factum, ut sibi ángeli nomen promerúerit. Neque áliter exínde egit apud avúnculum, ubi omníno spléndidum caritátis et mansuetúdinis spécimen édidit, mira patiéntia et benignitáte longo témpore perpéssus singulárem cujúsdam contubernális morositátem, a quo noctu diúque male habebátur.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Ad austeríssimum vitæ genus jámdiu se appellátum séntiens, rígido jejúnio, aut duro tantum pane dies transígere assuéverat, brevem fessis membris quiétem dare super nudos ásseres cum cervicáli ex lígneis fragméntis, flagéllo se cædere, plurésque horas flexis ante augustíssimum Eucharístiæ sacraméntum génibus orándo impéndere. Ratus porro se ad aspérius áliquod cœnobíticum institútum a Deo

vocári, ad Trappénses primum se cóntulit, deínde ad Carthusiános, postrémo ad Cisterciénses. Sed ob grácilem córporis hábitum et contráctas ægritúdines a síngulis abíre coáctus fuit; ita disponénte Deo, ut beátus júvenis arctióris sequélæ crucis Christi in médio pópuli spectáculum fíeret mundo, et Angelis, et homínibus. Nam cum ferventióri prece divínum lumen implorásset, intérna caríssima locutióne intelléxit sectánda sibi fore árdua sancti Aléxii vestígia, durissimámque vitam in sacris peregrinatiónibus traducéndam. Probánte ígitur consciéntiæ suæ moderatóre, annos natus vigínti duos, pia suscépit longíssima itínera; pedes, veste obsoléta, et rudi piléolo tectus, fune præcínctus ac male calceátus, sine pecúnia, rerúmque ómnium inops, obláta tantum stipe víctitans, et saccum déferens onústum saxis, quo peregrinándi labóres sibi gravióres rédderet. Hac ratióne multas Európæ regiónes plúries peragrávit, ubíque sanctióra loca visitándo, nunquam vestes immútans, æstum, brumam, imbres pérferens, noctu cubans plerúmque sub dio, declinánsque a trita via, et diversóriis, ut vitáret perícula, et ánimum libérius in Deum inténderet.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Ubicúmque consísteret, mira virtútum relinquébat exémpla cum sanctitátis fama haud raris prodígiis confirmáta. Séptimo ante óbitum anno Romam repétiit, ibíque cónstitit, etsi quotánnis Lauretánam beátæ Vírginis ædem, et ália vicinióra sanctuária adíre non prætermíserit. Cœlitem pótius quam viatóris vitam in Urbe ágere visus est. Tecto ut plúrimum carens, lácero eódem induménto perpétuo usus, oléribus, herbísque per viam abjéctis, vel oblátis analéctis sive e sterquilínio promptis inédiam relevábat, sitim aut exstinguébat aqua, aut acéto vexábat. Sæpe tota nocte orábat in amphitheátro Flávio, tot Mártyrum sánguine consecráto. Máximam vero diéi partem in templis dúcere consuévit, vel ante Deíparæ imáginem, vel coram sacrosáncta Eucharístia públicæ adoratióni propósita, ibíque immóbilis, ardens, niténti vultu, oculísque in sacram hóstiam defíxis, morabátur in contemplatióne ejus, quem diligébat. Inséctis erósus, squalóre óbsitus, quidquid irrisiónum atque injuriárum a plebécula sibi irrogabátur, lætus et constans perferébat. Anno dénique millésimo septingentésimo octogésimo tértio, die decimaséxta Aprílis, cum in

templo sanctæ Maríæ ad Montes precatióni plures dedísset horas, corréptus delíquio, traductúsque vicínas in ædes benéfici hóminis sanctíssime ánimam Deo réddidit, trigésimo quinto ætátis anno. Quem virtútibus et miráculis clarum Pius nonus Póntifex máximus Beatórum, novísque fulgéntem signis Leo decimustértius Sanctórum albo adscrípsit. ℟. Iste homo.

In iij. Noct. Homilia. Quia Dóminus ac Redémptor. *de Communi unius Mart. ij. loco cum ℟℟. de Conf. non Pontif.*

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

DE BONO CONSILIO.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. Mariæ Virg. præter sequentia.

Oratio.

Bonórum ómnium largítor Deus, qui Genitrícis dilécti Fílii tui speciósam imáginem mira apparitióne clarificáre voluísti : concéde quæsumus, ut ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, ad cœléstẽ pátriam felíciter perducámur. Per eúmdem.

Ad Matutinum,

Hymnus.

Laude festívo, pia gens, honóre,
Dum Genestáni veneráris ædem, [alma
Qua Dei magnæ Genitrícis
Splendet imágo.

Hæc ubi mira spécie repénte [dam.
Obtulit sese pópulis vidén-
Multa mox secum bona ferre nostras
Visa per oras.

Ipsa tunc ægris áderat, moléstos [pellens,
Córporis morbos, animíque
Longe et ærúmnas Látio imminéntes
Ipsa fugábat.

Virgo, quæ magnis decoráta signis
Nunc quoque effúlges, míseris juvámen
Affer, et fusis pátiens cliéntum
Annue votis.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui super cœli sólio corúscans, bérnat
Tótius mundi sériem gu-
Trinus et unus.
Amen.

In primo Nocturno.

De libro Proverbiórum.

Lectio j. *Cap.* ij. *b*

SI intráverit sapiéntia cor tuum, et sciéntia ánimæ tuæ placúerit: consílium custódiet te, et prudéntia servábit te, ut eruáris a via mala, et ab hómine, qui pervérsa lóquitur : qui relínquunt iter rectum, et ámbulant per vias tenebrósas : qui lætántur cum malefécerint, et exsúltant in rebus péssimis : quorum viæ pervérsæ sunt, et infámes gressus eórum.

℟. Sancta et immaculáta

Lectio ij. *Cap.* iij. *c.*
Fili mi, ne éffluant hæc ab óculis tuis : Custódi legem atque consílium : et erit vita ánimæ tuæ, et grátia fáucibus tuis. Tunc ambulábis fiduciáliter in via tua, et pes tuus non impínget : si dormíeris, non timébis : quiésces, et suávis erit somnus tuus : ne páveas repentíno terróre, et irruéntes tibi poténtias impiórũ. Dñus enim erit in látere tuo, et custódiet pedem tuum, ne capiáris. ℟. Congratulámini.

Lectio viij. *Cap.* viij. *b*
EGO sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum : arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt : per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo : et qui mane vígilant ad me, invénient me.
℟. Beáta es.

In secundo Nocturno.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi. *In Natali S. Joann. Bapt.* **Lect. iv.**
HOminem concépit Elísabeth, hóminem María : sed Elísabeth solum hóminem, María Deum et hóminem. Mira res est, quómodo potúerit concípere creatúra Creatórem. Quid est ergo intelligéndum, fratres mei, nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola matre, qui fecit primum hóminem sine patre et matre? Primus ille noster casus fuit, quando fémina, per quam mórtui sumus, in corde concépit venéna serpéntis. Persuásit enim serpens peccátum, et admíssus est male suádens. Si primus noster casus fuit, cum fémina concépit corde venéna serpéntis; non mirándum, quod salus nostra facta est, cum fémina concépit in útero carnem Omnipotentis. Utérque cecíderat sexus, utérque fúerat reparándus. Per mulíerem in intéritum missi erámus : per mulíerem nobis réddita est salus.
℟. Sicut cedrus.

De Sermóne sancti Fulgéntii Epíscopi.
De Laud. Mariæ ex partu Salvatoris.
Lectio v.
QUóniam diábolus per serpéntem Hevæ locútus, per Hevæ aures mundo íntulit mortem : Deus per Angelum ad Maríam pértulit verbum, et cunctis sæculis vitam effúdit. Angelus sermónem ejécit, et Christum Virgo concépit. Hoc splendóre concípitur Dei Fílius : ac mundítia generátur. De cœlis médicus tránsiens per

Vírginem, post tránsitum suum illæsam fecit Vírginem permanére. Qui enim disrúpta córporum membra in áliis póterat integráre tangéndo, quanto magis in sua matre, quod invénit íntegrum, pótuit non violáre nascéndo? Crevit enim ejus partu intégritas córporis pótius, quam decrévit, et virgínitas ampliáta est pótius quam fugáta.
℟. Quæ est ista.

Lectio vj.

MAría, quam præclaríssimis tribus bonis sublimétur, auscúlta : salutatiónis angélicæ, benedictiónis divínæ, et plenitúdinis grátiæ. Sic enim eam légitur salutásse : Ave María, grátia plena, benedícta inter mulíeres. Et ut nihil non sublíme esset in hac sanctíssima Vírgine, quam Angelus grátia plenam salutávit, non sine divíno consílio factum est, ut ejus étiam imágines summo essent in honóre, et prodígiis miraculísque claréscerent. Quas inter, ea tribus ab hinc sæculis, præcípuo honóre cólitur quæ, Paulo secúndo sedénte, mirabíliter apparuísse in paríete ecclésiæ Patrum órdinis Eremitárum sancti Augustíni in óppido Genestáni, Prænestínæ diœcésis, ex pontifíciis diplomátibus et suppáribus monuméntis comprobátur. Quibus permótus Pius Papa sextus præfátis ejúsdem óppidi cœnobítis Offícium próprium concéssit séptimo Kaléndas Maias, ipso scilicet apparitiónis die recitándum : ac deínde illud, die quæ immediáte subséquitur pro ejus recitatióne in pósterum assignáta, ad univérsum prædíctum órdinem sub ritu dúplicis majóris exténdit.
℟. Ornátam.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* j.

LIber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Thomæ Epíscopi.

In Conc. ij. *Nativ. B. M. V.*

COgitánti mihi, ac diu hæsitánti quid causæ sit quod, cum Evangelístæ de Joánne Baptísta et áliis Apóstolis tam longum fecére tractátum, de Vírgine María, quæ vita et dignitáte omnes antecédit, ita summátim percúrrant históriam : Cur, inquam, non tráditum est memóriæ quómodo concépta, quómodo nata, quómodo nutríta; quibus móribus decoráta, quibus virtútibus ornáta; quid cum Fílio in humánis égerit, quómodo cum illo conversáta sit, quómodo post ejus Ascensiónem cum Apó-

stolis víxerit? Magna erant hæc, et memorátu digna, et quæ cum summa devotióne a fidélibus legeréntur, a pópulis amplecteréntur. Quis enim dúbitat, quin in ejus nativitáte et pueritia mira multa contígerint, et puélla hæc in téneris annis stupéndum sæculis virtútum ómnium monuméntum exstíterit?

℟. Felix namque.

Lectio viij.

HÆc mihi hæsitánti, cur de áctibus Vírginis, sicut de áctibus Pauli, non est compósitus liber, nihil áliud occúrrit (accusáre enim Evangelístas negligéntiæ sicut ímpium, ita et temerárium júdico), quam ita placuísse Spirítui sancto, ejúsque providéntia Evangelístas siluísse : proptérea quia Vírginis glória, sicut in Psalmis légitur, omnis intus erat, et magis cogitári póterat, quam descríbi; sufficítque ad ejus plenam históriam, quia de illa natus est Jesus. Quid ámplius quæris? Quid ultra requíris in Vírgine? Súfficit tibi, quia Mater Dei est.

℟. Beátam me dicent.

Lectio ix.

NOn eam Spíritus sanctus lítteris descrípsit, sed tibi eam ánimo depingéndam relíquit, ut intélligas nihil illi grátiæ, aut perfectiónis, aut glóriæ, quam ánimus in pura creatúra concípere possit, defuísse : imo reípsa intelléctum omnem superásse. Ubi ergo totum erat, pars scribénda non fuit, ne putáres quod scriptum non fúerat, eídem fórsitan defuísse. Si ancíllas suas et minístras domus suæ potentíssimus Dóminus ita miríficè decorávit, ita donis et grátiis venustávit : qualem, exístimas, cóndidit Matrem suam, únicam Sponsam suam, quam sibi ex ómnibus elégit, et præ ómnibus adamávit? Omnibus eam Altíssimus præpósuit non solum virgíneis sed étiam angélicis choris, quia mater ejus est, et Matrem Dei decet omnis celsitúdo. Quidquid ígitur de Vírgine scire aut intellígere cupis, totum in hoc cláuditur brevilóquio : De qua natus est Jesus. Hæc longa et pleníssima história ejus est. Te Deum laudámus.



Imprimatur.
Tornaci, die 26 Septembris 1884.
G. BOUVRY, Vic. Gen.

DIE XXIII. MAII.

S. Joannis Baptistæ de Rossi, *Confess. Duplex.*

Oratio.

Deus, qui sanctum Joánnem Baptístam Confessórem tuum in evangelizándis paupéribus caritáte et patiéntia decorásti : concéde quæsumus, ut cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes Baptísta de Rossi Veitúrii in Ligúria honésto génere ortus, adhuc puer morum suavitáte ac pietátis stúdio in ómnium admiratióne fuit. Trédecim annos natus visus est Dei consílio Romam mitti, ut apóstoli munus in ea expléret. Inter ephébos collégii Románi Societátis Jesu alléctus, ingénio et virtúte præluxit. Curábat impénse, ut ii Mariáno sodalítio frequéntes adéssent, in nosocomíis ægris ministrárent, honestáque animórum recreatióne retraheréntur a nóxiis; ínterim cœléstia sermónibus pertráctans, segnióres excitábat, ac proínde apóstoli agnómen adéptus est. Ob ásperam córporis castigatiónem gravi morbo corréptus, ab usitáta sibi studiórum severitáte aliquántulum remíttere coáctus fuit : quod divínitus factum aiébat, ne sciéntia inflátus sua pótius quæreret, quam quæ Jesu Christi. Clericáli milítiæ adscríptus sacris disciplínis in sancti Thomæ collégio óperam dedit, ac in virtúte profíciens, dein ingénti ánimi voluptáte sacerdótio est auctus. Ita Dóminum in hereditátem sibi constítuit, ut nullum, ne oblátum quidem, ecclesiásticum benefícium acceptándi, nisi obediéntia adigerétur, singulári voto se obstrínxerit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

De spirituáli proximórum salúte jam ab adolescéntia sollícitus, sacérdos factus in id totum se devóvit. Ecclesiásticos viros, sacras vírgines, oppidános, cárcere deténtos, imam plebem univérsam mira suavitáte, verbi ministério ad virtútis amórem inflammábat. Plures quotídie horas rudiórum confessiónibus excipiéndis impéndens, ægrótis áderat vel in dómibus vel in valetudináriis, præsértim phthísicis, quos sui véluti juris esse affirmábat. Hac illac per urbem álacer ádvolans, innúmeris opéribus præsto erat : at assíduus in sanctæ Gallæ hospítio versabátur, ut páuperes, quos caríssimos hábuit, omni ope ju-

váret. Ob id a décimo quinto ætátis anno adjúnctus sacerdótum cœtui, qui eísdem evangelizándo addícti sunt, ibi apostolátus sui ratiónem dídicit, ipsiúsque societátis ópera instaurávit et auxit. Eádem misericórdia motus egenórum ómnium necessitátibus sublevándis módicam suam substántiam impéndit. Perénnes autem infatigábilis sui zeli fructus relíquit, satéllitum, vagórum, rúdium institutiónem, catechéses ad sancte Pascha celebrándum, certam custódiam perditárum, noctúque per Urbem vagántium muliérum hospítium, præcípue vero stúdium lucrándi ánimas in clero excitátum.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Caritátis in Deum ardor ex ejus ore emicábat, dum sacris operabátur, nec sine lácrymis de ejus bonitáte loqui póterat. In collégium canonicórum basílicæ sanctæ Maríæ in Cósmedin ex obediéntia cooptátus, inter psalléndum extra sensus rapi videbátur. In sacris cæremóniis diligentíssimus, domus Dei decórem promóvit, et in id suas opes libénter erogábat. Amórem erga Deíparam in álios effundébat, ejúsque cultum in sua Ecclésia fovit, áddito étiam psalmódiæ quotidiáno laudum præcónio. Philíppi Nérii spíritu ímbui studens, et in omnes Cœlites pius, Apostolórum príncipum obséquium augéndum curávit. In oratióne omníque virtútum exercitatióne assíduus, supérnis quoque charismátibus donátus, tandem in hospítio, cui nomen a sanctíssima Trinitáte, quo se redúxerat in sacerdótum convíctum, labóribus fractus ad vitæ éxitum addúctus est, atque Ecclésiæ sacraméntis reféctus, caritátis ópera et páuperum curam commendans, decéssit in ósculo Dómini die vicésima tértia Maii anno Christi millésimo septingentésimo sexagésimo quarto, ætátis suæ sexagésimo sexto. Insígne ádeo sacerdotális virtútis exémplar miráculis Deus illustráre dignátus est, quibus rite probátis, summus Póntifex Pius nonus tértio Idus Maii anno millésimo octingentésimo sexagésimo cœlitum Beatórum honóribus auxit; novísque fulgéntem signis Leo décimus tértius sexto Idus Decémbris anno millésimo octingentésimo octogésimo primo in Sanctórum albo recénsuit.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno, Homilia. Sancti Evangélii, fratres. *de Communi.*

Imprimatur.
Tornaci, die 26 Septembris 1884.
G. BOUVRY, Vic. Gen.

DIE XXIII. MAII.

S. Joannis Baptistæ de Rossi, *Confess. Duplex.*

Oratio.

Deus, qui sanctum Joánnem Baptístam Confessórem tuum in evangelizándis paupéribus caritáte et patiéntia decorásti : concéde quæsumus, ut cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dñum.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes Baptísta de Rossi Veitúrii in Ligúria honésto génere ortus, adhuc puer morum suavitáte ac pietátis stúdio in ómnium admiratióne fuit. Trédecim annos natus visus est Dei consílio Romam mitti, ut apóstoli munus in ea expléret. Inter ephébos collégii Románi Societátis Jesu alléctus, ingénio et virtúte prælúxit. Curábat impénse, ut ii Mariáno sodalítio frequéntes adéssent, in nosocomíis ægris ministrárent, honestáque animórum recreatióne retraheréntur a nóxiis; ínterim cœléstia sermónibus pertráctans, segnióres excitábat, ac proínde apóstoli agnómen adéptus est. Ob ásperam córporis castigatiónem gravi morbo corréptus, ab usitáta sibi studiórum severitáte aliquántulum remíttere coáctus fuit : quod divínitus factum aiébat, ne sciéntia inflátus sua pótius quæreret, quam quæ Jesu Christi. Clericáli milítiæ adscríptus sacris disciplínis in sancti Thomæ collégio óperam dedit, ac in virtúte profíciens, dein ingénti ánimi voluptáte sacerdótio est auctus. Ita Dóminum in hereditátem sibi constítuit, ut nullum, ne oblátum quidem, ecclesiásticum benefícium acceptándi, nisi obediéntia adigerétur, singulári voto se obstrínxerit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

De spirituáli proximórum salúte jam ab adolescéntia sollícitus, sacérdos factus in id totum se devóvit. Ecclesiásticos viros, sacras vírgines, oppidános, cárcere deténtos, imam plebem univérsam mira suavitáte, verbi ministério ad virtútis amórem inflammábat. Plures quotídie horas rudiórum confessiónibus excipiéndis impéndens, ægrótis áderat vel in dómibus vel in valetudináriis, præsértim phthísicis, quos sui véluti juris esse affirmábat. Hac illac per urbem álacer ádvolans, innúmeris opéribus præsto erat : at assíduus in sanctæ Gallæ hospítio versabátur, ut páuperes, quos caríssimos hábuit, omni ope juváret. Ob id a décimo quinto ætátis anno adjúnctus sa-

cerdótum cœtui, qui eísdem evangelizándo addícti sunt, ibi apostolátus sui rationem dídicit, ipsiúsque societátis ópera instaurávit et auxit. Eádem misericórdia motus egenórum ómnium necessitátibus sublevándis módicam suam substántiam impéndit. Perénnes autem infatigábilis sui zeli fructus relíquit, satéllitum, vagórum, rúdium institutiónem, catechésesad sancte Pascha celebrándum, certam custódiam perditárum, noctúque per Urbem vagántium mulíerum hospítium, præcípue vero stúdium lucrándi ánimas in clero excitátum.
℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Caritátis in Deum ardor ex ejus ore emicábat, dum sacris operabátur, nec sine lácrymis de ejus bonitáte loqui póterat. In collégium canonicórum basílicæ sanctæ Maríæ in Cósmedin ex obediéntia cooptátus, inter psalléndum extra sensus rapi videbátur. In sacris cæremóniis diligentíssimus, domus Dei decórem promóvit, et in id suas opes libénter erogábat. Amórem erga Deíparam in álios effundébat, ejúsque cultum in sua Ecclésia fovit, áddito étiam psalmódiæ quotidiáno laudum præcónio. Philíppi Nérii spíritu ímbui studens, et in omnes Cœlites pius, Apostolórum príncipum obséquium augéndum curávit. In oratióne omníque virtútum exercitatióne assíduus, supérnis quoque charismátibus donátus, tandem in hospítio, cui nomen a sanctíssima Trinitáte, quo se redúxerat in sacerdótum convíctum, labóribus fractus ad vitæ éxitum addúctus est, atque Ecclésiæ sacraméntis refféctus, caritátis ópera et páuperum curam comméndans, decéssit in ósculo Dómini die vicésima tértia Maii anno Christi millésimo septingentésimo sexagésimo quarto, ætátis suæ sexagésimo sexto. Insígne ádeo sacerdotális virtútis exémplar miráculis Deus illustráre dignátus est, quibus rite probátis, summus Póntifex Pius nonus tértio Idus Maii anno millésimo octingentésimo sexagésimo cœlitum Beatórum honóribus auxit; novísque fulgéntem signis Leo décimus tértius sexto Idus Decémbris anno millésimo octingentésimo octogésimo primo in Sanctórum albo recénsuit. ℟. Iste homo.
In tertio Nocturno, Homilia. Sancti Evangélii, fratres. *de Communi.*

Imprimatur.
Tornaci, die 26 Septembris 1884.
G. BOUVRY, Vic. Gen.

DIE XV. JUNII.

S. Germanæ Cousin

Virginis. Duplex. **Oratio.**

Deus humílium celsitúdo, qui beátam Germánam Vírginem tuam caritátis et patiéntiæ decóre excéllere disposuísti : ejus méritis et intercessióne concéde, ut crucem júgiter feréntes, te semper dilígere valeámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Germána Cousin Píbraci, quod óppidum est Tolosánæ diœcésis, húmili loco nata, ab ipsa pene infántia grávibus ærúmnis fuit obnóxia. Cum enim manca esset, et strumis inféćta, statim post óbitum matris in novércæ ódium íncidit, ejúsque ópera de patérna domo ejéćta et custodiéndis grégibus addíćta, solo pane et aqua víćtitans, et super stramen aut áridos pálmites in ipsa pécudum caula somnum carpens, vitam in summa egestáte rerúmque ómnium inópia tolerávit. Hæc et ália, quibus quotídie premebátur, frígoris, æstus, et ímbrium incómmoda, quin étiam domesticórum convícia et insećtatiónes, forti semper ánimo, et ore ad hilaritátem compósito, non solum patientíssime tulit; sed majóra pati excogitávit, ut confórmis fíeret imágini Fílii Dei, quem únice toto cordis afféćtu diléxit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Sive enim gregem ad páscua, sive in arvis stámina e colo dúceret, mente et cogitatióne in Deum defíxa, assíduas fundébat preces, et pósitis humi génibus ante crucis signum, ardentíssimi amóris æstus rerum cœléstium contemplatióne temperábat. Quotídie templum adíre, sacrifício Missæ interésse, et síngulis diébus festis se divínæ mensæ pábulo refícere in more hábuit. Deíparam Vírginem singulári religióne cóluit, eíque frequéntia exhíbuit obséquii et pietátis offícia. Caritáte erga omnes afféćta, púeros et puéllas christiánæ fídei mystériis erudíre eorúmque ánimos ad virtútem et rećtam vivéndi ratiónem informáre, egéntium inópiæ subveníre consuévit, detráćto étiam sibi panis frústulo, quo únice vescebátur. Castitátis vero et innocéntiæ laudem tantam proméruit, ut ad mortem usque illibátam serváverit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

Hanc fámulæ suæ occúltam sanćtitátem Deus éditis e cœlo signis mirabíliter declará-

vit. Nam et flúvium aquis exundántem, dum Pibracénse templum péteret, Germána fixo gradu sæpius transívit, et panem paupéribus erogándum, ut novércam latéret, hibérno témpore in flores convértit. Virtútibus et prodígiis illustráta, ad cœléstis Agni núptias tandem inopináto éxitu emigrávit, annum agens secúndum supra vigésimum. Mortáles Vírginis exúviæ, anno quadragésimo et ultra postquam e vita discésserat, incorrúptæ et íntegræ, recentibúsque conspérsæ flóribus repértæ sunt. Huic prodígio ália multa, per annos ferme ducéntos, divína virtúte ad túmulum júgiter patráta, mirácula accessérunt, quæ innocéntis puéllæ famam et nomen longe latéque prapagárunt. Quibus permótus Pius nonus Póntifex máximus, virtútibus et miráculis rite probátis, eámdem beatárum Vírginum fastis primum adscrípsit. Subínde vero novis fulgéntem prodígiis idem Póntifex anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo ea ipsa díe, qua sæculária Apostolórũ princípum solémnia agebántur, Sanctórum albo accénsuit.

℟. Afferéntur regi.

In iij. Noct. Homilia. Cœlórum regnum. *de Communi non Virg. cum* ℟℟. *de Virginibus.*

DIE XVI. JUNII.

S. Joannis Francisci Regis *Conf. Duplex.*

Ut in fine Breviarii.

Ubi concessa est, dicitur Homilia sequens.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* ix.

In illo témpore: Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicans Evangélium regni. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri. *Comm. Lib.* I. *in Matth. Cap.* xix.

Cernis quod æquáliter in villis et úrbibus et castéllis, id est, et magnis et parvis, Evangélium prædicáverit; ut non consideráret nobílium poténtiam, sed salútem credéntium. Circuíbat civitátes, hoc habens óperis quod mandáverat Pater, et hanc esúriem ut doctrína sua salvos fáceret infidéles. Docébat autem in synagógis et villis Evangélium regni, et post prædicatiónem atque doctrínam curábat omnem languórem, et omnem infirmitátem; ut quibus sermo non suáserat, ópera persuadérent.

℟. Iste est qui. **Lectio viij.**

De Dómino própie dícitur: Curans omnem languórem et omnem infirmitátem, nihil

quippe ei impossíbile est. Videns autem turbas misértus est eis. Vexátio gregis et óvium atque turbárum, pastórum culpa, et vítium magistrórum est. Unde séquitur: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Messis multa populórum signíficat multitúdinem: operárii pauci, penúriam magistrórum. Et ímperat ut rogent dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. ℞. Sint lumbi.

Lectio ix.

Isti sunt operárii, de quibus lóquitur Psalmísta, dicens: Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent: Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. Et ut apértius loquar: Messis multa omnis turba credéntium est; operárii autem pauci, et Apóstoli, et imitatóres eórum qui mittúntur ad messem.
Te Deum laudámus.

DIE III. JULII.

S. Martialis *Episcopi et Confess. Duplex.* **Oratio.**

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Martiálem Confessórem tuum atque Pontíficem plebi tuæ sanctæ præésse voluísti: quæsumus, ut ejus suffragántibus méritis, pietátis tuæ grátiam largiáris. Per Dóminum.
Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Martiális, unus de septuagínta Christi discípulis, ac puer ille fuísse tráditur, qui quinque panes hordeáceos et duos pisces attulísse in Evangélio memorátur. Ex Oriénte cum sancto Petro Apóstolo Romam venit, et ab eódem in Gállias causa propagándi Evangélii missus, Lemovicénses, Tolosános, Burdigalénses, Cadurcénses et Aquitános, atque álios pópulos christiánam religiónem edócuit: unde Galliárum est dictus Apóstolus. Admóto báculo sancti Petri, quem ab eo Romæ accéperat, mórtuum redúxit in vitam. Tandem post multa præclára sanctitátis et doctrínæ ópera in cœlum migrávit. ℞. Invéni David.
Lectio v. et vj. Beáti patris Martiális. *de Communi ij. loco.*
In iij. Noct. Homilia. Ut ignorántiam. *de Communi ij. loco.*

Imprimatur.
Tornaci, die 26 Septembris 1884.
G. Bouvry, Vic. Gen.

250



Typis Soc. S. Joannis Ev. Desclée, Lefebvre et Soc. (Tornaci.) — 1884.

DIE XXIX. JULII.
B. Urbani II.
Papæ et Confess. Duplex.
Oratio.

Domine Jesu Christe, qui beáto Pontífici Urbáno pro Ecclésiæ tuæ libertáte et décore felíciter decertáre tribuísti, eúmque ad rediménda ab infidéliũ potestáte tuæ vitæ mortális et passiónis monuménta per virtútem Crucis roborásti: concéde, ut ipsíus intercessióne, contra hostes ánimæ nostræ dimicántes in terris, ætérnæ glóriæ bravíum accípere mereámur. Qui vivis et regnas.

Lectiones j. Nocturni de Scriptura occurrente.
In secundo Nocturno.
Lectio iv.

SÆculo undécimo, fervénte luctuosíssimo dissídio Ecclésiam inter et Impérium, non minóri fortitúdine quam céteri Pontífices, qui per ea témpora Románam obtinuérunt sedem, enítuit Urbánus secúndus, Odo ántea vocátus, e nóbili família apud Castelliónem supra Matrónam non procul a Rheménsi urbe ortus. Is Brunóne magístro, celebérrimo póstea Carthusianórum institutóre, philosóphicis ac theológicis stúdiis óperam dedit, et ob egrégias virtútes in Ecclésia Rheménsi canonicátu potítus est. At sæculi curas pertæsus, ac régulam sancti Benedícti proféssus, primum in Cluniacénsi, dein in Bainsonénsi et Cavénsi cœnóbiis religiosíssime conversátus est. Vestígia sequútus sancti Gregórii séptimi, viri ópere et sermóne poténtis, a quo in majóribus Ecclésiæ negótiis adhíbitus fúerat, atque Epíscopus Ostiénsis et sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális creátus, pari ánimi constántia ac fortitúdine jura Ecclésiæ contra láicam potestátem vindicávit.
℟. Invéni David.

Lectio v.

Summus Póntifex renuntiátus, Cassíni montem invísit, sacras ibi beatíssimi patris Benedícti exúvias veneratúrus, ejúsque ope a lápidis morbo, quo diu laboráverat, insígni prodígio sanátus fuit. Cavénsis monastérii ecclésiam et sancti Nicolái Barénsis basílicam consecrávit, ibíque corpus ejúsdem thaumatúrgi magna cum solemnitáte repósuit. In eádem Barénsi basílica insígne concílium hábuit, ut Græcórum erróres confutáret, doctíssimis præsértim usus arguméntis, quibus sanctus Ansélmus Archiepíscopus Cantuariénsis fidem cathólicam asséruit. Aliis prætérea divérsis in locis convocátis concíliis, ecclesiásticæ disciplínæ observántiam strénue curávit. Sed ómnium celebérrimum fuit Claromontánum concí-

lium, in quo illárum sacrárum expeditiónum felicíssimo succéssu auctor éxstitit, quæ ex salutíferæ Crucis Christi signo, quo decorabántur, Cruciatárum nómine fuérunt appellátæ. Ac sane mirum est Pontíficem páuperem, uti erat tunc Urbánus, absque regum ope, sine ulla exactióne, aut tribúto, tam ingéntem príncipum virorúmque nobílium, ac ceterórum ex omni órdine, statu et regno multitúdinem congregásse, qui ad diffícilem ádeo expeditiónem sponte et álacri ánimo properárent; quibus pro stipéndio sola proponebátur peccatórum indulgéntia, et sola spes vitæ ætérnæ pro præmio.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Beátam Dei Genitrícem singulári obséquio prósequens, speciálium precum in ejus honórem recitatiónem cléricis æque ac láicis ea occasióne indíxit, ut qui fidéles suscipiéndæ expeditióni ímpares essent, mílites pro religiónis causa dimicántes saltem oratiónibus adjuvárent. Hinc et cultus beátæ Maríæ, qui hodiéque in Sábbato celebrári solet, ab eo institútus fuísse perhibétur. Post plúrimos autem labóres pro Ecclésia superátos, Romæ, quæ jam cum tota Itália ab Henríci imperatóris oppressióne eváserat, universáli quoque Ecclésia in tranquilliórem statum revocáta, tandem meritórum magis quam diérum plenus, anno millésimo nonagésimo nono, die vigésima nona Júlii gloriósa justórum morte quiévit, cum Petri cáthedram tenuísset annos úndecim, menses quátuor, dies decem et octo. Corpus ex ædibus Petri Leónis apud sanctum Nicoláum in Cárcere ad basílicam Vaticánã delátum est, ibíque inter totíus Urbis luctum et tristítiam honorífice cónditum. Cultum usque ab immemorábili témpore beáto Urbáno secúndo exhíbitum Leo décimus tértius Póntifex máximus ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto ratum hábuit et confirmávit, atque Offícium cum Missa, in ejus honórem quotánnis celebrándum clero Románo, Rheménsi ac Tolosáno benígne indúlsit.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno, Homilia. Ut ignorántiam. *de Communi ij. loco.*

Imprimatur.
Tornaci, die 26 Septembris 1884.
G. Bouvry, Vic. Gen.

DIE IX. OCTOBRIS.
B. Joannis Leonardi
Conf. Duplex.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum ad fidem in géntibus propagándam mirabíliter excitáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidélibus novam in Ecclésia tua famíliam congregásti : da nobis fámulis tuis; ita ejus institútis profícere, ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes Leonárdi in óppido Décimi non longe a Lucénsi urbe piis et honéstis ortus paréntibus, jam inde a prima ætáte, solitúdinis et precatiónis amóre, grave quiddam ac matúrum præ se tulit. Annos natus vigínti sex a Deo vocátus ad ecclesiásticæ milítiæ nomen dandum, sæculáribus curis íllico núntium remísit. Ac primo inter púeros Latínæ línguæ rudiméntis instrúctus, deínde in lítteris et philosóphicis ac theológicis disciplínis ádeo profécit, ut vix acto quadriénnio ad sacerdótium ex obediéntia promótus fúerit. Multo alácrius tunc ad Domínici agri cultúram se convértit, et áliquot nactus bonæ índolis nóbiles júvenes, cum eos ad virtútis perfectiónem sédulo exercuísset, insequénti anno congregatiónem instítuit clericórum Regulárium, quam a Matre Dei, ob incénsum erga ipsam suæ devotiónis afféctum, nuncupávit. Mox eórum cura et zelo explicáta púeris ac rúdibus christiánæ doctrínæ præcépta, flagitiósi ad justítiæ sémitam tradúcti, puellárum castitáti consúltum, pia erécta sodalítia, frequens invéctus sacramentórum usus, tántaque perácta est animórum commutátio, ut cum in Lucénsi república, hæreticórum præsértim perfidiósis ártibus, ardérent cívium ódia, profligatíque essent mores, ibídem brevi témpore primæva christianórum píetas revixísse viderétur.
℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Tam salutárium óperum causa íncidit Joánnes in acérrimas insectatiónes hóminum nequam, qui eum ac sócios, étiam apud Pontíficem máximum, fictis criminatiónibus impeténtes, recens coáctam famíliam pérdere omni ope nitebántur. Adeo, instigánte dæmone, effér-buit procélla, ut religiósi sodáles omni ad victitándum subsídio priváti, dejectíque e suis ædibus, álio perfúgium quærere coácti fúerint. Sed aquæ multæ nunquam potuérunt exstín-

guere caritátem viri Dei, qui præcláre sibi actum ducébat si quídlibet pro Jesu Christi nómine paterétur. Impetráta a summo Pontífice Gregório decimotértio suæ congregatiónis confirmatióne, apostólici sui labóris fructus constánter servávit, imo vel ultra pátriæ reipúblicæ fines ubérrime auxit. Ob cógnitã in árduis étiam negótiis singulárem ejus prudéntiam, sæpe, magno ubíque cum animárum bono, nedum ab Epíscopis adhíbitus est ad relevándas componendásque ecclesiárum res, sed et Románi Pontíficis auctoritáte delegátus ad intricáta litígia diriménda, et ad religiósas famílias reformándas. Páriter sancto Josépho Calasánctio, ejúsque pene collápsæ societáti præsto fuit. Haud levem quoque impéndit óperam negótiis nosocomíi sancti Spíritus in Sáxia, et moniálibus oblátis sanctæ Franciscæ Románæ excoléndis.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Gráviter dolens gentes ádeo plúrimas remótis in regiónibus sedére adhuc in ténebris, luce Evangélii caréntes, inflammabátur desidério migrándi in illas oras ad lumen veræ religiónis effundéndum. At cum intellexísset a sancto Philíppo Nério (a quo verus reformátor dicebátur) se suámque congregatiónẽ ad instituéndos Itáliæ pópulos destinári, divínæ acquiévit voluntáti; mínime tamen abstínuit quin, si áliquam infidélibus opem afférre posset, experirétur. Hinc Præsuli Vives piíssimo se adjúnxit, initísque cum eo consíliis cœtum instítuit Presbyterórum, quibus propósitum esset idóneos informáre adolescéntes in díssitas regiónes subínde mitténdos ad fidem propagándam : quare mérito véluti auctor censétur præclaríssimi illíus institúti, quod summórum Pontíficum ópera amplificátum, proferéndæ per univérsum orbem cathólicæ fídei mirabíliter insérvit. Plura ópera de re sacra et moráli conscrípsit cuívis hóminum conditióni accommodatíssima. Dénique a sacro ministério nunquam defíciens, cum tota vitæ ratióne non modo suis, sed et univérso clero præluxísset exémplo, in cínere et cilício ad Dóminum migrávit Romæ, die nona Octóbris anno millésimo sexcentésimo nono, ætátis sexagésimo sexto. Quem sanctitáte, divínis donis et miráculis illústrem Pius nonus summus Póntifex Beatórum fastis accénsuit.

℟. Iste homo.

In iij. Noct. Homil. Dñus et Salvátor. *de Comm. Evang. cum* ℟℟. *de Conf. non Pont.*

Imprimatur.
Tornaci, die 26 Septembris 1884.
G. Bouvry, Vic. Gen.

OFFICIA PROPRIA

DIOECESIS SUESSIONENSIS

PARS HIEMALIS.



DECRETUM APPROBATIONIS

SUESSIONEN.

Ut Kalendarium perpetuum cum Proprio Officiorum et Missarum anno 1851 a Sa. me. Pio Papa IX approbatum in usum diœceseos Suessionen. ad accuratiorem formam redigeretur ac simul additamenta et variationes quæ, volventibus annis, in ea locum habuerunt ad tramitem rubricarum et decretorum plane disponerentur; Rmus Dns Odo Thibaudier, hodiernus Episcopus, votis etiam suæ Cathedralis ecclesiæ Capituli obsecundans, Kalendarium ipsum cum Proprio reformare studuit, quod supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papæ XIII sanctioni demissime subjecit.

Quum vero Sanctissimus idem Dominus Noster ejusmodi novi Kalendarii ac Proprii examen commiserit Sacræ Rituum Congregationi; hæc omnibus accurate perpensis, exquisito etiam voto alterius ex Rmis consultoribus ipsius Sacræ Congregationis, propositum Kalendarium et Proprium a se correctum et ordinatum, prouti in superiori exemplari prostat, probari posse censuit. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua ratam habens, concessit ut ab omnibus de clero Suessionen. diœceseos tam sæculari quam regulari, diœcesano Kalendario utentibus, præfatum Kalendarium et Proprium in recitatione Horarum Canonicarum et sacrosancti Missæ Sacrificii celebratione in posterum unice adhibeatur : injuncto tamen onere ut statim ac hæc omnia typis impressa fuerint, duplex eorumdem authenticum exemplar ad ipsam Sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 26 junii 1884.

D. Cardinalis BARTOLINIUS S. R. C. PRÆFECTUS.
LAURENTIUS SALVATI S. R. C. *Secretarius*.

BOURLOTON. — Imprimeries réunies, B.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS

DD. ODONIS THIBAUDIER

EPISCOPI SUESSIONENSIS ET LAUDUNENSIS,
REMENSIS PROVINCIÆ DECANI ET PRIMI SUFFRAGANEI,
PRÆLATI DOMESTICI,
ASSISTENTIS SOLIO PONTIFICIO ET COMITIS ROMANI,


AUCTORITATE,

NECNON VENERABILIS EJUSDEM ECCLESIÆ CAPITULI
CONSENSU ET OPERA,

CUM S. SEDIS APOSTOLICÆ APPROBATIONE

EDITA

PARS HIEMALIS



PARISIIS

APUD ROGER ET CHERNOVIZ, EDITORES

7, VIA DES GRANDS-AUGUSTINS, 7

1885

LICENTIA

ET APPROBATIO ORDINARII

ODO THIBAUDIER

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

EPISCOPUS SUESSIONENSIS ET LAUDUNENSIS

PROVINCIÆ REMENSIS DECANUS ET PRIMUS SUFFRAGANEUS.

PRÆLATUS DOMESTICUS, ASSISTENS SOLIO PONTIFICALI, COMES ROMANUS:

Commendatissimis Nobis viris Roger et Chernoviz, bibliopolis parisiensibus, licentiam dedimus typis mandandi Kalendarium perpetuum et Officia propria Sanctorum diœcesi nostræ a SS. Domino Nostro Leone Papa XIII specialiter concessa die 26ᵃ junii 1884.

Cumque Nobis constet per presbyteros à Nobis deputatos Kalendarium istud et Officia propria jam excusa, diligenti collatione facta, cum originali concordare, approbavimus illaque evulgandi licentiam dedimus.

Datum Suessione, sub signo sigilloque Nostris ac Secretarii curiæ Episcopalis Nostræ subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo quinto, die vero mensis Februarii undecima.

† ODO

Episc. Suessionen. et Laudunen.



De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi D.D. Episcopi Suessionensis et Laudunensis

LEDOUBLE

Can. hon. secretarius.

KALENDARIUM PERPETUUM

ET

PROPRIUM OFFICIORUM

IN USUM

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

A SACRA RITUUM CONGREGATIONE APPROBATUM ANNO 1884

PARS HIEMALIS

NOVEMBER

29 Vigilia S. Andreæ Ap. *Comm.* S. Saturnini Mart.
30 Andreæ Apost. *Dupl. II* Cl.

DECEMBER

1 Eligii, Episc. Conf., *dupl. maj.*
2 Bibianæ, Virg. M., *semid.*
3 Francisci Xaverii, Conf., *duplex.*
4 Petri Chrysologi, Episc. et Doct., *Dupl. Comm.* S. Barbaræ, Virg. M.
5 Sabbæ Abb. *simpl.*
6 Nicolai, Episc. Conf., *duplex.*
7 Ambrosii, Episc. Doct., *dupl. Comm.* Vigil. in Missa tantum.
8 Immaculata Conceptio B. M. V. *Duplex I Cl.* cum Octava.
9 De Octava. *Comm.* S. Leocadiæ Virg. M.
10 Edibii, Episc. Suess et Conf., *dupl. Comm.* Octav. et S. Melchiadis, Pap. et M.
11 Damasi, Pap. Conf., *semid. Comm.* Oct. et SS. Fusciani, Victorici et Gentiani, Mart.
12 De Octava, *semid.*
13 Luciæ, Virg. M., *duplex. Comm.* Oct.
14 De Octava, *semid.*
15 Octava Immac. Concept., *duplex.*

16 Eusebii, Episc. Mart., *semid.*
17
18 Expectatio partus B. M. V., *duplex maj.*
19
20 Vigilia. S. Thomæ ap.
21 Thomæ Apostoli., *dupl. II Cl.*
22
23
24 Vigilia Nativitatis D. N. J. C.
25 Nativitas D. N. J. C., *duplex I Cl.* cum Octav.
26 Stephani Protom., *duplex II Cl.* cum Oct. *Comm.* Octav.
27 Joannis apostoli, *duplex II Cl.* cum Oct. *Comm.* Octav.
28 Innocentium, *duplex II Cl.* cum Oct. *Comm.* Octav.
29 Thomæ Cantuariensis, Episc. Mart., *semid. Comm.* Octav.
30 De Octava vel de Domin. infra Octav. Nativ., *semid. Comm.* Octav.
31 Sylvestri, Papæ Conf., *duplex. Comm.* Octav.

JANUARIUS

1 Circumcisio D. N. J. C., *dupl. II Cl.*
2 Octava S. Stephani Protom., *dupl. Comm.* Octav.
3 Octava S. Joannis Apostoli, *dupl. Comm.* Octav. et S. Genovefæ, Virg.
4 Octava SS. Innocentium, *duplex. Comm.* S. Rigoberti, Episc. conf.
5 Vigilia Epiphaniæ. *Comm.* S. Telesphori, Pap. et M.
6 Epiphania Domini, *dupl. I Cl.* cum Octava.
7 De Octava, *semid.*
8 *Id.*
9 *Id.*
10 *Id.*
11 *Id. Comm.* S. Hygini, Pap. et M.
12 De Octava, vel de Domin. infr. Oct., *semid.*
13 Octava Epiphaniæ, *duplex.*
14 Hilarii, Ep. et Doct., *duplex. Comm.* S. Felicis, Presb. Mart.
15 Pauli, primi Eremitæ, *duplex. Comm.* S. Mauri. Abb.
16 Marcelli, Pap. Mart., *semid.*
17 Antonii Abb., *duplex.*
18 Cathedra S. Petri Apost. Romæ, *dupl. maj. Comm.* S. Pauli Ap. et S. Priscæ, Virg. Mart.
19 Canuti, regis et Mart., *semid* ad libitum. *Comm.* SS. Marii et Soc. Martyrum.
20 Fabiani Pap. et Sebastiani, MM., *duplex.*
21 Agnetis, Virg. Mart., *duplex.*
22 Vincentii et Anastasii Mm., *semid.*
23 Desponsatio B. M. V., *duplex maj. Comm.* S. Josephi et S. Emerentianæ, Virg. M.
24 Timothæi, Episc. Mart., *duplex.*
25 Conversio S. Pauli Ap., *duplex maj. Comm.* S. Petri Ap.
26 Polycarpi, Episc. Mart., *duplex.*

27 Joannis Chrysostomi Episc. et Doct., *dupl. Comm.* S. Theodorici, Episc. Conf.
28 Agnetis secundò *simpl.*
29 Francisci Salesii Episc. et Doct., *duplex.*
30 Bathildis, Regin. Vid., *semid.*
31 Petri Nolasci Conf., *duplex.*

FESTA MOBILIA

Dom. II post Epiph. SS. Nominis Jesu, *dupl. II Cl. Comm.* Dom.
Feria III post Septuag. Orationis D. N. J. C. in Monte Olivar. *dupl maj.*
Feria III post Sexag. Comm. Passionis D. N. J. C., *duplex maj.*
Feria VI post Cineres. Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C., *dupl. maj. Comm.* Fer.

FEBRUARIUS

1 Ignatii, Episc. Mart., *dupl. Comm.* S. Præcordii, Conf.
2 Purificatio B. M. V., *dupl. II Cl.*
3 Blasii, Episc. Mart., *simplex.*
4 B. Joannæ Valesiæ Reg. Vid., *duplex.*
5 Agathæ Virg. Mart., *dupl. Comm.* S. Vodoali Conf.
6 Vedasti, Episc. Conf., *duplex. Comm.* S. Dorotheæ Vm.
7 Romualdi, Abb., *duplex.*
8 Joannis de Matha, Conf. *duplex.*
9 Cyrilli Alexandrini, Episc. et Doct., *duplex.*
10 Scholasticæ Virg., *duplex.*
11 Gaudini Episc. Suess. Mart., *duplex.*
12 Andreæ Corsini, Epis. Conf. (dies aff. è 4 huj.), *duplex.*
13 Guillelmi, Episc. Conf., *semid. Comm.* S. Gilberti, Episc. Conf.
14 Titi, Episc. Conf., *dupl. Comm.* S. Valentini, Presb. Mart.
15 Raymundi de Pennafort, Conf. (dies aff. è 23 januarii), *semid.*
16 Martinæ Virg. M. (dies aff. è 30 januarii), *semid.*
17
18 Simeonis Episc. Mart., *simpl.*
19
20
21
22 Cathedra S. Petri Ap. Antiochiæ, *dupl. maj. Comm.* S. Pauli Ap.
23 Petri Damiani, Ep. Conf. et Doct., *dupl. Comm.* Vig.
24 Mathiæ, Apost., *dupl. II Cl.*
25
26
27
28

In anno Bissextili, Februarius habet dies 29 et tunc de S. Mathiâ fit die 25.

MARTIUS

1
2 Macræ Virg. Mart., *semid.*
3
4 Casimiri, Conf., *semid. Comm.* S. Lucii, Pap. M.
5 Drausii, Episc. Suess. et Conf., *duplex.*
6
7 Thomæ Aquinatis, Conf. et Eccles. Doctoris, *dupl. Comm.* SS. Perpetuæ et Felicitatis Mm.
8 Joannis de Deo, Conf., *duplex.*
9 Franciscæ Romanæ, Vid., *duplex.*
10 Quadraginta Martyrum, *semid.*
11
12 Gregorii Papæ Conf. et Doct., *duplex.*
13

DE SANCTIS PATRONIS

DIŒCESEOS,

IN SUFFRAGIIS.

In Laudibus. Ant. Intercéssio, Dómine, nobis sanctórum Gervásii et Protásii mártyrum tuórum succúrrat, atque nos ubíque prótegat et defféndat, ut ambórum précibus ab ómnibus malis liberémur.

In Vesperis. Ant. Mártyres gloriósi, Gervási et Protási, imploráte pro nobis ut voluntátem Dómini in ómnibus adimplére valeámus; et dum vestram commemoratiónem méntibus devótis celebrámus, vestris quoque précibus, grátiam Dómini ac vitam ætérnam adipísci mereámur.

℣ Justórum animæ in manu Dei sunt.

℟ Et non tanget illos torméntum malítiæ.

ORATIO.

Deus, qui nos sanctórum Mártyrum tuórum Gervásii et Protásii commemoratióne lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

PARS HIEMALIS

FESTA MOBILIA

FERIA III

POST DOMINIC. SEPTUAGESIMÆ

ORATIONIS D. N. J. C.

IN MONTE OLIVETI

Duplex maj.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis.

FERIA III

POST DOMINIC. SEXAGESIMÆ

COMMEMOR. PASSIONIS D. N. J. C.

Duplex maj.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis.

FERIA VI

POST CINERES

SS. SPINEÆ CORONÆ D. N. J. C.

Duplex maj.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis.

FESTA SANCTORUM PROPRIA

IN FESTIS

SANCTORUM EPISCOPORUM CONFESSORUM SUESSIONENSIUM ET LAUDUNENSIUM

quæ suo loco inter festa propria reperiuntur.

ORATIO

OMNIPOTENS Deus, qui Beátum N..... antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat verbo et exémplo prodésse voluísti; eódem intercedénte: pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

HYMNUS

Qui dicitur in utrisque Vesperis et Laudibus.

CHRISTE, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequéntat.

ILLE non vano ténuit treméndam
Spíritu sedem, próprio nec ausu;
Sed sacrum jussus, Dómino vocánte,
Sumpsit honórem.

STRENUUM bello púgilem supérni
Chrísmatis pleno tuus unxit intus
Spíritus cornu, posuítque sanctam
Páscere gentem.

FIT gregis pastor, pater atque forma,
Lætus impéndit sua seque, servus
Omnium, curis gravis, omnibúsque
Omnia factus.

PRO reis orat, réficit geméntes
Erigit lapsos, tenebrásque pellit;
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.

FAC ut illíus précibus juvémur,
Christe; fac Patrem, paritérque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

FESTA DECEMBRIS

DIE I

S. ELIGII PONT. ET CONF.

Duplex maj.

Omnia de Communi Conf. Pontif. præter sequentia.

ORATIO

Deus qui beátum Elígium, páuperum patrem, et glóriæ sanctórum zelatórem exímium, in Ecclésia tua suscitásti : da, quæsumus; ut pietátem et charitátem ejus æmulántes, cum ipso mercédem obtinére mereámur. Per Dóminum.

In I Vesp. fit comm. Fer. Adv.

AD MATUTINUM

IN I NOCTURNO

Lect. de Communi, primo loco, Fidélis sermo.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Eligius Lémovix, aurífaber indústrius, relícta pátria, in Fránciam se cóntulit : ubi perítiæ suæ fama, Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram sacerdóte; et perácta gravi pœniténtia, de reconciliatióne sua divínitus cértior factus est. Ex eo témpore, in ópera pietátis omni stúdio incúbuit; nam étiam cum artem exercébat, subínde in sacros códices intendébat óculos, ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébant humánis. Quidquid vero arte sua comparábat, illud totum fovéndis egénis et captívis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio rediméndis, erogábat. Hinc tantus ad eum páuperum concúrsus, ut quæréнти domum Elígii dicerétur : Ubi páuperum cœtum conspéxeris, illic et Elígium repéries. Intra domum autem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera canónicum cursum fidéliter adimplébant.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

Clotario accéptus fúerat : non minus accéptus fuit et Dagobérto, a quo ad Aremoricórum regem, pacis componéndæ causa, missus, reges ambos felíci fœdere sociávit. Vária ejus hortátu et impénsis extrúcta sunt templa et monastéria. Solemniacénse in Lemovícibus cœnóbium cóndidit;

Parísiis monastérium vírginum, ad quarum córpora sepeliénda Ecclésiam sancti Pauli construxit. Instaurávit ibídem basílicam beáti Martiális, in quam cum sancti Epíscopi relíquiæ deportaréntur, procederéntque juxta cárcerem, ex Elígii consílio, psalléntium chori, óstia obseráta vinctis cœlitus patuérunt. Plúrima divérsis tempóribus auro, argénto et gemmis ornávit sepúlcra sanctórum, Germáni vidélicet, Severíni Agaunénsis, Martíni, Quintíni, Crispíni et Crispiniáni, Genovéfæ et aliórum; et mausolæum ímprimis mártyris Dionysii, miro artifício decorávit. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoniácam labem quæ altas in Gállia radíces égerat, junctis cum Audoéno stúdiis, extirpávit; effecítque cum eo, ne quis deínceps epíscopus eligerétur, nisi qui integritáte morum cæteris præfulgéret.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : *Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum : óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

Tot in Ecclésiam méritis clarus, mórtuo Achário, diœcési Novioménsi præpósitus est. In eo órdine non modo salúti gregis sibi commíssi consúluit, sed et Flandros ac Frísios aliósque ad Septentriónem pópulos, non sine magno labóre et vitæ discrímine, ad Christum addúxit. Noviómi extrúxit monastérium, ubi et congregatiónem magnam, et vitæ institutiónem distríctam índidit. Sed et ália multa monastéria, tum ejus ópere, cum a discípulis ejus constrúcta intra Gállias noscúntur. Sedit in concílio Cabilonénsi secúndo. Multa præcláre scripsit; ejécit dæmones, futúra prædíxit; áliis miráculis illústris, Noviómi óbiit septuagenárius. Ejus funus Regína Bathíldis, pede, nec sine lácrymis, cum líberis et tota família prosecúta est.

℣. Iste est qui.

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII *Cap.* 24

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Elígii Epíscopi.

S. Aud. in ejus vita. Lib. 2, *c.* 15.

Considerate, fratres, quia opórtet me sine cessatióne vestros ánimos ad treméndum Dei judícium, et ad desiderándum cœléste præmium excitáre, ut vobíscum páriter mérear in Angelórum consórtio, perpétua pace gaudére : ideóque rogo ut diem judícii semper pertimescátis, diem mortis suspéctum quotídie ante óculos habeátis. Consideráte quales éritis præsentándi conspéctibus Angelórum, vel qualem pro méritis vicissitúdinem receptúri : si potuéritis in illo die illibátum reférre quod in baptísmo promisístis. Mementóte quia tunc pactum cum Deo fecístis, atque abrenuntiáre vos diábolo et ómnibus opéribus ejus in ipso Baptísmi sacraménto promisístis.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : *Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lóricam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

LECTIO VIII

Ecce prædixi vobis simplíciter, ut intellígere possítis quæ sunt unicuíque ventúra. Nemo jam se de ignorántia excusáre póterit, quóniam vita et mors vobis prænuntiáta sunt. Jam vero in arbítrio vestro consístit elígere quod teneátis : unusquísque enim quod hic concupíverit et assecútus fúerit, hoc útique illic possidébit. Vitam ergo ætérnam toto nisu concupíscite : nec emendatiónem vestram diútius differátis, sed ad lucránda cœléstia regna ultro ipsi relínquite, quod in lucis istíus fine perdéndum est. Surgat, jam quæso, quicúmque peccáti caténa astríctus tenétur; et expergefáctus a somno suæ mortis, evígilet : recúrrat ad confessiónem, et agat pœniténtiam.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : *Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

LECTIO IX

Hæc nos, fratres, diébus ac nóctibus memória refóveat : hæc nos præcépta frequénter sollícitent. Débitum vitæ finem jamjámque affutúrum putémus; vicínumque sperémus mortis diem, quem longínquum esse nescímus.

Modo emendémus quod delíquimus, ne tunc pœnitére incipiámus, quando jam non valébimus. Erit quidem et in inférno pœniténtia, sed omníno infructuósa. Erit ibi pœniténtia dolórem habens, sed jam medicínam non habens : ibíque nullátenus póterit a Deo promeréri quod petit, qui hic nolúerit audíre quod Deus jussit.

Te Deum laudámus.

In Laudib. fit commem. Feriæ.

In II Vesp. comm. sequentis (in Breviario), *et Feriæ.*

DIE IX

COMMEM. S. LEOCADIÆ. VIRG. ET MART.

Oratio Indulgéntiam nobis, *de Communi.*

LECTIO IX

LEOCADIA, virgo Toletána, in persecutióne Diocletiáni imperatóris, a præfécto Hispaniárum Daciáno in cárcerem detrúsa est. Ibi cum prælia victoriámque beátæ Euláliæ et aliórum mártyrum audivísset, pósitis in terram génibus, Deum eníxe orávit ut ejúsdem glóriæ párticeps fíeret; sed inter orándum, Christo spíritum réddidit. Sarracénis Hispánias vastántibus, venerándum ejus corpus in Gállias delátum, aliquándiu Suessióne requievísse tráditur. Unde pars quædam Reliquiárum ejus ad Vicum-super-Axónam allàta, primum in cella Sanctæ Leocádiæ dicta pósita est, póstea vero parochiálem ejúsdem Vici ecclésiam illustrávit. Bellis autem sæviéntibus, sæculo décimo sexto, in cella Priorátus Longi-Prati cóndita fuit. Unde circa finem sæculi décimi octávi in ecclésiam paróchiæ Haramóntii ubi nunc asservátur transláta est, et anno millésimo octingentésino tértio, os maxillæ inferióris dono fuit restitútum ecclésiæ Vici-ad-Axónam.

Te Deum laudámus.

In Laudib. fit comm. Feriæ et S. Leocadiæ.

DIE X

S. EDIBII EPISC. SUESS. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

Ad utrasque Vesperas et ad Laudes hymnn. Christe Pastórum, *ut in capite hujus Proprii.*

ORATIO

OMNIPOTENS Deus, qui Beátum Edíbium an-

tístitem nostrum, pópulo tuo præésse, et quibus præerat verbo et exémplo prodésse voluísti; eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

Comm. 1° *Octavæ*, 2° *Feriæ*, 3° *S. Melchiadis, Papæ et Mart.* (in Breviario).

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

EDIBIUS, Luboáno et Onésimo Suessiónum Epíscopis, sub quibus ministráverat, succéssit, cum Hunnorum rex Attila Gálliæ imminéret. Ut audívit pius Póntifex regem bárbarum, transmísso Rheni flúmine, captísque Tréviris, ad expugnándam Augústam Viromanduórum iter convertísse, jugi prædicatióne pópulum adhortátus est, ut, ad procéllam hanc averténdam, salutáris pœniténtiæ flétibus iram Dei flécterent.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : *Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

LECTIO V

NUMQUAM addúci pótuit ut gregem suum deséreret, quidquid minarétur Attila, qui, obséssο jam Laudúno, Remórum Suessionúmque fines intráverat. Imo vero, boni pastóris partes tunc máxime agens, térritos cives solabátur; et hostíli exércitu Suessiónum urbem cingénte atque urgénte, cœléstis auxílii vadem se præstáre non dubitávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

SANCTUM Præsulem sua spes non feféllit. Nam cum nulla ope humána liberári posset cívitas, et jamjam expugnánda viderétur, Attila ab occupándæ urbis consílio déstitit, ut Gothis, ántequam Lígerim ad Aureliános trajícerent, óbviam iret. Hinc Edíbius ad mortem usque Ecclésiam suam pacífice rexit. Obiit circa annum quadringentésimum septuagési-

mum secúndum, sepultúsque est ad Sanctum Crispínum Majórem, prope Mártyres, quórum patrocínium vivens magna fide ambíerat.

℟. Iste est,

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Vigiláte *de Communi, 2° loco.*

In Laudibus comm. 1° Octavæ, 2° Feriæ, 3° S. Melchiadis.

In II Vesp. comm. 1° sequentis (in Breviario); *2° Octavæ*; *3° Feriæ, 4° SS Fusciani, Victorici et Gentiani martyrum*; *Oratio :* Deus qui nos concédis *de Communi.*

DIE XI

COMMEMORATIO SS. FUSCIANI, VICTORICI ET GENTIANI MART.

LECTIO IX

Fuscianus et Victorícus, ipso témpore quo beátus Quintínus in Ambianénsi prædicábat urbe, apud Morínos prima fídei fundaménta jecérunt. Audíta gravi persecutióne quam in Christiános exercébat Rictióvarus apud Virománduos, Suessiónes et Remos, iter ad Ambiános suscepérunt, Quintínum invisúri. Verum óbvius illis senex, Gentiánus nómine, nondum baptizátus, sed a Deo ante tríduum ad amplecténdam fidem impúlsus, mónuit advénas Quintínum ante duos et quadragínta dies pro Christo mortem subiíse, eósque hospítio excépit. Quod ubi rescívit Rictióvarus præféctus, Gentiánum cápite plecti, Fusciánum et Victorícum astríctos ferro Ambiános dedúci, et cárcere inclúdi jussit. Váriis ibi affécti sunt suplíciis, quibus cum Mártyrum constántia nihil minuerétur, eórum tandem cápita judex præcépit amputári. Quarum partem Reliquiárum ecclésia urbis Sancti Quintíni servat et venerátur.

Te Deum laudámus.

In Laudibus commemorat. 1° Octavæ, 2° Feriæ, et 3° SS. Martyrum.

DIE XVIII

IN EXPECTATIONE PARTUS B. M. V.

Duplex-majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis, et fit comm. Feriæ.

DIE XXVI

PRO COMMEM. OMNIUM SS. MARTYRUM

PRIDIE IN VESPERIS

Post comm. S. Stephani.

Ant. Isti sunt sancti quos elégit Dóminus in charitáte non ficta; dedit illis glóriam sempitérnam.

℣. Justi epuléntur et exúltent in conspéctu Dei. ℣. Et delecténtur in lætítia.

ORATIO

Deus, qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum : réspice ad preces humilitátis nostræ; ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

AD LAUDES

Post comm. Nativit.

Ant. Sancti tui, Dómine, semper benedícant te, et glóriam regni tui dicant.

℣. Mirábilis Deus in Sanctis suis. ℟. In Sanctis ejus laudáte Deum.

Oratio ut supra.

IN II VESPERIS

Post comm. Nativ.

Ant. Dico autem vobis amícis meis, ne terreámini ab his qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere.

℟. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Apud Dóminum est merces eórum.

Oratio ut supra.

FESTA JANUARII

DIE III

COMMEM. S. GENOVEFÆ VIRG.

ORATIO

Effúnde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti : ut sédula ejus æmulatióne, tibi sincére obsequéntes fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum.

LECTIO IX

Genovefa, Nemptodúri in agro Parisiénsi nata propter exímiam virtútem quæ a téneris annis in ea cláruit, a Germáno Autissiodorénsi in vírginem consecráta est adhuc septénnis. Anno ætátis quindécimo, velum religiónis suscépit. Crevit exínde in dies ejus in Deum píetas. Jugis erat orátio, abstinéntia incredíbilis, patiéntia inter malevolórum calúmnias semper invícta. Cives Parisiénses, Attila Gállias vastánte, incólumes fore prædíxit, quod quidem suis précibus a Deo obtínuit. Grassánte deínde fame, magna fruménti cópia urbem et páuperes innúmeros abúnde sustentávit. Audíta miraculórum fama, Símeon

Stylites ejus se précibus vóluit commendári. Plena diérum et virtútum, prope nonagenária óbiit. Lutétiæ sepúlta est in basílica Sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, quæ subínde ipsíus Genovéfæ nomen accépit. Ejus Relíquiæ propter bella Normannórum, in Marísiacam villam pagi Suessiónici deportátæ, ibídem per quinquénnium quievérunt.

Te Deum laudámus.

In Laud. commem. SS. Innocent. et S. Genovefæ.

DIE IV

COMMEM. S. RIGOBERTI CONF. PONT.

Oratio, Da quæsumus, *de Communi.*

LECTIO IX

Rigobertus in regióne Ripuariórum natus, Ecclésiæ Reménsis creátus est archiepíscopus. Quam adéptus dignitátem, cléricis reformándis stúduit, eósque cúltui divíno, assignátis étiam amplíssimis redítibus, mancipávit. Hunc Cárolus Martéllus, licet ab eo de fonte baptísmatis suscéptus, nulla judiciórum forma, nullo episcopórum convéntu, e sede dejécit, et Milónem quemdam in ejus locum intrúsit. Ecclésiam Reménsem suo pastóre destitútam Bonifácius Moguntínus, Apostólicæ sedis legátus, ínterim curávit. Rigobértus vero in Vascóniam secéssit, unde Milóne restitutiónem sedis pollicénte, Remos regréssus est; sed cum deínde exígeret Milo sibi concédi in jus próprium prædia quæ jam Rigobértus Ecclésiæ donáverat, iníquæ petitióni sanctus Póntifex haud asséntus, se recépit apud Gerniácum-Curtum, pagi Laudunénsis villam, ibíque réliquum vitæ cursum sanctíssime absólvit, circa médium sæculi octávi. Quem mirácula ad ejus túmulum édita sanctum renuntiárunt.

Te Deum laudámus,

In Laud. commem. S. Rigoberti.

DIE XXIII

IN DESPONSATIONE B. M. V.

Duplex majus.

S. Raymundi de Pennafort dies affixa 15 februarii.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis, et fit commem. S. Joseph, et S. Emerentianæ. Virg. M. (in Breviario).

DIE XXVII

COMMEM. S. THEODORICI EPISC. CONF.

Oratio Da, quæsumus, *de Communi.*

LECTIO IX

Theodoricus, apud Castrum Theodóricum ad Matrónam claris paréntibus natus est; qui eum in Sancti Petri-Vivi Senonénsis cœnóbio statuérunt, tum quod religiónis, et doctrínæ fama clarescébat ille locus, tum quod Raynárdus ejúsdem abbas, et Sewínus Senonénsis archipræsul eídem erant consanguinitáte connéxi. Illic jugi exercitatióne in virtútibus profíciens, quidquid documéntis percéperat, mente sédula revolvébat. Robértus Fránciæ rex eum ad cúriam póstea accersívit, ejúsque usus est consíliis. Defúncto Epíscopo Aurelianénsi, cleri et pópuli pari senténtia eléctus fuit in præsulem. Pontificáli sede collocátus cœpit quasi lampas splendéscere, máxime ut páuperum relevátor, et oppressórum adjútor : verum quia virtus in infirmitáte perfícitur, várias expértus est angústias. Dum Romam iret, óbiit apud Ternodórum circa annum millésimum vigésimum secúndum, sexto Caléndas Februárii.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Theodorici.

DIE XXX

S. BATHILDIS
REGIN. FRANCOR. VIDUÆ

Semiduplex.

S. Martinæ Virg. M. dies affixa 16 februarii.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart. præter sequentia.

ORATIO

Esto, quæsumus, Dómine, intercedénte beáta Bathílde, propítius plebi tuæ : ut quæ tibi non placent respuéntes, tuórum pótius repleántur delectatiónibus. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Bathildis, in Anglia, Sáxonum género orta est; quæ cum Ercumváldo Majóri domus régiæ véndita esset, ab eo ad porrigénda sibi pócula adhíbita est, ac demum, mórtua cónjuge, in uxórem expetíta. Quibus illa dum se núptiis súbtrahit, ad Clodovæi secúndi conjúgium insperáto pertráhitur. Mórtuo Clodovæo, trium filiórum, Clotárii, Childérici et Theodórici, quorum natu máximus vix quintum annum attígerat, tutélam gessit, regnúmque sapiénter moderáta est.

℟ Propter veritátem, et

mansuetúdinem, et justítiam :* Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣ Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

LECTIO V

Fuit in consílio prudens, benígna in pópulum, in egénos liberalíssima. Simoniácas ordinatiónes, hortátu sacerdótum, abolévit : prohíbuit ne éxteris venderéntur Christiáni, plúrimos a servitúte redémit, Effécit ut in monastériis Sancti Germáni Autissiodorénsis, Sancti Medárdi, et multis áliis, reguláris disciplína aut servarétur aut restitüerétur.

℟ Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem :* Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

LECTIO VI

Corbéiæ ad Summínam cœnóbium extrúxit, álterum Calæ ad Matrónam restítuit, in quo, relícta Clotário jam adúlto regni administratióne, ipsa, suscépto religiónis hábitu, sub obediéntia Bertíllæ Abbatíssæ, in pago Suessiónico natæ, tanta humilitáte vixit, ut nec a vilióribus offíciis abhorréret. Cum ómnibus et exémplo et admiratióni fuísset, mórtua est anno ætátis quinquagésimo quinto.

℟ Fallax grátia.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium

Símile est regnum cœlórum, *de Communi.*

In Vesp. de sequenti, comm. S. Bathildis.

FESTA FEBRUARII

DIE I

COMMEM. S. PRÆCORDII CONF.

Oratio Deus qui nos, *de Communi.*

LECTIO IX

HODIE cólitur memória sancti Præcórdii, natióne Scoti, qui témpore Clodovæi Magni, in Gálliam venit; ubi, audíta fama sancti Remígii, ad eum se cóntulit, et ab ipso perspécta Dei vocatióne, ad oppídulum pagi Suessionénsis, quod ad Axónam pósitum, Vallíacum dícitur, diréctus est : ubi totus cœlésti contemplatióni déditus, et soli Deo notus, óbiit et sepúltus est. Cujus insígnes Relíquiæ, ibídem asservátæ, máxima fidélium veneratióne colúntur.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Præcordii.

DIE IV

B. JOANNÆ VALESIÆ

VIDUÆ

Duplex.

S. Andreæ Corsini dies affixa 12 februarii.

Omnia de Comm. non Virg. præter seq.

ORATIO

DEUS, qui ad imitándum beátæ Vírginis Fílii tui genitrícis virtútes, novum per beátam Joánnam sacrárum vírginum cœtum instítui voluísti : ejus méritis precibúsque concéde ; ut per eádem gradiámur virtútum exémpla. Per eúmdem.

Lect. I Nocturni de Scriptura occurrente.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

JOANNA Valésia, Ludovíci Undécimi Galliárum regis fília, a téneris annis in omnem pietátem institúta ac propénsa, non obscúris futúræ sanctitátis indíciis contínuo cláruit. Quinquénnis, ferventíssimis précibus Deíparam Vírginem, quam semper mirífice cóluit, exoránti, ut quo ei placére magis posset obséquio significáret, prænuntiári sibi visa est fore aliquándo, ut novum sacrárum vírginum órdinem in ejúsdem Deíparæ honórem institúeret. Ludovíco Aurelianénsium duci nupta, summam in prósperis moderatiónem exhibuit, atque in advérsis constántiam. Ipso póstea in Galliárum regem assúmpto, ac nullo et írrito per Apostólicam Sedem eo declaráto conjúgio, id non solum æquíssimo ánimo tulit, sed gravi se vínculo solútam prædícans, libérius deínceps uni Deo famulári posse gratuláta est.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam :* Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

LECTIO V

BITURICENSIS Ducátus sibi a Ludovíco rege assignátos réditus, aléndis paupéribus, curándis ægrótis, ædificandísque monastériis profúse erogábat. In eam vero curam præsértim incúbuit, ut sacrárum vírginum cœtum sub nómine Annuntiatiónis beátæ Vírginis Maríæ quibus ejúsdem virtútes, certis régulis ab Alexándro Sexto approbátis, essent ad imitándum propósitæ, institúeret ac promovéret; quod ei felíciter cessit. Egénos ac míseros omnes ad se confugién-

tes matérnæ charitátis complectebátur viscéribus; ægrótos imprímis, quorum úlcera et sániem própriis mánibus térgere et contrectáre non defugiébat, restitúta non semel eo contáctu iísdem sanitáte.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

LECTIO VI

Singulari atque exímia erga sanctíssimum Eucharístiæ Sacraméntum pietáte ferebátur; ad quod tanta accedébat lacrymárum vi, ut ejúsdem charitátis ac devotiónis sensus in adstántium ánimis excitáret. Domínicæ quoque passiónis mystéria pari recolébat afféctu; quare constrúcto intra doméstieum hortum Christi sepúlchro, ibi secedébat idéntidem, nudum pectus lápide tundens, atque in preces et lácrymas júgiter effúsa. Vitæ demum innocentíssime actæ finem quadragenária præséntiens, sacris ómnibus Christiánæ religiónis mystériis rite piéque suscéptis, prídie nonas Februárii, Bituríci decéssit anno millésimo quingentésimo quinto. Ejus corpus, quinquagésimo séptimo post óbitum anno, incorrúptum repértum, dum hæréticis milítibus ad cremándum raperétur, gémitus edidísse, et mucróne transfíxum copióso sánguine manásse perhibétur. Ejus cultum Benedíctus Décimus quartus Apostólica auctoritáte probávit anno millésimo septingentésimo quadragésimo secúndo. Tandem Pius Sextus, ut in toto Gálliæ regno possit de beáta Joánna Valésia, anniversária ejus dormitiónis die, Offícium recitári, ac Missa celebrári de Commúni nec Vírginis nec Mártyris indúlsit, anno millésimo septingentésimo septuagésimo quinto, die vero Aprílis vigésima.

℟. Fallax grátia et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória. Múlier.

In III Noct. Lect. de Homilia in Evang. Símile est regnum cœlórum thesáuro, *de Communi.*

Vesperæ a Capitulo de S. Agatha. Commem. B. Joannæ et S. Vodoali Conf. Oratio, Adésto, *de Communi.*

DIE V

COMMEM. S. VODOALI CONFESSORIS NON PONTIFICIS

LECTIO IX

Vodoalus, natióne Scotus, jam sacerdótio initiátus, pátriam, bona suósque relíquit, ut libérius Deo servíret. Peragrátis váriis Gálliæ locis, Augústam Suessiónum venit. Ibi, ab Adalgárde monastérii Sanctæ Maríæ Abbatíssa perhumániter excéptus, ad plagam orientálem monastérii, et ante ipsíus portam juxta murum civitátis, hospitiólo quodam donátus est. Hinc Abbatíssæ et pósitis sub ejus regímine moniálibus informándis cum totum se tráderet, sumptus et cibária quæ sibi de cœnóbio ministrabántur, máxima ex parte paupéribus erogábat. Mórtuus in senectúte bona, et in basílica Sanctæ Crucis séptimo sæculo sepúltus, statim populórum cultu celebrátus est.

Te Deum laudámus,

In Laudib. comm. S. Vodoali.

DIE VI

S. VEDASTI. CONF. PONT.

Duplex.

Omnia de Communi. Conf. Pont., præter seq.

ORATIO

Deus qui beátum Vedástum Confessórem tuum atque Pontíficem ad opus Evangélii in Ecclésiam tuam advocáre dignátus es : concéde propítius; ut memória labóris et charitátis ejus, digne Evangélio Christi quod prædicávit conversári mereámur. Per Dóminum.

IN I VESPERIS

Comm. præcedentis et S. Dorotheæ (in Breviario).

IN I NOCTURNO

Lect de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Vedastus, relíctis ab adolescéntia paréntibus, prædiísque amplíssimis, Tulli-Leucórum solitárius inter dulcíssimos vitæ contemplatívæ fructus degébat, cum Clodovæus rex, superátis divínitus Alamánnis, Remos ad sanctum Remígium baptizándus festínans, eum sibi sócium assúmpsit, ut ab ipso, inter eúndum, christiánæ fídei imbuerétur doctrínis. Quibus iter pergéntibus, dum in pago Vungíso Axónæ flúvii pontem transírent, obviávit cæcus quidam, quem beátus Vedástus, toto spectánte Clodovæi comitátu, signo crucis lúmini restítuit, ut intélligat, inquit, Dómine

Jesu, pópulus iste præsens, quia tu es Deus solus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

LECTIO V

REMIS aliquándiu commorátus, ita charitátis munificéntia, verbíque divíni instántia cláruit, ut hunc beátus Remígius Atrebaténsis Ecclésiæ ordináverit Episcopum. Qui cum urbem primum introíret, mendicántes duos, cæcum scílicet et claudum, signo íterum crucis statim sanávit. Exínde pópulum ad agnitiónem veri lúminis perdúcere stúduit, et ecclésias passim ad culmen summi decóris erígere, magis tamen divínis ornans láudibus, quam pompáticis sæculi divítiis. Cæterum, in páuperes largus, necnon divítibus affábilis fuit, quorum étiam convívia non contémpsit, prædicatiónis nempe obténtu ; ómnia ómnibus factus, ut omnes Christo lucrifáceret.

℟. Pósui adjutórium, super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO IX

EXACTIS in episcopátu annis círciter quadragínta, febre corréptus et sacrosáncto Córporis ac Sánguinis Christi confirmátus viático, inter manus lacrymántium ánimam Deo réddidit, anno Christi círciter quingentésimo quadragésimo. Multæ per totam Gálliam in ejus honórem dedicátæ sunt ecclésiæ, quarum una Collegiáta Augústæ Suessiónum visebátur, multis príncipum donis, maximéque Ludovíci Séptimi Francórum regis fundatióne nóbilis. Quæ quidem, exeúnte sæculo décimo octávo, témporum calamitáte collápsa, íterum sequénti sæculo, obsecundántibus fidélium votis donariísque, felíciter ædificáta est.

℟. Iste est.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Homo péregre, *de Communi.*

LECTIO IX

De Sancta Dorothea (in Breviario).

In Laud. comm. S. Dorotheæ.

In II Vesp., a Cap. de sequenti (in Breviario) *et comm. S. Vedasti.*

DIE XI

S. GAUDINI MART. PONT.

Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris Pontificis, præter sequentia : Oratio Infirmitátem, *de Communi.*

In I Vesp. comm. præcedentis (in Breviario.)

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

GAUDINUS, tértius a sancto Dráusio in sede Suessionénsi succéssor, cum in reprehendéndis vítiis acer esset ac véhemens, in fœneratórum quorúmdam usúras inexplébiles gravíssima oratióne invéctus, in ódium Evangélicæ quam prædicábat veritátis, ab ipsis clánculum intercéptus est, et in viam raptátus, tunc Herlíni nómine, nunc autem sancti Gaudíni nuncupátam. Ibi, várie tortus, postquam revocáre dicta constánter ábnuit, in paténtem púteum præceps ab ipsis dejéctus et suffocátus, non multo post annum a Christo nato septingentésimum, eóque nómine in Mártyrum album reférri méruit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

LECTIO V

CORPUS ejus, in Cathedrálem ecclésiam translátum, cum corpóribus sanctórum Episcopórum Princípii et Lupi simul et Agrícolæ Presbyteri elevátum légitur caléndis Júnii, et in capsa argéntea repósitum, quæ ab hæréticis, anno millésimo quingentésimo sexagésimo séptimo, combústis Relíquiis, expiláta est. Locus vero martyrio ejus consecrátus a pópulis usque ad finem sæculi décimi octávi frequentári non désiit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

LECTIO VI

Triumphális beáti Mártyris, *ut in Communi, ad quartam Lectionem.*

℟. Stola jucunditátis.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homil. in Evangel. Si quis venit ad me, *de Comm.*

II. Vesperæ a Capitulo de S. Andrea (m. 3. v.) et fit comm. S. Gaudini.

DIE XII

S. ANDREÆ CORSINI EPISC. ET CONF.

Duplex.

(e die 4 Februarii).

Omnia ut in Breviario.

In II Vesperis, commem. sequentium.

DIE XIII

S. GUILLELMI, CONF. PONT.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. exceptis quæ sequuntur. M. 3 ℣.

Oratio : Exáudi, quæsumus, *de Communi.*

Commem. S. Gilberti, *Conf. Pont. Oratio :* Da, quæsumus, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Guillelmus in pago Nivernénsi natus, ex illústri Cómitum Nivernénsium génere, sub avúnculi, Ecclésiæ Suessionénsis Archidiáconi, ob severiórem vitam Eremitæ dicti, disciplína institútus, plúrimum profécit tum in sacrárum litterárum sciéntia, tum in virtútum exercitatióne. Canónicus primum Suessionénsis, deínde Parisiénsis factus, perfectióris vitæ amóre, Grandimonténsem ingréssus est Ordinem, quem, ob subórtas in eo turbas, cum Cisterciénsi commutávit. Ibi, Pontiniacénsis Monastérii Prior, dein Fontis-Joánnis Abbas, ac subínde Caróli-Loci factus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

Odo Parisiénsis, ex compromísso eléctus ut víduæ Bituricénsi Ecclésiæ, quem vellet, pastórem præfíceret, Guillélmum renuntiávit Epíscopum, qui támdiu reluctátus est, donec ab Abbáte suo, necnon a Sedis Apostólicæ Legáto acceptáre jussus fúerit. Episcopáli múnere suscépto, monásticum institútum non deséruit Guillélmus. Paupertátis et humilitátis cultor assíduus, inter negotiórum strépitus nunquam non siléntio et oratióni vacans, cárnium esu ábstinens, cilício indútus, dícere solébat novam sibi

facto Epíscopo victus austerióris subésse causam, qui peccáta et pópuli et sua perférre ac expiáre tenerétur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

EPISCOPATUS inítio, váriis jactátus procéllis, et Philíppi Augústi regis iram, et optimátum minas, quos ex amícis inimícos expértus est, et graves étiam a cléricis suis illátas contumélias singulári cum patiéntia sustínuit. Sed Deus pacis regem et cléricos Pontífici reconciliávit. Paulo post Guillélmi sánctitas multis et rebus advérsis, et diáboli tentaméntis probáta, váriis miráculis illustráta est. Ad Albigénsium conversiónem, et Catholicórum quos vexábant defensiónem, Innocéntio Tértio hortánte, profectúrus, omnibúsque jam ad iter parátis, in febrim paulo ante Epiphániam íncidit : nec minus illo sacro die pópulum, ut solébat, divíni verbi pábulo refécit. Vi morbi urgénte, sancta infirmórum unctióne suscépta, necnon sacra pastus Eucharístia, postrídie ad cœlos evolávit.

℟. Iste est.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homil. in Evangelium Vigiláte, *de Comm.*

LECTIO IX

GILBERTUS in Virománduis, nóbili génere natus, Quintinópolim studiórum causa adhuc infans missus est. Ibi plúrimum in lítteris, magis autem in pietáte profécit. Canonicórum insígnis Collegiátæ catálogo inscríptus, morum innocéntia, psalléndi assiduitáte et mentis recollectióne ómnibus exémplar refúlsit. Ob virtútis famam, ad Meldénsis diœcesis Archidiaconátum eléctus, eo in múnere ita ómnium existimatiónem sibi conciliávit, ut mórtuo Hercanrádo Meldénsi Epíscopo, commúni voto, invítus licet, in ejus locum sit eléctus. Omnes óptimi Præsulis partes implévit : ardens animárum zelus, crebra jejúnia, oratiónes assíduæ. Cum Ecclésiam Meldénsem pie ac sancte per annos vigínti administrásset, plebíque verbis et exémplis præluxísset, méritis plenus et miráculis clarus obdormívit in Dómino, Idibus Februárii, anno salútis

millésimo décimo quinto.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Gilberti.

Vesp. de seq. Comm. præc. et S. Valentini (in Breviario).

DIE XIV

S. TITI. CONF. PONT.

Duplex.

Omnia ut in Breviario ad diem 6 *Februarii* (*m.* 3. v.) *et in Laudibus fit comm. S. Valentini.*

In II Vesp. commemor. sequentis et SS. Faustini et Jovitæ Martyrum (in Breviario).

DIE XV

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT CONF.

Semiduplex.

(*è die* 23 *Januarii*).

Omnia ut in Breviario ad diem 23 *Januarii. Et in Matut. et Laud. fit comm. SS. Faustini et Jovitæ Mart.*

II Vesperæ à Capitulo de sequenti et fit comm. S. Raymundi.

DIE XVI

S. MARTINÆ VIRG. ET MART.

Semiduplex.

(*è die* 30 *Januarii*).

Omnia ut in Breviario.

FESTA MARTII

DIE III

S. MACRÆ VIRG. MART.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virg. Mart, præter sequentia.

Oratio Deus qui inter cætera, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Macra summa in Christum fide et virginitátis professióne cláruit. Hæc, cum incrédulis Christum prædicáret, a Rictiováro Galliárum tunc Præfécto, in fínibus Paróchiæ Reménsis, quo Augústam Suessiónum véniens divérterat, deprehénsa est. Quam cum a fide, nec blandítiis, nec minis deterrére potuisset, tormentórum acerbitáte adoríri státuit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

LECTIO V

Jussit ergo sanctam Vírginem in ínsulam quæ Lítia vocátur perdúci, ut

ibi viva comburerétur. Cum vero in flammis divinítus illæsa permansísset, mamíllis abscíssis, et squalóre cárceris afflícta, super testas étiam acutíssimas, prunásque volutáta, orans migrávit ad Dóminum.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

LECTIO VI

Corpus sanctæ Vírginis, haud procul a loco ubi passa est tumulátum, cum áliquot sæculis latuísset, juxta quamdam in honóre sancti Martíni constrúctam ecclésiam parœciæ Finénsis detéctum est, et in præfáta ecclésia honorificéntius repósitum. Inde miráculis clarum, imperánte Cárolo Magno, translátum est in magnificentiórem basílicam, in qua, sæculo sequénti reædificáta, sacra pígnora asserváta sunt usque ad hodiérnam diem. Reliquiárum sanctæ Macræ quædam partes minóres dono datæ sunt in decúrsu témporum plúribus ecclésiis diœcésis Suessionénsis et præsértim ecclésiis Faræ et Longævállis quæ hujus venerándæ mártyris patrocínio gloriántur.

℟. Afferéntur.

IN III NOCTURNO

Lectiones de Homilia in Evangel. Símile erit *de Communi.*

DIE V

S. DRAUSII EPISC. SUESS. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

Ad utrasque Vesper. et Laud. Hymnus Christe Pastórum *ut in capite hujus Proprii.*

ORATIO

Omnipotens Deus, qui beátum Dráusium Antístitem nostrum, pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti; eódem intercedénte : pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

In I Vesperis commem. præcedentis (in Breviario).

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Drausius, in agro Suessiónico, a Leudomáro et Rachílde piis ac nobílibus paréntibus natus est anno círciter sexcentésimo vigésimo octávo. Mater, concépto fœtu, in pósterum vino abstínuit, sublevandísque paupéribus, ipsómet juvánte maríto, totam se dicávit. His puer informátus móribus, mox beáto Suessiónum Pontífici oblátus est Ansárico; qui exímium adolescéntem, ob ejus humilitátem ac mansuetúdinem tantum diléxit, ut pro fílio habúerit, et ántequam ipse morerétur, Clericátus primórdiis volúerit initiátum. Dein a Bertoléno beáti Ansárici successóre creátus est Archidiáconus, nec multo post, cum ille Cáthedram Episcopálem, propter quoddam sui ingréssus vítium, ultro piéque abdicásset, in ipsíus locum, ob vitæ et doctrínæ mérita, ómnium plausu suffέctus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

Infirma licet sæpius valetúdine, óptimi tamen Præsulis partes implévit, nec ulli offício, ullíve labóri sese præbuit ímparem. Præsértim nihil omísit quod monástici Ordinis propagatiónem, immunitátes, ac regulárem disciplínam assérere posset. Imprímis vero memorándum venit illud celebérrimum Beátæ Maríæ cœnóbium quod pro sanctimoniálibus Suessióne in subúrbio primum cónditum, mox, crescénte confluéntium vírginum número, ab Ebroíno régiæ domus Præfécto obtínuit ut intra muros transferrétur, magnificéque ædificarétur. E Jotrénsi autem monastério Actériam abbatíssam accersívit quæ in hoc cœnóbio eámdem quam in suo disciplínam et psalmódiam institúeret. Demum méritis plenus, maturúsque cœlo, migrávit ad Dóminum Nonas Mártii, anno Christi sexagésimo septuagésimo sexto.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

LECTIO VI

Corpus ejus, sicut præcéperat, in prima sanctimoniálium basílica, quæ in subúrbio fundáta fúerat, sepúltum est, quod post quátuor annos, íntegrum repértum, et intra urbem ad novam monastérii basílicam quarto Nonas Június solémni pompa translátum, plúribus refúlsit miráculis, quorum fama permótus Thomas Cantuariénsis Epíscopus a sede sua exul Suessiónem venit, in persecutióne quam pro defensióne libertátis Ecclésiæ ab Henríco Angliæ rege patiebátur, beáti Dráusii opem patrociniúmque imploratúrus.

℟. Iste est.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evangelium Vigiláte, *de Comm.*

APPENDIX DE SANCTIS

ECCLESIARUM AUT PARŒCIARUM PATRONIS

FESTA DECEMBRIS

DIE X

S. EULALIÆ VIRG. ET MART.

Omnia de Communi Virg. Mart. præter sequentia :

Oratio, Deus qui inter cœtera, *de Communi*.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Epistola I. Beati Pauli Apostoli ad Corinthios, De Virgínibus, *de Communi*, 1° *loco*.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

EULALIA Virgo apud Emeritam tum Lusitániæ caput, cum esset annórum duódecim, furóri Daciáni Præfécti, qui Christiános vel ad idólis sacrificándum, vel ad necem quærébat, a matre prærépta, aliquándiu ruri procul ab urbe delitéscere coácta est. Verum inde noctu fúgiens, per ínvia et vepres carpens iter, angélico stipáta choro ipsi lucem præbénte, mane urbem ingréditur, statímque ad tribúnal progréssa, se Christiánam esse declárat, idóla se protérere pédibus exclámans, ac deos nihil esse. Quibus audítis, accénsus Prætor cum nec minis nec blandítiis Euláliam a fide Christi deterrére posset, jubet eam supplíciis óbrui. Tum péctori et utríque Vírginis láteri admótis fácibus, voráces flammas ore párvulo hauríre visa est, spiritúmque sub spécie colúmbæ læta sponso réddere. Ejus corpus Eméritæ magna religióne magnóque suffragiórum cultu honorátur.

LECTIO V

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi : Quóniam hódie natális est Vírginis, *de Communi* 1° *loco*.

LECTIO VI

Hæc nubes, *de eodem Communi*.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium: Símile erit regnum cœlórum, 1° *loco*.

FESTA JANUARII

DIE XVII

S. SULPITII EPISC. ET CONF.

Omnia de Communi confess. Pontif, præter sequentia :

Oratio, Da quæsumus, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones Fidélis sermo, *de Communi*, 1° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Sulpitius, a púero pietáti déditus, cum ecclésiis et monastériis construéndis, ac misericórdiæ opéribus esset inténtus, ab Austregísilo Bituricénsi Epíscopo ad Diaconátum promótus est, ut in Ecclésia officium docéndi exercéret. Présbyter factus, a Clotário secúndo postulátus est ut in ejus castris Abbátis offício fungerétur; regémque ipsum gravíssimo morbo laborántem, septem diérum oratióne et jejúnio sanitáti restítuit. Austregísilo deinde mórtuo succéssor datus, óptimi pastóris partes implévit.

LECTIO V

Somnus illi brevis, pro strato humus et cilícium : eleemósynis jejunióque vacábat impénsius. Cum ad ecclésiam noctu, oratiónis causa, veníret, non ante recedébat quam Psalmórum librum íntegrum recitásset. In ecclésiis monasteriísque construéndis magníficus, parcus autem sibi, non nisi vasa lígnea aut fictília ad mensam adhibébat. Injuriárum ímmemor, de miséria plebis sublevánda sollícitus, præsértim vero animárum zelo accénsus, Judæos omnes in sua civitáte degéntes addúxit ad fidem, multósque christiános ad meliórem frugem revocávit.

LECTIO VI

Prædicánti suffragabántur claríssima quæ narrántur illíus mirácula. Synodos in sua diœcési celebrándas curábat; sedit étiam in Concílio Reménsi sub Sonnátio Epíscopo. Annis laboribúsque conféctus, coadjutórem Volfoléndum obtínuit, ipse præcípuam própriæ salúti curam impensúrus. Tandem quiévit in Dómino die décima séptima Januárii, circa annum sexcentésimum quadragésimum quartum; et in urbe Bituricénsi sepúltus est.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium Homo perégre, *de Communi* 1° *loco.*

DIE XXX

S. ALDEGUNDIS VIRG.

Omnia de Communi Virg. præter sequentia :

Oratio, Exáudi nos, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones De Virgínibus, *de Communi*, 1° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Aldegundis Virgo, nóbili génere in Bélgio nata, cum uni sponso Christo adhærére statuísset, fugit in secéssum, cui póstea Malbódio nomen : ubi, accépto sacro velámine, monastérium ex patérna hæreditáte eréxit, nihílque ex tot divítiis quibus affluébat præter tenuíssimum victum, vilémque vestítum sibi servávit. Quamplúrimos étiam sólidos, a matre relíctos, paupéribus erogávit. Dícere quippe solébat : Sátius est vel unum sólidum própria manu paupéribus dare, quam centum post mortem relínquere. In villa sua Curtisólra, cum sui monastérií prædia visitáret, mortem óbiit, ibíque primum sepúlta, deínde Malbódium, non multo post, transláta est.

LECTIO V

Sermo S. Ambrosii Episcopi Quóniam hódie, *de Communi* 1° *loco.*

LECTIO VI

Hæc nubes, *de eodem pariter Communi.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum, 1° *loco.*

FESTA FEBRUARII

DIE VI

S. AMANDI EPISC. CONF.

Omnia de Communi Conf. Pontif, præter sequentia :

Oratio Exáudi, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Libro Ecclesiastici : Laudémus viros, *de eodem Communi*, 2° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Amandus, in agro Nanneténsi natus, et a puerítia sacris lítteris erudítus, spreto mundo, secéssit in monastérium. Póstea clero adscríptus, Romam pétiit; unde in Gálliam revérsus, non ad certam gubernándam diœcésim, sed ad fidem passim éthnicis prædicándam, ordinátus est epíscopus. Qui quidem Brabántinis primum, tum Sclavis, deínde Vascónibus, tandem Gandavénsibus

Evangélii lumen íntulit, non sine multis labóribus ac perículis. A rege Dagobérto, ob reprehénsam vivéndi licéntiam, pulsus in exílium, mox ab eódem pœniténte revocátus, deínde promovénte Sigebérto, ad sedem Trajecténsem est assúmptus : quam post annum, humilitátis causa, annuénte Summo Pontífice, sponte dimísit. Plúrima in Gálliis construxit monastéria, inter quæ Barisiácum in agro Laudunénsi, et Elnonénse ad Scarpam, in quo circa finem séptimi sæculi nonagenárius óbiit ac sepúltus est.

LECTIO V

Sermo S. Maximi Episcopi : Beáti patris Amándi, *de Communi*, 2° *loco.*

LECTIO VI

Quantis *de eodem loco.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium Vigiláte, 2° *loco.*

FESTA MARTII

DIE I

S. ALBINI EPISC CONF.

Omnia de Communi Confess. Pontif. præter sequentia :

Oratio, Exáudi, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Libro Ecclesiastici : Laudémus viros, *de Communi*, 2° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Albinus, Venétiæ in Aremóricis claro génere natus, relíctis a púero paréntibus in Cincillacénse monastérium ingréssus est Anno ætátis suæ trigésimo quinto, propter virtútum excelléntiam Abbas eléctus, pia severitáte cœnóbium renovávit, et singulári vigilántia administrávit annis quinque et vigínti Unde invítus ad Cáthedram Andegavénsem evéctus, totus aléndis paupéribus, tuéndis cívibus, ægris visitándis, captívis rediméndis incúbuit. Ecclesiásticæ disciplínæ vindex fuit acérrimus, ádeo ut nec précibus nec minis potentiórum moverétur : quod ei multórum invídiam conflávit. Váriis in synodis ac præcípue in Aurelianénsi tértia plúrimum laborávit ut incéstæ núptiæ damnaréntur. Explétis episcopátus annis vigínti, ætátis octogínta, multis clarus miráculis, mortalitátem éxuit, anno quingéntesimo quinquagésimo.

LECTIO V

Beáti Patris Albini *de Communi*, 2° *loco.*

LECTIO VI

Quantis, *de eodem Communi.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium Vigiláte, 2° *loco.*

EXTRA OFFICIUM

Recitari aut cantari permittitur sequens hymnus.

AD B. MARIAM VIRGINEM.

Virgíneis títulis quæ matris jungis honóres,
Hac natos fóveas nocte benígna tuos.

Fúlgida stella maris, sæcli dum mérgimur undis;
Sis lux in ténebris et bene fida quies.

Si sopor obrépit, casti fac mater amóris,
Cor vígilans uno spiret amóre Dei.

Virgo Dei génitrix, própius res áspice nostras;
Dicáris pópuli vita salúsque tui.

Glória summa Patri, compar sit glória Nato,
Par tibi laus, Flamen, quo pia Virgo parit.
Amen.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

PARS VERNA.

DECRETUM APPROBATIONIS

SUESSIONEN.

Ut Kalendarium perpetuum, cum Proprio Officiorum et Missarum anno 1851 a Sa. me. Pio Papa IX approbatum in usum diœceseos Suessionen. ad accuratiorem formam redigeretur ac simul additamenta et variationes quæ, volventibus annis, in ea locum habuerunt, ad tramitem rubricaram et decretorum plane disponerentur; Rmus Dns Odo Thibaudier, hodiernus Episcopus, votis etiam suæ Cathedralis ecclesiæ Capituli obsecundans, Kalendarium ipsum cum Proprio reformare studuit, quod supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papæ XIII sanctioni demissime subjecit.

Quum vero Sanctissimus idem Dominus Noster ejusmodi novi Kalendarii ac Proprii examen commiserit sacræ Rituum Congregationi; hæc omnibus accurate perpensis, exquisito etiam voto alterius ex Rmis Consultoribus ipsius Sacræ Congregationis, propositum Kalendarium et Proprium a se correctum et ordinatum, prouti in superiori exemplari prostat, probari posse censuit. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua ratam habens, concessit ut ab omnibus de clero Suessionen. diœceseos tam sæculari quam regulari diœcesano Kalendario utentibus, præfatum Kalendarium et Proprium in recitatione Horarum Canonicarum et sacrosancti Missæ sacrificii celebratione in posterum unice adhibeatur : injuncto tamen onere ut statim ac hæc omnia typis impressa fuerint, duplex eorumdem authenticum exemplar ad ipsam Sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 26 junii 1884.

P. Cardinalis BARTOLINIUS S. R. C. PRÆFECTUS
LAURENTIUS SALVATI S. R C. *Secretarius.*

BOURLOTON. — Imprimeries réunies, B.

C 18

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS

DD. ODONIS THIBAUDIER

EPISCOPI SUESSIONENSIS ET LAUDUNENSIS,
REMENSIS PROVINCIÆ DECANI ET PRIMI SUFFRAGANEI,
PRÆLATI DOMESTICI,
ASSISTENTIS SOLIO PONTIFICIO ET COMITIS ROMANI,
AUCTORITATE,
NECNON VENERABILIS EJUSDEM ECCLESIÆ CAPITULI
CONSENSU ET OPERA,

CUM S. SEDIS APOSTOLICÆ APPROBATIONE

EDITA

PARS VERNA.



PARISIIS

APUD ROGER ET CHERNOVIZ, EDITORES

7, VIA DES GRANDS-AUGUSTINS, 7

—

1885

FESTA MOBILIA

Feria VI post Dom. I Quadrag. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. *duplex maj. Comm.* Fer.

Feria VI post. Dom. II Quadrag. Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C. *duplex maj. Comm.* Fer.

Feria VI post. Dom. III Quadrag. SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C. *duplex majus. Comm.* Fer.

MARTIUS

1
2 Macræ Virg. Mart., *semid.*
3
4 Casimiri Conf., *semid.*
5 Drausii Episc. Suess. Conf., *duplex.*
6
7 Thomæ Aquinatis, Conf. et Doct., *duplex. Comm.* SS. Perpetuæ et Felicitatis Mm.
8 Joannis de Deo Conf *duplex.*
9 Franciscæ Romanæ Vid., *duplex.*
10 Quadraginta Martyrum, *semid.*
11
12 Gregorii 1 Papæ et Conf. et Doct., *duplex.*
13
14
15
16
17 Patricii Episc. Conf., *duplex.*
18 Gabrielis Archangeli, *duplex maj.*
19 Joseph Conf. B. M. V. Sponsi, *duplex I Cl.*
20 Cyrilli Episc. Hierosolym. et Doctor. (dies aff. è 18 huj.). *duplex.*
21 Benedicti Abb., *dupl. maj.*
22
23
24
25 Annuntiatio B. M. V., *dupl. II Cl.*
26
27
28
29
30
31

FESTA MOBILIA

Feria VI post Dom. IV Quadrag. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., *dupl. maj. Comm.* Fer.
Feria VI post Dom. Passionis. Septem Dolorum B. M. V. *dupl. maj. Comm.* Fer.

APRILIS

1 Francisci de Paulâ Conf., *duplex.*
2
3
4 Isidori Ep. Conf. et Doct., *duplex.*
5 Vincentii Ferrerii Conf., *duplex.*
6
7
8
9
10
11 Leonis I Papæ Conf. et Doct., *duplex.*
12
13 Hermenegildis Mart., *semid.*
14 Justini Philosophi Mart., *dupl. Comm.* SS. Tiburtii et Soc. Mm.
15
16
17 Aniceti Papæ et Mart., *simplex.*
18 Ursmari Episc. Conf., *simplex.*
19
20
21 Anselmi Episc. Conf. et Doct., *duplex.*
22 Soteris et Caii Pont. Mm., *semid.*
23 Georgii Mart., *semid.*
24 Fidelis à Sigmaringâ Mart., *duplex.*
25 Marci Evangelistæ, *dupl. II Cl.*
26 Cleti et Marcellini Pont. Mart., *semid. Comm.* S. Ermini Episc. Conf.
27
28 Pauli à Cruce Conf., *dupl. Comm.* S. Vitalis, Mart.
29 Petri Mart., *duplex.*
30 Catharinæ Senensis Virg., *dupl. Comm.* S. Probæ Virg. M.

FESTA MOBILIA

Dom. III post Pascha Patrocinii S. Joseph Conf. B. M. V. Sponsi, *duplex II Cl. Comm.* Dom.
Dom V post Pascha B. M. V. Misericordiæ Matris, *dupl. maj. Comm.* Dom.

MAIUS

1 Philippi et Jacobi Apost. *dupl. II Cl. Comm.* S. Marculphi Abbatis.
2 Athanasii Episc. Conf. et Doct, *dupl. Comm.* S. Theodulphi Abb.
3 Inventio S. Crucis, *dupl. II Cl. Comm.* SS. Alexandri Papæ et Soc. Mm. nec non Juvenalis Episc. Conf.
4 Monicæ Vid., *duplex.*
5 Pii V Papæ Conf., *dupl. Comm.* S. Victricii Episc. Conf.
6 Joannis Apostoli ante portam Latinam., *dupl. maj.*
7 Stanislai Episc. Mart., *dupl. Comm.* S. Cenerici Abb.
8 Apparitio S. Michaelis Archangeli, *duplex majus.*
9 Gregorii Nazianzeni Episc. Conf. et Eccl. Doct., *dupl. Comm.* S. Beati Conf.
10 Antonini Ep. Conf., *dupl. Comm.* SS. Gordiani et Epimachi Mm.
11
12 Nerei, Achillei, Domitillæ Virg, atque Pancratii, Mm., *semid.*
13 Onesimi Episc. Suess. Conf., *duplex.*
14 Bonifacii Mart., *simplex.*
15
16 Joannis Nepomuceni Mart., *duplex.*
17 Paschalis Baylon Conf., *duplex. Comm.* S. Montani Conf.
18 Venantii Mart., *duplex.*
19 Petri Cœlestini Pap. Conf., *dupl. Comm.* S. Pudentianæ Virg.
20 Bernardini Senensis Conf., *semid.*
21 Ubaldi Episc. Conf. (dies aff. è 16 huj.), *semid.*
22 Boetiani Conf., *simplex.*
23
24 B. M. V. sub titulo Auxilium Christian. *duplex maj.*
25 Gregorii VII Pap. et Conf., *dupl. Comm.* S. Urbani Pap. M.
26 Philippi Nerii Conf. *dupl. Comm.* S. Eleutherii Pap. M.
27 Mariæ Mag. de Pazzis Virg. *semid. Comm.* S. Joannis Pap. et Martyris.
28 Augustini Episc. Cantuariensis Conf., *duplex.*
29 Restitutæ, Virg. et Mart., *simplex.*
30 Felicis Papæ M., *simplex.*
31 Angelæ Mericiæ Virg. *dupl. Comm.* S. Petronillæ Virg.

FESTA MOBILIA

Dom. infrà oct. Ascensionis. Commemorat. Sanctorum quorum corpora vel reliquiæ in ecclesiis diœcesis Suessionensis asservantur, *duplex majus. Comm.* Dom.

JUNIUS

1
2 Pothini et Soc. Mm. *semid. Comm.* SS. Marcellini et Socior. Martyrum.
3 Clotildis Galliæ reginæ, Vid., *dupl. Comm.* S. Algisi Confessoris.

4 Francisci Caracciolo Conf., *duplex.*
5 Bonifacii Episc. Mart., *duplex.*
6 Norberti Episc. Conf., *duplex.*
7
8 Medardi Episc. Conf., *dupl. maj.*
9 Primi et Feliciani Mm., *simplex.*
10 Margaritæ Scotor. Regin. Vid., *semid.*
11 Barnabæ Apost., *dupl. maj.*
12 Joannis à S. Facundo Conf., *dupl. Comm.* SS. Basilidis et Soc. Mm.
13 Antonii de Padua Conf., *dupl.*
14 Rufini et Valerii Mm., *duplex maj.*
15 Basilii Magni Episc. et Doct. (dies aff. è 13 huj.), *dupl. Comm.* SS. Viti et Soc. Mm.
16
17
18 Vigil. SS. Gervasii et Protasii Mart.
19 Gervasii et Protasii Mm. Diœcesis Suessionensis Patronor. præcip., *duplex I Classis cum Octav.*

DE SANCTIS PATRONIS

DIŒCESEOS,

IN SUFFRAGIIS.

In Laudibus. *Ant*. Intercéssio, Dómine, nobis sanctórum Gervásii et Protásii mártyrum tuórum succúrrat, atque nos ubíque prótegat et deféndat, ut ambórum précibus ab ómnibus malis liberémur.

In Vesperis. *Ant*. Mártyres gloriósi, Gervási et Protási, imploráte pro nobis ut voluntátem Dómini in ómnibus adimplére valeámus; et dum vestram commemoratiónem méntibus devótis celebrámus, vestris quoque précibus, grátiam Dómini ac vitam ætérnam adipísci mereámur.

℣ Justórum animæ in manu Dei sunt.

℟ Et non tanget illos torméntum malítiæ.

ORATIO.

Deus, qui nos sanctórum Mártyrum tuórum Gervásii et Protásii commemoratióne lætificas : concéde propitius ; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

PARS VERNA

FESTA MOBILIA

FERIA VI

POST DOMIN. I QUADRAGESIMÆ

LANCEÆ ET CLAVORUM D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis.

FERIA VI

POST DOMIN. II QUADRAGESIMÆ

SACRATISS. SINDONIS D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis.

FERIA VI

POST DOMIN. III QUADRAGESIMÆ

SACROR. QUINQUE VULNERUM D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis.

FERIA VI

POST DOMIN. IV QUADRAGESIMÆ

PRETIOSISSIMI SANGUINIS D.N.J.C.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis.

DOMIN V. POST PASCHA

IN FESTO

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS MISERICORDIÆ MATRIS

Duplex majus.

Omnia ut in festis B. M. V. per annum, præter sequentia.

ORATIO

Deus, qui univérsum mundum ineffábili providéntia regis atque gubérnas: præsta nobis fámulis tuis; ut intercedénte Beáta María semper Vírgine, Misericórdiæ Matre, ab hóstibus defénsi, et fructus tui dulcédine satiáti, ad cœléstem pátriam secúri perducámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Fit comm. Dominicæ.

IN I NOCTURNO

LECTIO I, *Cap.* 8 *et* 9.

De Parábolis Salomónis.

Ego Sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum. Arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilínguc detéstor. Meum est consílium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiæ, et glória, opes supérbæ, et justítia. Mélior est enim fructus meus auro, et lápide pretióso, et genímina mea argénto eléсto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eorum répleam.

℟. Sancta et immaculáta Virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio: * Quia quem cœli cápere non póterant, tuo grémio contulísti, allelúia. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Quia.

LECTIO II

Dominus possédit me in inítio viárum suárum ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram: necdum montes aquárum erúperant, necdum fontes gravi mole constíterant : ante colles ego parturiébar. Adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cœlos, áderam; quando certa lege et gyro vallábat abyssos, quando æthera firmábat sursum et librábat fontes aquárum, quando

circúmdabat mari términum suum et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos, quando appendébat fundaménta terræ, cum eo eram cuncta compónens, et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore, ludens in orbe terrárum, et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum. Nunc ergo, fílii, audíte me, beáti qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam.

℟. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum, quia cum essem párvula plácui Altíssimo : * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem, allelúia. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Et de.

LECTIO III.

BEATUS homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino. Qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas, ut vocárent ad arcem, et ad mœnia civitátis : si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti Creatórem mundi : * Genuísti qui te fecit et in ætérnum pérmanes Virgo, allelúia. ℣. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum. Genuísti. Glória. Genuísti.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Serm. 12 in Apoc.

AMPLECTAMUR Maríæ vestígia, et devotíssima supplicatióne beátis illíus pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis. Potens est enim. Nempe vellus est médium inter rorem et áream ; múlier inter solem et lunam ; María inter Christum et Ecclésiam constitúta. Sed forte miráris non tam vellus opértum quam amíctam sole mulíerem. Magna síquidem familiáritas, sed mira ómnino vicínitas solis et mulíeris. Quómodo enim in tam veheménti fervóre tam frágilis natúra subsístit? Mérito

quidem admiráris, Móyses sancte, et curiósius desíderas intuéri. Verúmtamen solve calceaménta de pédibus tuis, et involúcra pone carnálium cogitatiónum, si accédere concupíscis.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : * Quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris, allelúia. ℣. Et sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans. Quasi.

LECTIO V.

Ejusdem in Assumpt. B. M. V.

JAM te Mater misericórdiæ, per ipsum sinceríssimæ tuæ mentis afféctum, tuis jacens provolúta pédibus, luna, id est Ecclésia, Mediatrícem sibi apud Solem justítiæ constitútam, devótis supplicatiónibus interpéllat, ut in lúmine tuo vídeat lumen, et Solis grátiam tuo mereátur obténtu, quam vere amávit et ornávit, stolam glóriæ índuens, et corónam pulchritúdinis ponens in cápite tuo. Plena es gratiárum, plena rore cœlésti, innixa super Diléctum, delíciis áffluens. Ciba hódie páuperes tuos, Dómina, ipsi quoque cátuli de micis edant, nec púero Abrahæ tantum, sed et camélis potum tríbuas de superfluénti hydria tua.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam, allelúia. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt.

LECTIO VI

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

Serm. 18 *de Sanctis.*

O BEATA María, áccipe quascúmque éxiles, quascúmque méritis tuis ímpares, gratiárum actiónes; et cum suscéperis vota, culpas nostras orándo excúsa. Admítte nostras preces intra Sacrárium exauditiónis, et repórta nobis antídotum reconciliatiónis. Sit per te excusábile, quod per te ingérimus; fiat impetrábile, quod fida mente póscimus. Accipe quod offérimus, redóna quod rogámus, excúsa quod timémus, quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, et in te, Beatíssima, nostrórum est expectátio præmiórum.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt dicéntes :

* Unguéntum effúsum nomen tuum, allelúia. ℣. Astitit Regína a dextris tuis in véstitu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes. Glória. Unguéntum.

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 19

In illo témpore : Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus, María Cléophæ, et María Magdaléna. Et réliqua.

Homília S. Petri Damiáni.

Ex serm. I. in Nat. B. M. V. in fin.

Virgo Dei Génitrix, cujus pulchritúdinem sol et luna mirántur, súbveni, Dómina, clamántibus ad te júgiter : revértere, revértere, Sunamítis, revértere, revértere, ut intueámur te. Tu benedícta et superbenedícta, revértere primo per natúram. Numquid quia ita deificáta, ídeo nostræ humanitátis oblíta es? Néquaquam, Dómina : scis in quo discrímine nos relíqueris, ubi jáceant, quantum delínquant servi tui : non enim cónvenit tantæ misericórdiæ, tantam misériam oblivísci, quia etsi súbtrahit glória, révocat natúra : non enim ita memoráris justítiæ Dei sólius, ut misericórdiam non hábeas, neque ita es impassíbilis, ut non sis compassíbilis. Natúram nostram habes, non áliam, et justum est ut de rore tantæ pietátis diffúsius infundámur.

℟. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster, allelúia. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero : intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. Quia.

LECTIO VIII

Revertere secúndo per poténtiam. Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potéstas in cœlo et in terra. Nil tibi impossíbile, cui possíbile est desperátos in spem beatitúdinis releváre. Quómodo enim illa potéstas tuæ poténtiæ póterit obviáre, quæ de carne tua carnis suscépit oríginem? Accédis enim ante illum áureum humánæ reconciliatiónis altáre non solum rogans, sed ímperans, Dómina, non ancílla. Móveat te natúra, poténtia móveat; quia quanto poténtior, tanto misericórdior esse debes.

Potestáti enim cedit ad glóriam injúrias ulcísci nolle, cum possit. Revértere tértio per amórem. Scio, Dómina, quia benigníssima es et amas nos amóre invincíbili, quos in te et per te Fílius tuus et Deus tuus summa dilectióne diléxit. Quis scit quóties refrígeres iram Júdicis, cum justítiæ virtus a præséntia Deitátis egréditur? Revértere quarto per singularitátem. In mánibus tuis sunt thesáuri miseratiónum Dómini, et sola elécta es, cui grátia concéditur. Absit ut cesset manus tua, cum occasiónem quæras salvándi míseros, et misericórdiam effundéndi; neque enim tua glória minúitur, sed augétur, cum pœniténtes ad véniam, justificáti ad glóriam assumúntur. Revértere ergo, Sunámitis, id est, despécta, cujus ánimam pertransívit gládius, quæ fabri uxor appelláta fuísti. Ad quid? Ut intueámur te. Summa glória est post Deum te vidére, adhærére tibi, et in tuæ protectiónis munímine demorári. Audi nos, nam et Fílius nihil negans honórat te, qui est Deus benedíctus in sæcula sæculórum.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia fecit mihi Dóminus magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus, allelúia. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit. Glória Patri. Quia fecit.

Lectio IX de Domin. cuj. fit commem. in Laud. et secundis Vesperis.

DOMINICA INFRÁ OCTAVAM ASCENSIONIS

COMMEMORATIO SANCTORUM

QUORUM CORPORA VEL RELIQUIÆ IN ECCLESIIS DIŒCESIS SUESSIONENSIS ASSERVANTUR.

Duplex majus.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum tempore paschali, præter sequentia.

IN I VESPERIS

HYMNUS.

O vos unánimes, Christíadum chori
Sanctórum túmulos et cíneres Patrum,
Dulces exúvias, pígnora cœlitum
Lætis dícite cántibus.

Cœlo quando piis æqua labóribus
Felíces ánimæ gáudia póssident;

Pœnárum sóciis débita rédditur
Hic laus et decus óssibus.

Passim sparsa Deus, pollíciti memor,
Custos ne péreant, pígnora cólligit,
Electósque suis próvidus ággerit
Aptándos lápides locis.

Quin et Rellíquias et túmulos sibi
Aras ipse Deus cónsecrat hóstia;
Conjungénsque suis se caput ártubus
Nos secum simul ímmolat.

Vos quorum cíneres supplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis,
Si vos nostra movent, subsídium boni
Vestris ferte cliéntibus.

Ut cum nostra, novis spléndida dótibus,
Surget juncta choris spírituum caro,
Indivísa Trias sit Deus ómnia
Nobis semper in ómnibus. Amen.

ORATIO.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per.

Fit comm. Dominicæ infra Octavam et Octavæ Ascensionis.

IN I NOCTURNO.

Lectiones de Comm. Plur. Martyr extra tempus paschale, Fratres debitóres, *cum Respons. de temp. pasch.*

IN II NOCTURNO

Ex Tractátu S. Joánnis Damascéni de Fide orthodóxa.

LECTIO IV *Lib.* 4. *c.* 15.

Christus Dóminus Sanctórum Relíquias velut salutíferos fontes præbuit, ex quibus plúrima nobis benefícia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam huic sermóni fidem détrahat; nam si aqua in déserto ex áspera et sólida rupe, atque ex ásini maxílla ad sedándam Samsónis sitim, Deo ita volénte, prosíliit, erítne cur cuíquam incredíbile videátur, ex Mártyrum Relíquiis suáve unguéntum scaturíre? Mínime certe; iis quidem, quibus Dei poténtia honórque quo Sanctos suos áfficit, perspéctus et explorátus est. Atque illud quidem véteri lege comparátum erat, ut quisquis mórtuum conti-

gísset, immúndus censerétur; verum hi in mortuórum número mínime habéndi sunt.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum, gáudium et exultatiónem obtinébunt. Et ætérnitas.

LECTIO V.

Ex quo enim ípsamet vita, ac vitæ auctor inter mórtuos adscríptus est, eos qui in spe resurrectiónis fideíque erga eum diem extrémum clausérunt, mórtuos haudquáquam appellámus. Qui enim mórtuum corpus mirácula édere queat? Per ea dæmones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci prospíciunt, leprósi mundántur, tentatiónes ac mœróres discutiúntur, ac dénique omne donum óptimum a Patre lúminum, eórum ópera, ad eos qui fide mínime dúbia póstulant, descéndit. Quid non labóris suscípias, ut patrónum quemdam nanciscáris, qui te mortáli regi ófferat, ac tuo nómine ad eum verba fáciat? An non ígitur hi honorándi sunt, qui tótius humáni géneris patrónos se profiténtur, ac Deo nostra causa súpplicant?

℟. In servis suis, allelúia, * Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. * Consolábitur.

LECTIO VI

Honorandi certe, et quidem ita, ut in eórum nómine templa Deo extruámus, dona offerámus, eórum memóriam colámus, atque in ea spirituáliter oblectémur; quo nimírum lætítia nostra iis a quibus invitámur cóngruat, ne, dum eos cólere et demeréri studémus, offendámus pótius et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, iísdem quoque servi ipsíus oblectántur; quibus autem Deus offénditur, iísdem étiam ípsius mílites offendúntur. Quocírca in psalmis, et hymnis, et cánticis spirituálibus, et compunctióne, et eórum qui in egestáte versántur commiseratióne, quibus obséquiis Deus potíssimum conciliátur, Sanctos colámus, státuas ipsis, et visíbiles imágines erigámus; imo ipsi virtútibus eórum imitándis hoc consequámur, ut vivæ eórum státuæ atque imágines simus.

℣. Fíliæ Jerúsalem,

IN. III NOCTURNO

Homilia in Evang. De-

scéndens 2° *loco cum responsor. temp. pasch. et lect. IX Dominicæ.*

AD LAUDES

Hymnus O vos unánimes *ut supra, et comm. Dom. et Ascens.*

AD II VESPERAS

Omnia ut in Communi et *dicitur hymnus* O vos unánimes *et fit comm. Dominicæ et Ascens.*

FESTA SANCTORUM

IN FESTIS
SANCTORUM EPISCOPORUM CONFESSORUM
SUESSIONENSIUM ET LAUDUNENSIUM

quæ suo loco inter festa propria reperiuntur.

ORATIO

Omnipotens Deus, qui Beátum N... antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte; pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

HYMNUS

Qui dicitur in utrisque Vesperis et Laudibus.

Christe pastórum caput atque princeps
Præsulis festam veneráta lucem
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequéntat.

Ille non vano ténuit treméndam
Spíritu sedem, próprio nec ausu;
Sed sacrum jussus, Dómino vocánte,
Sumpsit honórem.

Strenuum bello púgilem, supérni
Chrísmatis pleno tuus unxit intus
Spíritus cornu, posuítque sanctam
Páscere gentem.

Fit gregis pastor, pater atque forma;
Lætus impéndit sua seque, servus
Omnium, curis gravis, omnibúsque
Omnia factus.

Pro reis orat, réficit geméntes,
Erigit lapsos, tenebrásque pellit;
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.

Fac ut illíus précibus juvémur,

Christe; fac Patrem pa-
ritérque tecum
Spíritum jugi celebrémus
hymno
Omne per ævum.
Amen

FESTA FEBRUARII

DIE XI.

S. GAUDINI, MART. PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter seq.

Oratio Infirmitátem nostram, *de Communi.*

In I Vesp. comm. præcedentis (in Breviario), *et Feriæ.*

IN I NOCTURNO.

Lect. A Miléto, *de Communi unius Mart.*

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

GAUDINUS, tértius a sancto Dráusio in sede Suessionénsi succéssor, cum in reprehendéndis vítiis acer esset ac véhemens, in fœneratórum quorúmdam usúras inexplébiles gravíssima oratióne invéctus, in ódium Evangélicæ quam prædicábat veritátis, ab ipsis clánculum intercéptus est, et in viam raptátus, tunc Herlíni nómine, nunc autem Sancti Gaudíni nuncupátam. Ibi, várie tortus, postquam revocáre dicta constánter ábnuit, in paténtem púteum pæceps ab ipsis dejéctus et suffocátus, non multo post annum a Christo nato septingentésimum, eoque nómine in Mártyrum album reférri méruit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

LECTIO V.

CORPUS ejus, in Cathedrálem Ecclésiam translátum, cum corpóribus sanctórum Episcopórum Princípii et Lupi, simul et Agrícolæ Presbyteri, elevátum légitur caléndis Júnii, et in capsa argéntea repósitum, quæ ab hæréticis, anno millésimo quingentésimo sexagésimo séptimo, combústis Relíquiis, expiláta est. Locus vero martyrio ejus consecrátus a pópulis usque ad finem séculi décimi octávi frequentári non désiit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum, ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

LECTIO VI.

Triumphális beáti Mártyris *ut in Communi ad IV lectionem.*

℟. Stola jucunditátis.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homil. in Evangel. Si quis venit ad me, *de Comm., et* IX *Lectio Hom. Feriæ de quâ fit comm. in Laudibus.*

DIE XII

S. ANDREÆ CORSINI EP. ET CONF.

Duplex.

(e die 4 februarii)

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter ea quæ hic ponuntur propria.

In Hymno, Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

ORATIO.

Deus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum : da pópulo tuo beáti Andréæ Confessóris tui atque Pontíficis ita sequi vestígia; ut assequátur et præmia. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

IN I NOCTURNO.

Lectiones Fidélis sermo *de Communi.*

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Andream Floréntiæ ex nóbili Corsinórum família natum, paréntes précibus a Deo impetrárunt, et beátæ Vírgini spopondérunt. Qualis autem futúrus esset, divíno præságio, ántequam nascerétur, osténsum est, nam mater grávida sibi visa est per quiétem lupum edidísse, qui ad Carmelitárum ædem pergens, in ipso templi vestíbulo statim in agnum convérsus est. Adoléscens pie et ingénue educátus, cum sensim ad vítia declináret, sæpe a matre increpátus fuit. Ubi autem cognóvit se paréntum voto Deíparæ Vírgini dicátum fuísse, Dei amóre succénsus, deque visu matris admónitus, Carmelitárum institútum ampléxus est, in quo váriis tentatiónibus a dæmone vexátus, numquam tamen pótuit a Religiónis propósito dimovéri. Mox Lutétiam missus, eménso studiórum currículo, et láurea donátus, in pátriam revocátur, suique Ordinis regímini in Etrúria præfícitur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V.

Interea Fesulána Ecclésia suo viduáta Pastóre, eum

sibi Episcopum elégit : quo múnere se indignum æstimans, diu látuit ignótus, donec púeri voce mirabiliter loquéntis próditus et extra urbem invéntus, ne Divínæ contradíceret voluntáti , Episcopátum suscépit. Ea dignitáte auctus, humilitáti, quam semper colúerat, impénsius incúbuit; et pastoráli sollicitúdini misericórdiam in páuperes, liberalitátem, oratiónis assiduitátem, vigílias, aliásque virtútes adjúnxit, et spíritu étiam prophético clarus fuit; ádeo ut ejus sánctitas ab ómnibus celebrarétur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣ Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI.

His permótus Urbánus Quintus, ad sedándas Bonóniæ turbas Andréam legátum misit : quo in múnere multa perpéssus, cívium ódia, quæ ad interneciónem exárserant, summa prudéntia restínxit : tum, restitúta tranquillitáte, ad própria revérsus est. Nec multo post assíduis labóribus et voluntária carnis macerátione conféctus, óbitus die a beáta Vírgine sibi prædícto, ad cœléstia regna migrávit, anno Dómini millésimo trecentésimo septuagésimo tértio, ætátis suæ septuagésimo primo. Quem Urbánus Octávus multis magnísque miráculis clarum Sanctórum número adscrípsit. Ejus corpus Floréntiæ in ecclésia sui Ordinis quiéscit, et máxima cívium veneratióne cólitur, quibus non semel in præsénti discrímine præsídio fuit.

In III. Noct., Homilia in Evang. Homo péregre *de Comm. 1°. loco et IX Lectio Feriæ cujus fit commem. in Laudibus.*

In II Vesp. fit comm. 1° Sequentis, 2° Feriæ, 3° S. Gilberti Ep. et Conf.

DIE XIII

S. GUILLELMI, CONF. PONT.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., exceptis quæ sequuntur.— M. 3 ℣.

Oratio, Exáudi, quæsumus, *de Communi.*

Commem. Feriæ occurr. et S. Gilberti, *Conf. Pont.*

Oratio, Da, quæsumus, *de Communi.*

IN I NOCTURNO.

Lectiones Fidélis sermo, *de Communi.*

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV

GUILLELMUS in pago Nivernénsi natus, ex illústri Cómitum Nivernénsium génere, sub avúnculi Ecclésiæ Suessionénsis Archidiáconi, ob severiórem vitam Eremítæ dicti, disciplina institútus, plúrimum profécit tum in sacrárum litterárum sciéntia, tum in virtútum exercitatióne. Canónicus primum Suessionénsis, deínde Parisiénsis factus, perfectióris vitæ amóre, Grandimonténsem ingréssus est Ordinem, quem, ob subórtas in eo turbas, cum Cisterciénsi commutávit. Ibi, Pontiniacénsis Monastérii Prior, dein Fontis-Joánnis Abbas, ac subínde Cároli-Loci factus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣ Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

ODO Parisiénsis, ex compromísso eléctus, ut víduæ Bituricénsi Ecclésiæ quem vellet pastórem præfíceret, Guillélmum renuntiávit Episcopum, qui támdiu reluctátus est donec ab Abbáte suo, necnon a Sedis Apostólicæ Legáto, acceptáre jussus fúerit. Episcopáli múnere suscépto monásticum institútum non deséruit Guillélmus. Paupertátis et humilitátis cultor assíduus; inter negotiórum strépitus nunquam non siléntio et oratióni vacans, cárnium esu ábstinens, cilício indútus, dícere solébat novam sibi facto Epíscopo victus austerióris subésse causam, qui peccáta et pópuli et sua perférre ac expiáre teneré tur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

EPISCOPATUS inítio, váriis jactátus procéllis, et Philíppi Augústi regis iram et Optimátum minas, quos ex amícis inimícos expértus est, et graves etiam a Cléricis suis illátas contumélias singulári cum patiéntia sustínuit. Sed Deus pacis Regem et Cléricos Pontífici reconciliávit. Paulo post Guillélmi sánctitas, multis et rebus advérsis, et diáboli tentaméntis probáta, váriis miráculis illustráta est. Ad Albigénsium conversiónem et Catholicórum quos vexá-

bant defensiónem, Innocéntio Tértio hortánte, profectúrus, omnibúsque jam ad iter parátis, in febrim paulo ante Epiphániam incidit: nec minus illo sacro die pópulum, ut solébat, divíni verbi pábulo refécit. Vi morbi urgénte, sancta infirmórum unctióne suscépta, necnon sacra pastus Eucharístia, postrídie ad cœlos evolávit.

℟. Iste est.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homil. in Evang.. Vigiláte, *de Comm.*

Nona Lectio legitur de Homilia Feriæ occurr.

In Laudib. comm. Feriæ occurr. et S. Gilberti.

Vesp de seq. Comm. præced., Feriæ, et S. Valentini, mart. (in Breviario.)

DIE XIV

S. TITI. EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Communi Confessorum Pontificum præter sequentia.

In hymn. Iste confess. *mutatur tertius versus.*

ORATIO

Deus, qui beátum Titum Confessórem tuum atque Pontíficem apostólicis virtútibus decorásti; ejus méritis et intercessióne concéde; ut juste et pie viventes in hoc sæculo, ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per Dóminum nostrum Jesum.

Et fit commemoratio Feriæ.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi: Fidélis sermo.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Titum Creténsium Epíscopum vix Pauli Apóstoli verbo christiánæ fidei sacraméntis, mysteriísque excúltum, ea sanctitátis luce Ecclésiæ tunc vagiénti effulsísse compértum est, ut inter ejúsdem Doctóris géntium discípulos meruérit cooptári. Adscítus in partem óneris prædicatiónis, ádeo evangelizándi ardóre et fidelitáte Paulo éxtitit carus, ut ipse cum venísset Troádem propter Evangélium Christi testátus sit non habuísse réquiem spirítui suo, eo quod Titum fratrem suum ibi non invénerit. Et paulo post Macedóniam petens, rursus suam in eum charitátem ita éxprimit: sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus advéntu Titi.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in

eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

QUAMOBREM Corínthum ab Apóstolo missus, ea sapiéntia, et lenitáte legatiónis hujus múnere functus est, quæ præsertim de fidélium pietáte eleemósynas colligéndas ad sublevándam Ecclésiæ Hebræórum inópiam spectábat, ut Corínthios non solum in Christi fide continúerit, sed étiam desidérium, fletum, æmulatiónem inter eos pro Paulo, qui illos primus instítuit, excitáverit. Ad effundéndum ínterim inter gentes linguis locísque distínctas divíni verbi semen, plúribus terra maríque itinéribus relíctis, magnáque ánimi firmitáte pro Crucis trophæo curis laboribúsque exantlátis, una cum duce Paulo Crete ínsulam áppulit. Cum porro huic Ecclésiæ Epíscopus ab ipso Apóstolo deléctus esset, dubitándum non est, quin in eo múnere ita versátus sit, ut júxta ipsíus Pauli præceptóris mónita, seípsum præbúerit exémplum bonórum óperum in doctrína, in integritáte, in gravitáte.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David, servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

ITAQUE tanquam lucérna inter eos, qui in idololátriæ et mendaciórum ténebris, véluti in umbra mortis, sedébant, religiónis jubar diffúdit. Tráditur eum inter Dálmatas, ut Crucis vexillum explicáret, strénue consudásse. Tandem meritórum et diérum plenus quarto supra nonagésimum anno, prídie Nonas januárii pretiósa justórum morte obdormívit in Dómino, et sepúltus est in Ecclésia, ubi ab Apóstolo miníster fúerat constitútus. Hujus nomen a Sancto Joánne Chrysóstomo et a Sancto Hierónymo præcípue commendátum, Martyrológio románo eádem die inscríptum légitur ; verum pro ejus die festo cum Officio et Missa in cathólico Orbe recoléndo ab utróque Clero, primam insequéntem diem líberam Summus Póntifex Pius Nonus assignávit.

℟. Iste est.

IN III NOCTURNO.

Lectiones de Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Designávit Dóminus *de Communi Evan-*

gelistarum, cum ℟℟. *de Communi Confessorum Pontificum.*

Nona Lectio de Hom. Feriæ de qua et de S. Valentino fit comm. in Laud.

In II Vesp. comm. 1° *Seq.*, 2° *Fer.*, 3° *SS. Faustini et Jovitæ* (in Breviario).

DIE XV

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT CONF.

Semiduplex.

(E die 23 Januar.)

Omnia de Comm. Confess. non Pont., præter ea quæ hic habentur.

In Hymno Iste conféssor, *mutatur tertius versus.*

ORATIO

Deus, qui beátum Raymúndum pœniténtiæ Sacraménti insignem ministrum elegísti, ut per maris undas mirabíliter traduxísti : concéde; ut ejus intercessióne dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum pervenire veleámus. Per.

Deinde fit commem. Feriæ et SS. Faustini et Jovitæ, Mart. (in Breviario.)

IN I NOCTURNO

Lectiones Beátus vir, *de Comm. Conf. non Pont.*

IN II NOCTURNO

LECTIO

Beatus Raymúndus Barcinonénsis ex nóbili família de Pennafort, Christiánæ Religiónis rudiméntis imbútus, adhuc párvulus exímia ánimi et córporis índole magnum áliquid porténdere visus est. Nam adoléscens humanióres lítteras in pátria proféssus, Bonóniam se cóntulit, ubi pietátis offíciis, ac pontifício civilíque juri sédulo incúmbens, et doctóris láurea insignítus, ibídem sacros Cánones magna cum hóminum admiratióne est interpretátus. Ejus virtútum fama percrebescénte, Berengárius Barcinonénsis Epíscopus, cum Roma suam ad Ecclésiam redíret, eum conveniéndi causa Bonóniam iter instítuit, et tandem summis précibus, ut secum in pátriam reverterétur obtínuit. Mox ejúsdem Ecclésiæ Canonicátu, et Præpositúra ornátus, univérso clero et pópulo, integritáte, modéstia, doctrina et morum suavitáte præfúlsit, ac Deíparæ Vírginis quam singulári pietátis afféctu venerabátur, honórem et cultum semper pro víribus auxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum :* Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit

Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit illi claritátem ætérnam.

LECTIO V

Annum circiter quintum supra quadragésimum agens, in Ordine Fratrum Prædicatórum, solémni emissa professióne, ut novus miles, in omni virtútum génere, sed præcípue in charitáte erga egénos et, máxime captivos ab infidélibus deténtos se exércuit. Unde cum ejus hortátu sanctus Petrus Noláscus (cujus ipse confessiónes audiébat) suas opes piissimo huic óperi conférret : tum eídem, tum beáto Raymundo, et Jacóbo Primo Arragóniæ Regi appárens beatíssima Virgo, gratíssimum sibi, et unigénito Filio suo fore dixit, si in suum honórem instituerétur Ordo Religiosórum, quibus captivos ex infidélium tyránnide liberándi cura incúmberet. Quare collátis inter se consíliis, Ordinem Beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum fundavérunt : cui béatus Raymundus certas vivéndi leges præscripsit ad ejúsdem Ordinis vocatiónem accomodatíssimas, quarum approbatiónem áliquot post annos a Gregório Nono impetrávit, et dictum sanctum Petrum primum Generálem Ordinis Magístrum suis ipse mánibus hábitu eódem indútum creávit.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum.* Et ad portas paradísi corónávit eum, ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

LECTIO VI

Ab eódem Gregório Romam accersítus et Capellani, ac Pœnitentiárii, et Confessárii sui múnere decorátus, ejúsdem jussu Romanórum Pontíficum decréta, in divérsis Concíliis et Epístolis sparsa, in unum Decretálium volúmen redégit. Archiepiscopátum Tarraconénsem ab ipso Pontífice sibi oblátum constantíssime recusávit, et tótius Ordinis Prædicatórum generále Magistérium, quod per biénnium sanctíssime administráverat, sponte dimísit. Jacóbo Arragoniæ regi Sacræ inquisitiónis offícii suis in regnis instituéndi auctor fuit Multa patrávit mirácula. ínter quæ illud claríssimum quod ex ínsula Baleári Majóri Barcinónam reversúrus, strato super aquas pállio centum sexagínta mil-

liária sex horis conffécerit, et suum Cœnóbium jánuis clausis fúerit ingréssus. Tandem prope centenárius, virtútibus et méritis cumulátus, obdormívit in Dómino anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quinto, quem Clemens Octávus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo.

In III Nocturno Homilia S. Gregorii Papæ in Evang. Sint lumbi, *de Communi, 1° loco.*

IX lectio de homilia Feriæ occurr.

In Laudibus fit comm. Feriæ et SS. Faustini et Jovitæ.

II Vesperæ a capitulo de sequenti et fit comm. S. Raymundi et deinde Feriæ.

DIE XVI

S. MARTINÆ VIRG. ET M.

Semiduplex

(*e die* 30 *januarii*).

Omnia de Communi Virgin. Mart. præter sequentia.

AD I VESPERAS

HYMNUS

Martinæ célebri pláudite nómini
Cives Romúlei, pláudite gloriæ
Insignem méritis dícite vírginem,
Christi dícite mártyrem.

Hæc dum conspícuis orta paréntibus
Inter delícias, inter amábiles
Luxus illécebras, dítibus áffluit
Faustæ munéribus domus.

Vitæ despíciens cómmoda, dédicat
Se rerum Dómino, et munífica manu
Christi paupéribus distríbuens opes
Quærit præmia Cœlitum.

A nobis ábigas lúbrica gáudia
Tu qui Martyribus dexter ades, Deus
Une et Trine : tuis da fámulis jubar
Quo clemens ánimos beas.
Amen.

ORATIO

Deus qui inter cætera, *de Communi.*

AD MATUTINUM

HYMNUS

Quando hymnus Martinæ *in primis Vesperis dictus non fuit, dicitur in Matutino una cum hymno* Non illam, *sub unâ tantum conclusione.*

Non illam crúcians úngula, non feræ,
Non virgæ horríbili vúlnere cómmovent.
Hinc lapsi e súperum sédibus ángeli
Cœlésti dape récreant.

Quin et depósita sævítie leo
Se rictu plácido prójicit ad pedes :
Te, Martína, tamen dans gládius neci
Cœli cœtibus ínserit.

Te thuris rédolens ara vapóribus
Quæ fumat, précibus júgiter ínvocat
Et falsum périmens auspícium, tui
Delet nóminis ómine.

A nobis ábigas lúbrica gáudia
Tu qui Martyribus dexter ades, Deus
Une et Trine : tuis da fámulis jubar
Quo clemens ánimos beas.
Amen.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi 1° loco.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Martína, Virgo romána, patre consulári, illústri génere nata, téneris adhuc annis orbáta paréntibus, Christiánæ pietátis ardóre succénsa, divítias quibus affluébat, mira in páuperes liberalitáte distríbuit. Sub Alexándro Príncipe, cum deos inánes cólere juberétur, immáne fácinus summa libertáte detestátur. Quaprópter íterum atque íterum afflécta verbéribus, uncis, úngulis férreis, testárum fragméntis laceráta, acutíssimis gládiis membrátim concísa, ádipe fervénti perúncta, demum in amphitheátro damnátur ad béstias : a quibus illæsa divínitus evádens, in ardéntem rogum injécta, incólumis pari benefício servátur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam :* Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

LECTIO V

Ex ejus tortóribus nonnúlli, miráculi novitáte corrépti, Dei aspiránte grátia, Christi fidem ampléxi, post cruciátus gloriósam martyrii palmam cápitis abscissióne promeruére. Ad ejúsdem preces nunc terræ mótibus exórtis, nunc ígnibus e cœlo tonánte delápsis, deórum templa prostráta sunt, et simulácra consúmpta. Intérdum ex vulnéribus lac cum sán-

guine erúpit, splendórque nitidíssimus, ac suavíssimus odor e córpore emanávit : intérdum sublímis, régia in sede, divínis láudibus una cum Cœlítibus interésse visa est.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

LECTIO VI

HISCE prodígiis, ejúsque in primis constántia, ácriter permótus judex, caput vírgini amputári præcépit. Qua perémpta, audítáque de cœlo voce, qua ad súperos evocabátur, Urbs tota contrémuit, ac multi idolórum cultóres ad Christi fidem convérsi sunt. Sacrum Martínæ corpus, sedénte sancto Urbáno Primo, martyrio affèctum, Urbáno Octávo Pontífice Máximo, in pervetústa ejúsdem ecclésia, ad Mamertínum cárcerem, in Capitolíni clivi radícibus, cum sanctórum martyrum Concórdii, Epiphánii, et sóciorum corpóribus repértum, eódem loco in meliórem formam redácto, atque decéntius ornáto, magno pópuli concúrsu, tótius Urbis lætítia, solémni ritu ac pompa repósitum est.

℟. Afferéntur.

In III. Noct. Homilia Símile erit *de Comm.* 1°. *loco. et nona lectio Feriæ.*

AD LAUDES

HYMNUS

TU natále solum prótege, tu bonæ
Da pacis réquiem Christíadum plagis,
Armórum strépitus, et prælia
In fines age Thrácios.

Et regum sócians ágmina sub crucis
Vexíllo, Sólymas néxibus éxime.
Vindéxque innócui sánguinis, hósticum.
Robur fúnditus érue.

Tu nostrum cólumen, tu decus ínclytum,
Nostrárum obséquium réspice méntium :
Romæ vota libens éxcipe, quæ pio
Te ritu canit et colit.

A nobis ábigas lúbrica gáudia
Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
Une et Trine : tuis da fámulis jubar,
Quo clemens ánimos beas.
Amen.

Et fit commem. Feriæ.

In II Vesp. hymnus Martínæ *et fit comm. Feriæ.*

FESTA MARTII

DIE II

S. MACRÆ VIRGINIS ET MARTYRIS

Semiduplex.

Omnia de Communi Virg. Martyr., præter sequentia.

Oratio, Deus, qui inter cætera.

AD I VESPERAS.

Fit commem. Feriæ occurr.

IN I NOCTURNO

Lectiones De Virgínibus, *in Communi.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV.

Macra summa in Christum fide et virginitátis professióne cláruit. Hæc, cum incrédulis Christum prædicáret, a Rictiováro Galliárum tunc Præfécto, in fínibus Paróchiæ Reménsis, quo Augústam Suessiónum véniens divérterat deprehénsa est. Quam cum a fide, nec blandítiis, nec minis detérrére potuísset, tormentórum acerbitáte adoríri státuit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem et justítiam :* Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣ Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et

LECTIO V.

Jussit ergo sanctam Vírginem in ínsulam quæ Lítia vocátur perdúci, ut ibi viva combureretúr. Cum vero in flammis divínitus illæsa permansísset, mamíllis abscíssis, et squalóre cárceris afflicta, super testas étiam acutíssimas prunásque volutáta, orans migrávit ad Dóminum.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

LECTIO VI.

Corpus sanctæ vírginis, haud procul a loco ubi passa est tumulátum, cum áliquot sæculis latuísset, juxta quamdam in honóre sancti Martíni constrúctam ecclésiam parœciæ Finénsis detéctum est, et in præfáta ecclésia honorificéntius repósitum. Inde miráculis clarum, imperánte Cárolo Magno, translátum est in magnificentiórem basílicam, in qua, sæculo sequénti reædificáta, sacra pígnora asserváta sunt usque ad hodiérnam diem. Reliquiárum sanctæ Macræ quædam partes minóres dono datæ sunt in decúrsu témporum plúribus ecclésiis

diœcésis Suessionénsis, et præsértim ecclésiis Faræ et Longævállis quæ hujus venerándæ mártyris patrocínio gloriántur.

℟. Afferéntur.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Símile erit, *de Comm.*

Nona Lectio legitur de Homilia Feriæ occurrentis, et de ea fit comm. in Laudib.

DIE V

S. DRAUSII. CONF. PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. Confess. Pontificis, præter sequentia.

HYMNUS

Christe Pastórum *ut in capite hujusce Proprii.*

ORATIO

Omnipotens Deus, qui beátum Dráusium Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præérat, verbo et exémplo prodésse voluísti; eódem intercedénte; pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

In I Vesperis commem. præcedentis (in Breviario) *et Feriæ occurr.*

IN I NOCTURNO

Lectiones Fidélis sermo, *de Comm.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Drausius, in agro Suessiónico, a Leudomáro et Rachílde piis ac nobílibus paréntibus natus est anno círciter sexcentésimo vigésimo octávo. Mater, concépto fœtu, in pósterum vino abstínuit, sublevandísque paupéribus, ipsómet juvánte maríto, totam se dicávit. His puer informátus móribus, mox beáto Suessiónum Pontífici oblátus est Ansárico, qui exímium adolescéntem, ob ejus humilitátem ac mansuetúdinem tantum diléxit, ut pro fílio habúerit, et ántequam ipse morerétur, Clericátus primórdiis volúerit initiátum. Dein a Bertoléno beáti Ansárici successóre creátus est Archidiáconus, nec multo post, cum ille Cáthedram Episcopálem, propter quoddam sui ingréssus vítium, ultro piéque abdicásset, in ipsius locum, ob vitæ et doctrínæ mérita, ómnium plausu sufféctus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim

mea auxiliábitur ei ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

LECTIO V

INFIRMA licet sæpius valetúdine, óptimi tamen Præsulis partes implévit, nec ulli officio, ullíve labóri sese præbuit imparem. Præsértim nihil omisit quod monástici Ordinis propagatiónem, immunitátes, ac regulárem disciplinam assérere posset. Imprimis vero memorándum venit illud celebérrimum Beátæ Mariæ cænóbium quod pro sanctimóniálibus Suessióne in subúrbio primum cónditum, mox, créscénte confluéntium vírginum número, ab Ebroíno régiæ domus Præfécto obtínuit ut intra muros transferrétur, magnificéque ædificarétur. E Jotrénsi autem monastério Actériam abbatíssam accersívit quæ in hoc cœnóbio eámdem quam in suo disciplínam et psalmódíam institúeret. Demum méritis plenus, maturúsque cœlo, migrávit ad Dóminum Nonas mártii, anno Chrísti sexagésimo septuagésimo. sexto.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

CORPUS ejus, sicut præcéperat, in prima sanctimoniálium basílica, quæ in subúrbio fundáta fúerat, sepúltum est, quod post quatuor annos, íntegrum repértum, et intra urbem ad novam monastérii basílicam quarto Nonas Junii solémni pompa translátum, plúribus refúlsit miráculis, quorum fama permótus Thomas Cantuariénsis Episcopus a sede sua exul Suessiónem venit, in persecutióne quam pro defensión-libertátis Ecclésiæ ab Hénrico Angliæ rege patiebátur, beáti Dráusii opem patrociniúmque imploraturus.

℣ Iste est.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Vigiláte, *de Comm*.

Nona Lectio legitur de Homilia Feriæ occurrentis, et de ea fit commem. in Laudibus.

DIE XVIII

S. GABRIELIS ARCHANGELI

Duplex maj.

(S. Cyrillo Hierosolym. Ep. et Doct. Dies affixa 20 Martii).

Omnia ut in Supple-

287

nto pro aliquibus locis t Comm. Feriæ.

DIE XX

S. CYRILLI HIEROSOLYMITANI EPISC ET DOCTORIS

Duplex

Omnia ut in Breviario *sub die* 18 *Martii et fit comm. Feriæ.*

FESTA APRILIS

DIE XVIII

S. URSMARI EPIS. CONF.

Simplex.

Oratio : Da quæsumus, *de Communi.*

LECTIO III

(*Extra Quadragesimam*).

Sanctus Ursmarus in agro Theoracénsi natus ab infántia præclára pietátis indícia exhibuit regulámque monásticam in cœnóbio Laubacénsi sub disciplína beáti Landelíni ampléxus est. Omnibus grávitate, caritáte, frequentíque oratiónum exercítio exémplar fuit et loco Landelíni, qui álio novi instaurándi monastérii causa discésserat, abbas suffléctus, non sibi jugum alleviári, arctiórem autem disciplínam impóni judicávit. Aqua ei solus potus fuit et a cárnibus et píscibus abstínuit. Epíscopus factus et a sede apostólica missus ut in váriis regiónibus Evangélium Christi prædicáret, ibi, sequéntibus signis, multos infidéles ad religiónem addúxit, ecclesiásque eréxit. Tandem plenus méritis, óbiit décimo quarto kaléndas maii, anno Dómini tértio supra septingentésimum, ætátis vero suæ sexagésimo nono.

DIE XXVI

COMMEN. S. ERMINI. CONF. PONT,

Oratio : Exaudi, quæsumus, *de Communi.*

LECTIO IX

Erminus Ercliæ in território Laudunénsi natus ex ingénuis paréntibus, eminénti ingénio et singulári pietáte a púero cláruit. Crescéntibus in dies virtútibus, a Madalgário Episcopo Laudunénsi sacerdótio méruit initiári. Deínde sub disciplína sancti Ursmári Laubacènsis Abbátis, cui se cómitem et discípulum addíxerat, monásticam vitam proféssus, non nisi demissióri ánimi modéstia, austerióri vitæ institutióne, et ardentióri evangélicæ paupertátis amóre frátribus præcéllere stúduit. Quem póstea sanctus Abbas ætáte jam provéctus, cum sciret Ermínum ad régimen animárum máxime idóneum, in sui locum suffécit ómnium conspirántibus votis.

Dum hujúsce offícii onus digne sustinéret, charáctere episcopáli, velut Ursinárus et quidam post eum Abbátes Laubacénses, insignítus, nec tamen certæ diœcési addíctus, circumvicínis províinciis Evangélii lucem íntulit. Multis tandem perfúnctus labóribus, plenus méritis perréxit ad Dóminum séptimo Kaléndas máii, anno septingentésimo trigésimo séptimo. Ejus memória speciáli veneratióne cólitur in vico Erclíæ, qui nomen sibi assúmpsit sancti Ermíni, et ejúsdem patrocínio máxime gloriátur.

Te Deum laudámus,

In Laud. comm. S. Ermini.

DIE XXX

COMMEM. S. PROBÆ, VIRG. MART.

Oratio, Indulgéntiam nobis, *de Communi.*

LECTIO IX

Ecclesiæ Laudunénsis antíqua fert tradítio vírginem Probam ex Scótia oriúndam, spretis mundi illécebris, se Christo vírginem sponso devovísse, ut córpore et spíritu vitam illibátam perpétuo tradúceret. In território Laudunénsi pro Christo passa créditur. Cólitur ejus memória in duábus ejúsdem antíquæ diœcéseos paróchiis, quarum una sub ipso sanctæ Probæ nómine et invocatióne : áltera autem, Scalæ dicta, quibúsdam sanctæ Mártyris pignóribus ditátam se jamprídem gloriátur.

FESTA MAII

DIE I

COMMEMOR. S. MARCULPHI CONF.

Oratio, Intercéssio nos, *de Communi*

LECTIO IX

Marculphus apud Bajocásses natus circa finem sæculi quinti, a Sancto Possessóre Epíscopo Constantiénsi présbyter et sacri verbi prœco institútus est. Nec multo post, cum virtútibus et miráculis jam clarus esset, monastérium ædificávit in loco Nanto dicto quem a rege Childebérto obtinúerat; ibíque et in áliis cellis subínde constrúctis, totus discípulis informándis incúbuit. Post plúrimos et vários labóres in pace quiévit Kaléndis maii anno quingentésimo quinquagésimo octávo. Ejus relíquiæ, labénte nono sæculo, cum Normánni regiónem vastárent, ad villam régiam pagi Laudunénsis Corbiniácum dictam translátæ sunt, ubi usque ad ho-

diérnam diem religióse asservántur. Sancti Marcúlphi virtus in strumis curándis semper enítuit, unde inváluit mos ut reges francórum christianíssimi, a tempóribus sancti Ludovíci, Corbiniácum adírent postquam Remis sacro chrísmate inúncti fúerant, corpus veneratúri Beati Confessóris cujus méritis dicúntur accepísse privilégium strumas solo mánuum tactu curándi.

Te Deum laudámus.

Et fit, in Laudibus, S. Marculphi commemoratio.

DIE II

COMMEMORATIO S. THEODULPHI ABBATIS

Oratio, Intercéssio, *de Communi.*

LECTIO IX.

Theodulphus in secúnda Aquitánia præcláro génere ortus, anno ætátis vigésimo, monastérium in monte Hor, prope Remos, póstea sancti Theodórici dictum, ingréssus est. Ibi abjectióra quæque offícia, sub ipsíus sancti Theodórici disciplina ferventíssime ampléxus est, et per contínuos vigínti duos annos arátrum indefésso labóre circumdúxit. Theodórici successóre vita functo, unánimi fratrum suffrágio Abbas renuntiátus est, statímque sacerdótio inaugurátus. Exínde omnes superáre stúduit non tam dignitáte quam severióri régulæ monástica observántia, et austerióri vivéndi ratióne, de qua nihil remísit ad annum usque nonagésimum, quo, post laboriósum quinquaginta annórum régimen, ad ætérnam beatitúdinem est evocátus, Kaléndis máii, labénte sǽculo sexto.

Te Deum laudámus.

In Laud. commem. S. Theodulphi.

DIE V

COMMEM. S. VICTRICII, CONF. PONT.

Oratio, Da, quæsumus, *de Communi.*

LECTIO IX.

Victricius in adolescéntia primum milítiæ nomen dedit; simul et christiánæ fídei initiári vóluit. Mox autem Christi amóre veheméntius accénsus, ab armis discédere decrévit. Itaque quo die consi.·um militáre habebátur, missiónem petit, et arma ad tribúni pedes prójicit. Quamobcausam in cárcerem con-

jicitur, et ad mortem damnátur. Multis vero magnisque miráculis, teste sancto Paulíno, liberátus, secéssum pétiit, Christum páuperem pauper ipse secutúrus. Hinc, propter virtútis famam, raptus est ut Rotomagénsem Ecclésiam régeret, quam et verbo et exémplo ad eam prope vitæ sanctitátem addúxit, quæ in Ecclésia Jerosolymitána primum fúerat. Victrícium tanti fecit Martínus Turonénsis, ut apud Carnútas ipsi honórem detúlerit edéndi miráculi, quod quidem Victrícius præ humilitáte attentáre recusávit, nec ipse beátus Martínus adoríri vóluit, nisi ejúsdem précibus accínctus. Scripsit ad Innocéntium Pontíficem quinam esset Ecclésiæ Románæ usus circa vária disciplínæ cápita. Rescríptum dedit Summus Póntifex quod háctenus extat; ab eóque pétiit ut quas ad eum mittébat régulæ in vicínis Ecclésiis promulgaréntur. Obiit Vitrícius, imperánte adhuc Honório, séptimo Idus augústi. Sequéntibus autem sæculis, bello provínciam vastánte, corpus ejus Brennácum, villam régiam pagi Suessiónici translátum est, ubi magna fidélium devotióne recolítur. Cujus étiam insígnes relíquiæ in Ecclésia Cathedráli asservántur.

Te Deum laudámus.

In Laud. commemoratio S. Victricii.

DIE VI

COMMEM. S. CENERICI CONF. NON PONT.

Oratio: Intercéssio nos, *de Communi.*

LECTIO IX

Cenericus, nóbili génere, Spoléti in Umbria natus, assídua sacrórum Códicum lectióne magnum hausit pietátis sensum. Relíctis ómnibus, Romæ aliquándiu commorátus est, ibíque a Summo Pontífice ad Diaconátum evéctus. Cum autem ejus virtus magnæ jam esset apud Romános existimatiónis, in Gálliam venit, et in Diœcesim Sagiénsem juxta Sartam flúvium se recépit. Ibi, virtútum splendóre et sanctitátis fama mónachos ad centum quinquagínta adunátos refert Orderícus Vitális. Cenerícus miram semper præ se tulit erga fratres quos regébat sollicitúdinem, erga páuperes charitátem, erga persecutóres patiéntiam et benignitátem. Obdormívit in pace Nonis Máii, anno círciter sexcentésimo sexagésimo

2.59

nono. Corpus ejus sepúltum est in ipso loco, etiámnunc Castro ac município Sancti Ceneríci cognomináto : unde, cum Neústriæ fines a Danis vastaréntur, in Castrum-Theodoríci ad Mátronam intra términos Suessiónicæ Diœcéseos translátum est.

Te Deum laudámus.

In Laud. commemoratio S. Cenerici.

DIE IX

COMMEM. S. BEATI CONF. NON PONT.

Oratio : Adésto, Dómine, *de Communi.*

LECTIO IX

Sancti Beáti ignóta sunt genus et primórdia. Ad Garúmnæ ripas, in Convenárum Diœcesi, primum innótuit, ubi nunc extat cívitas ipso Sancti nómine insigníta. Inde ad Lígeris oras se recépit, látebras frustra quæsitúrus : nam sua próditus fama, brevi ómnium veneratiónem sibi conciliávit, ut testántur plúrimæ in ejus memóriam ibi extrúctæ Basílicæ. Tandem, quo secrétius delitésceret, Laudúnum secéssit, et spelúncam Cheversónium dictam, ad plagam montis orientálem ingréssus est, quæ póstea Sancti Beáti Crypta nuncupáta est, et quámdiu éxtitit, pia fidélium veneratióne colebátur. Ibi in extréma senectúte, vitam contínuis pœniténtiæ labóribus afflictátam pretiósa morte finívit. Corpus ejus miráculis clarum fidélium cúltui fuit expósitum. Relíquiæ Sancti Beáti ab Ansélmo Præsule in capsa argéntea repósitæ sunt, et quotánnis in festo ejus, per urbem solémniter circumferúntur, magna comitánte fidélium multitúdine, quorum frequéntia per octo festivitátis dies devóta persevérat.

Te Deum laudámus.

In Laud. commemoratio S. Beati.

DIE XIII

S. ONESIMI EPISC. SUESS. ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter seq.

HYMNUS

Christe, Pastórum *ut in capite hujusce Proprii.*

ORATIO

Omnipotens Deus, qui beátum Onésimum Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti; eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commissis, dírige in viam salútis

ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

In I Vesp. comm. præcedentis (in Breviario).

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

ONESIMUS adhuc puer Clero Suessiónico adscríptus est a Mercúrio Epíscopo qui, Constántis Imperatóris témpore, Synodo Sardicénsi intérfuit atque subscrípsit. Huic matúra morte defúncto, Onésimus, a quo pridem pópulus mónita salútis accípere assuéverat, commúni ómnium consénsu, succéssor datus est. Mirum quantum sédula ejus cura et labóre in circúitu invalúerit christiána Relígio, Gratiáno et Theodósio exímiæ pietátis Imperatóribus, post túrbidos Arianórum motus fídei libertátem tandem asseréntibus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúia. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

LECTIO V

FRETUS horum Imperatórum edíctis, Onésimus, ídola passim ac delúbra destrúere, tum aras atque ecclésias eórum loco constrúere cœpit. Ad eum úndique confluébant tam ex agris quam ex vicis pópuli, supplicitérque orábant ut Christiáni fíerent. Eos peramánter excipiébat pius Póntifex et si qui rei domésticæ angústia aut ália calamitáte premeréntur, his misericórditer áderat; si vero ad commovéndos incrédulos miráculis aut virtútibus aliquándo opus esset, eos ægris et male habéntibus per Apostólicæ grátiæ charísmata efficáciter subveniéndo pertrahébat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúia. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

CETERUM inter labóres assíduos, cum grávibus ipse quandóque dolóribus et incómmodis vexarétur, aut carnis afflictatióne seípsum ultro cruciáret, longum sine ferro pértulit martyrium. Tandem, plenus diérum, cœlo réddidit spíritum, tértio Idus Máii, exeúnte sæculo quarto. Ejus corpus Suessióne sepúltum, póstea Duácum translátum est, ubi

váriis morbis ægróti, ad ejus túmulum orántes, domum sæpe sani rediérunt.

℟. Iste est.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Vigiláte, *de Comm.*

In II Vesp. Hymnus Christe Pastórum *et comm. sequentis* (in Breviario).

DIE XVI

S. JOANNIS NEPOMUCENI MART.

Duplex.

(*Transfertur S. Ubaldus ad diem* 21).

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis.

Vesper. a Cap. de seq. (in Breviario). — *Comm. præc. et S. Montani, Conf., Oratio :* Adésto, *de Communi.*

DIE XVII

COMMEM. S. MONTANI CONF. NON PONT.

LECTIO IX

MONTANUS, nóbili génere ortus, a téneris annis totum se pietáti et virtútis opéribus dedit. Adúltus in solitúdinem se recépit, ubi vigíliis et pœniténtiæ labóribus eníxe a Deo flagitábat pacem dari Ecclésiæ, quæ váriis calamitátibus máxime in Gállia Bélgica premebátur. Exaudítum a Deo se séntiens, sanctæ Cilíniæ, provéctæ licet ætátis, prænuntiávit ex ea brevi nascitúrum fílium nómine Remígium, qui Dei miníster ad multórum salútem foret, et ínsuper nato púero, se lacte puérperæ, oculórum usum quo dudum orbátus erat, recuperatúrum. Prædictiónis veritátem probávit evéntus. Obiit circa sæculi quinti finem, in solitúdine quam, prope Faram ad Isaram, in extréma senectúte incoluísse fertur. Hujus pretiósa pígnora quæ in últimi sæculi perturbatióne, Deo favénte, serváta sunt, quotánnis fidélium veneratióni gaudens expónit Farénsis Ecclésia.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Montani.

DIE XXI

S. UBALDI EPISC. ET CONFESS.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario, *die* 16. M. 3. ℣.

In II Vesp. commem. S. Boetiani Conf. non Pont.

DIE XXII

S. BOETIANI CONFESS. NON PONT.

Oratio: Deus qui, *de Comm.*

LECTIO III

BOETIANUM in vico Petrapónte Diœcésis Laudunénsis quidam natum arbitrántur, álii autem ex Hybérnia oriúndum, et cum Gobbáno, Algíso et áliis ad oras Gálliæ, ut irruéntium turbárum tumúltibus se subdúceret, transmeásse. Is sanctórum Mummóli et Fursæi discípulus, omnes ab eis austerióris vitæ mores háuserat, quos in omni humilitáte ad últimum usque excóluit, sicque plenus méritis, ad Deum migrávit. Pretiósæ sancti Confessóris Relíquiæ eódem in vico Petrapónte prius Canónicis beáti Boetiáni nómine insignítis felíciter concréditæ, póstea vero apud parochiálem Ecclésiam quæ ejus patrocínio et clientéla gaudet, summo cum honóre etiámnum asservátæ, illic ánnua celebritáte pióque concúrsu fidélium colúntur.

Te Deum laudámus.

DIE XXIV

B. M. V. SUB TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis.

In II Vesp. commem. 1° S. Gregorii VII, Papæ et Confess. 2° S. Urbani Papæ et Martyris (in Breviario).

DIE XXIX

S. RESTITUTÆ VIRG. ET MART.

Simplex.

Oratio : Indulgéntiam, *de Communi.*

LECTIO III

Ex libro Sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris de disciplína et hábitu Vírginum.

Cap. 2.

Nunc nobis ad Vírgines *de Communi, 2° loco.*

FESTA JUNII

DIE II

SS. POTHINI ET SOCIOR. MART.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Mart., Tempore Paschali, præter seq.

ORATIO

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Pothíni et sociórum ejus natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Comm. SS. Marcellini, Petri et Erasmi, Mart.

Orat. Deus qui nos ánnua, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Ex Epístola Ecclesiárum Viennénsis et Lugdunénsis ad Ecclésias Asiæ et Phrygiæ.

Euseb. Hist. Eccl. L. 5, *c.* 1.

BEATUS Pothínus, Ecclésiæ Lugdunénsis Epíscopus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte martyrii, mira alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quo perlátus, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis, et univérsa plebe váriis eum clamóribus impeténte, tanquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus a Præside quisnam esset Christianórum Deus, respóndit : Si dignus fúeris, cognósces. Post hæc inhumáne raptátus, et innúmeris plagis afféctus est; cum ii quidem qui própius astábant, cálcibus et pugnis illum contumelióse appéterent; qui vero lóngius distábant quidquid ad manum erat in ipsum conjícerent; omnes dénique gravíssimi piáculi reos se existimárent, nisi pro sua quisque parte ei petulánter insultárent. Quippe hoc modo injúriam deórum suórum ultúros se arbitrabántur. Exínde vix adhuc spirans, in cárcerem projéctus est; tandémque post bíduum ánimam exhalávit. Matúrus vero neóphytus, et Sanctus, diáconus Viennénsis, cum Blandína ancílla, et Attalo, ducti sunt ad béstias in amphitheátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus consuéta illic flagrórum vérbera pertulérunt, et bestiárum ipsos trahéntium morsus, ipsam postrémo férream cáthedram, cui superpósita Mártyrum membra cum torreréntur, illórum nares molestíssimus nidor implébat. Hi ergo máximo certámine perfúncti, tandem juguláti sunt.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine;* Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum : gáudium et exultatiónem obtinébunt. Et ætérnitas.

LECTIO V

BLANDINA autem ad palum suspénsa, béstiis objécta est. Quæ cum in crucis spéciem cernerétur, Deóque intentíssime supplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus; quippe qui, sub soróris persóna, cérnerent illum qui pro ipsis

crucifixus est. Cumque nulla tunc béstia corpus ejus attigísset, depósita ex stípite rursus in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reserváta. Attalus quoque cum per amphitheátrum circumducerétur præcedénte eum tabélla, in qua latíno sermóne scriptum erat : Hic est Attalus Christiánus; Præses postquam Románum eum esse cómperit, redúci in custódiam jubet, lítteris ad Cæsarem datis de his qui inclúsì tenebántur. Ineúnte ígitur solémni apud nos mercátu, Præses addúci jubet Mártyres ad tribúnal, tanquam in theatráli pompa eos pópulis osténtans. Cumque illos dénuo interrogásset, quicúmque cives Románi repérti sunt, cápite truncávit; réliquos trádidit béstiis.

℟. In servis suis, allelúia, *Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. Consolábitur.

LECTIO VI

Cæterum ingens glória accéssit Christo per eos qui prius quidem negáverant, tunc vero confitebántur fidem. Quibus exámini subjéctis, Alexánder natióne Phryx, professióne médicus, plures jam annos morátus n Gálliis, cum illos ad fidei confessiónem nútibus hortarétur, cunctis qui tribúnal circúmdabant tanquam partúriens videbátur. Instans íllico Præses interrogávit eum quis esset. Qui cum christiánum se esse dixísset, irátus judex eum ad béstias damnávit. Postrídie ígitur una cum Attalo ingréssus est; nam et hunc Præses béstiis íterum tradíderat. Ambo ítaque cum ómnia tormentórum génera in amphitheátro sustinuíssent, gládio percússi sunt. Ultimo tandem spectaculórum die, Blandína rursus illáta est una cum Póntico adolescénte quíndecim círciter annos nato. Et Pónticus quidem, cuncta supplícia generóse perpéssus, emísit spíritum. Beáta vero Blandína post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa, tauro objécta est a quo diu in altum jactáta, tandem et ipsa instar víctimæ juguláta est.

℟. Filiæ.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homil. in Evang. Ego sum vitis vera, *de Comm. plurium Mart.*

IX Lectio (ex duabus una) *de SS. Marcellino, Petro etc., ut* in Breviario.

In Laud. comm. SS. Mart. Vesp. de Seq. commem.

præced. et S. Algisi conf. non Pont. — Oratio: Deus qui, *de Communi.*

DIE III

S. CLOTILDIS NEC VIRG. NEC MART.

Duplex.

Omnia de Comm. non Virg. nec Mart., præter seq.

ORATIO

Respice, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígne pópulum tuum: et quibus per devótam Sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti; iisdem per ejus intercessiónem tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Clotildis, Chilperíci Burgundiónum Regis fília, Suessióne quæ tunc Francórum Impérii caput erat, Clodovæo adhuc infidéli fidélis in matrimónium juncta est, certo Dei consílio. Quæ cum intra annum primogénitum suscepísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovæo, baptizári jussit: cui nomen impósitum fuit Ingoméres. Cum autem infántis in albis defúncti mortem ægre ferret Clodovæus, ac baptísmo imputáret, gráviter Clotíldem objurgávit, ásserens deos pátrios ob contémptum núminis sui irátos sibi fílium eripuísse. At illa: Deo, inquit, Omnipoténti, Creatóri ómnium, grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam, ut de útero meo génitum regno suo dignarétur ascíre. Alterum fílium Regína cum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit, et appellátus est Clodoméres. Qui cum ægrotáre cœpísset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus conváluit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúia. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

LECTIO V

At Regína non cessábat hortári virum, ut abjécta idololátria Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhæsit, donec in expeditióne Alamánnica, inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, qui

Clodovæum fidem edóctum baptizávit et chrísmate sacro inúnxit.

℟. Dilexísti justitiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, allelúia. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea unxit.

LECTIO VI

Post mortem Clodovæi, Turónos ádiit Clotíldis, ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni, summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis, aliísque piis opéribus inténta, munífica erga ecclésias et monastéria. Clodoméris in bello Burgúndico occísi fílios, nepótes suos, Theodováldum, Guntárium et Clodoáldum educávit. Tandem plena diérum Turónis migrávit ad Dóminum, et Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a fíliis Childebérto et Clotário régibus, ad latus Clodovæi, in sacrário basílicæ sancti Petri ubi corpus sanctæ Genovéfæ quiescébat. Unde póstea váriæ Relíquiæ divérsis tempóribus accéptæ sunt, inter quas non infímum locum tenent quæ ante séculum décimum tértium in Diœcesim Suessionénsem allátæ sunt ad vicum Viviriénsem, ubi eréctum fuit Ordinis Præmonstraténsis monastérium, póstea autem Parochiális Ecclésia surréxit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur, allelúia. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Símile est, *de Comm.*

LECTIO IX

Algisus, seu Adalgísus, quem ex Hibérnia claro génere natum tradunt, sancto Fursæo discípulum se dedit, a quo monásticæ disciplìnæ régulas fuit edóctus. Sacerdótio insignítus, paupéribus ac præsértim rurícolis evangelizándi desidério sensit se inflammátum, et Apostolórum límina adeúndi pium cepit consílium. Quare a sancto Fursæo benígne dimíssus cum Gobbáno et quibúsdam áliis sóciis, ad Gállias transmeávit primum, ubi ad sanctum Petrum Corbeiénsem diversátus est. Inde ab amícis sejúnctus ad Isaræ ripas in território Laudunénsi se cóntulit, et in desertíssimo sylvæ Theorás-

ciæ loco, juxta montem, tunc sancti Juliáni nómine dictum, céllulam seu monasteriólum construxit, in quo cum quibúsdam alúmnis, quos ejus sanctitátis fama illuc accersíverat, aspérrimam vitam duxit. Campéstribus missiónibus totum se devóvit, et pagánæ superstitióni Evangélicam fidem fórtiter oppónens, quam exímiis opéribus comprobábat, innúmeros Christo péperit. Romam tandem perréxit, et voti compos factus, ad céllulam lætus rédiit cum multis Sanctórum pignóribus, ibíque non multo post cursum suum felíciter explévit. Corpus ejus in ipso céllulæ oratório cónditum est, quod miráculis plúrimis ita incláruit, ut ex pio peregrinórum concúrsu insurréxerit vicus qui Sancti Algísi nómine et patrocínio nunc insignítur.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Algisi.

DIE VIII

S. MEDARDI EPISC. CONF.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter seq.

ORATIO

Deus qui nos Sancti Medárdi Confessóris tui atque Pontíficis confessióne circúmdas et prótegis : da nobis ejus imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Comm. Conf. Pont., 1° loco.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Medardus apud Salentiácum in agro Viromanduénsi, nóbili génere natus, piéque ádmodum educátus, a púero exímia sanctitátis, pietátis ac modéstiæ præbuit indícia, necnon præcláræ in páuperes charitátis exémpla : quippe qui puérulus adhuc et cibis ad victum sibi necessáriis mendícos infirmósque reficiébat, et veste pretiósa qua eum pia mater indúerat, páuperem nudum ac cæcum contéxit. Missus póstea Augústam Viromanduórum, ut lítteris instituerétur, índeque Tornácum, ut stúdia absólveret, celérrimos in sciéntia progréssus hábuit, in pietáte vero máximos, ita ut condiscípulis doctrína et morum integritáte præíret. Hic autem Eleuthérium egrégiæ índolis adolescéntulum sibi sócium elégit ambóque pia æmulatióne decertábant. Cui Medárdus Spíritu sancto plenus prænuntiávit in aula régia dignitátem, et

trigínta post annos Episcopálem ínfulam : quod deìnde rei probávit evéntus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúia. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

LECTIO V

Tot ac tantórum audíta meritórum fama, Sophrónius Viromanduénsis Epíscopus, Medárdum in sacerdótem órdinat, síbique in docéndis ac pascéndis óvibus adjúngit; quod munus quadragínta annis tanta prudéntia, tanto charitátis zelo, tamque felíci éxitu sustínuit, ut defúncto Sophrónii successóre Aloméro, unánimi consénsu ad Episcopátum evocátus sit sexagenário major. Onus quidem angélicis húmeris treméndum, præ humilitáte primum declináre tentávit, sed ómnium précibus victus assíduis, tandem suscépit. Exínde, ómnia ómnibus factus, operárius plane inconfusíbilis, non ópibus, non óperæ, non víribus pepércit, ut gregem suum in omni virtútum génere institúeret. Anno autem Episcopátus secúndo, cum Augústa Viromanduórum a Vándalis evérsa fuísset, Noviómum, tunc munítius óppidum, sedem Episcopálem, gregi suo síbique prudentíssime cónsulens, cénsuit transferéndam.

℟. Pósui ajutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúia. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

Interim sanctus Eleuthérus, Tornacénsis Epíscopus, móritur. Post cujus exéquias, cum clerus et pópulus Tornacénsis Medárdum sibi dari Epíscopum postulássent, sancto Remígio cæterísque Provínciæ Epíscopis annuéntibus, Rege et procéribus sua auctoritáte rem promovéntibus, utriúsque Ecclésiæ curam suscépit, Episcopális sedis hónore utríque serváto, quamvis Tornacénses ab eo témpore per annos círciter sexcéntos non álios quam Novioménses habúerint Epíscopos. Flandros, gentem tunc ferócem, convértit ad Christum. Obiit anno salútis quingentésimo sexto, eúmque Clotárius summo cum honóre apud Suessiónas in villa sua régia sepelíri jussit, et Basílicam ad ejus túmulum cœpit ædifi-

cáre, quam Sigebértus fílius ejus absólvit et ornávit. Unde póstea celebérrimum illud Monastérium Sancti Medárdi nómine insignítum, quod usque ad séculi décimi octávi finem éxstitit. Exínde ibídem, promovénte Júlii de Simónio Suessionénsis Epíscopi largitáte et sollicitúdine, opitulantibúsque fidélis pópuli eleemósynis, pia et perútilis Surdo-Mutórum Institútio fundáta est.

℟. Iste est.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Vigiláte, *de Comm.*

In II Vesp. comm. sequentis (in Breviario).

DIE XIV

SS. RUFINI ET VALERII MARTYR.

Duplex majus.

(*Transf. S. Basilius Magnus Ep. et Doct. in diem* 15 *junii*).

Festum SS. Rufini et Valerii, quando incidit infra Octavam Pentecostes, transfertur juxta Rubricas post Domin. SS. Trinitatis.

DIE XV

S. BASILII MAGNI EP. ET DOCT.

Duplex.

Festum S. Basilii, quando incidit infra Octavam. Pentecostes, transfertur juxta Rubricas post Dom. SS. Trinitatis.

DIE XVIII

VIGILIA SS. GERVASII ET PROTASII MARTYRUM

Quando Vigilia incidit infra Octavam. Pentecostes, de ea nihil fit in Officio, sed tantum in Missa.

DIE XIX

SS. GERVASII ET PROTASII MARTYRUM PRÆCIPUORUM DIŒCESIS SUESSIONENSIS PATRONORUM

Duplex I classis cum Octava.

Quando hoc festum incidit infra Octavam. Pentecostes aut Dominica SS. Trinitatis, transfertur juxta Rubricas.

APPENDIX DE SANCTIS

ECCLESIARUM AUT PARŒCIARUM PATRONIS

Notandum quod in festis sequentibus servari debet ritus Tempori conveniens, juxtà Rubricas.

FESTA MARTII

DIE XXVII

S. RUPERTI EPISCOP. CONFESS.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter seq.

Oratio : Exáudi, *de communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de libro Ecclesiastici : Laudémus viros, *de Communi, 2° loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

RUPERTUS Vangionénsis Ecclésiæ Epíscopus, regnánte Childebérto, secúndo Francórum rege, tanta humilitátis, mansuetúdinis, castitátis, prudéntiæ ceterarúmque ómnium virtútum laude prædítus fuit, ut genus suum a Francórum régibus ductum exímia in Deum fide ac pietáte illustrárit. Is cum plenus Spíritu Sancto óptimam vivéndi formam sese ipsum grege suo exhibéret vita et factis probans, quid-quid sermóne docuísset, religiónem precándi assiduitáte, prudéntiam dandis consíliis, justítiam feréndis senténtiis, abstinéntiam córpore perpétuis jejúniis macerándo miríficè confirmávit, adeóque largus et benígnus erga ínopes fuit, ut hoc solum suum existimárit quod in míseros et egénos contulísset.

LECTIO V

QUAM magnus autem fructus ex hac íllius vita in cæteros promanáverit, multi non solum a vicínis, sed étiam a longínquis regiónibus, pópuli, ejus ope in salútis viam tradúcti, testántur. Théodo imprímis Bavàriæ dux qui íllius sanctitátis et miraculórum fama audíta, misit ad eum legátos, primários viros, rogavítque ut suas ditiónes invísere easque ac se sanctæ fídei lúmine collustráre vellet. At ille, licet multis persecutiónibus fatigátus esset, pium ac sanctum onus non recusávit. Paulo ígitur post,

Théodo a Rupérto, una cum multis selectíssimis procéribus ac magno hóminum multitúdine, baptizátus est.

LECTIO VI

RUPERTUS vero cum episcopálem sedem ad lacum Walérsee constituísset templúmque in honórem Beáti Petri Apostolórum príncipis ad Juvávium flúvium in loco qui nunc Salisbúrgum dícitur, clericórum ministériis aliísque rebus necessáriis instrúctum primus erexísset, ánimum statim ad réliquam gentem Baváriæ sacra Christi religióne imbuéndam convértit, eamque duódecim viris, óperæ et labórum sóciis sibi adjúnctis, ad cathólicam fidem, Deo tandem pios ejus conátus adjuvánte, tradúxit. Cujus rei grátia factum est ut Bavarórum Apóstolus merúerit appellári. Cum dénique jactis passim multárum Ecclesiárum fundaméntis, Episcopátum plúribus annis summa cum laude gessísset, sacrosánctæ missæ sacrifício ipso Domínicæ Resurrectiónis die perácto, ac discipulórum ánimis patérna hortatióne confirmátis, cœlésti vita perpétuo fruitúrus migrávit ad Dóminum.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang. Vigiláte, 2° *loco, de communi.*

FESTA MAII

DIE IV

S. CYRIACI EPISC. MART.

Omnia de Communi Mart. Temp. Pasch. præter seq. :

Oratio : Infirmitátem, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Actibus Apost. A Miléto, *de Communi unius Mart.*, 1° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

QUIRIACUS seu Cyriácus Epíscopus, dum in Palestína Jesum Christum fórtiter et constantíssime confiterétur, cruciátus innúmeros perpéssus est et gloriósam martyrii palmam reportávit. Cujus insígnis triúmphus mox disseminátus est apud Gálliam; et in óppido Pruvinénsi peculiári veneratióne beátus Quiriácus honorátus est. Sub ejus título ecclésia antíquitus erécta fúerat cum Hénricus Primus, Campániæ comes, sacrum ejus caput ex Oriénte Pruvínum áttulit et novam amplíssimæ ac nobilíssimæ obstrúcturæ basílicam ædificávit. Hæc vero basílica,

nunc parochiális, decorabátur olim insígni clericórum collégio multísque ditabátur privilégiis et immunitátibus. In eádem servabátur pars áliqua Sancti Quiriáci cápitis, cujus translátio quarto Kaléndas augústi celebrátur.

LECTIO V

Sermo S. Augustini Episcopi, Triumphális, *de communi, 1° loco.*

LECTIO VI

Coronáta ítaque, *de eodem communi.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evang. Si quis venit, 1° *loco.*

DIE V

S. MAURONTI ABBATIS

Omnia de Communi Abbatum præter seq.

Oratio : Intercéssio, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Libro Eccles. Beátus vir, 2° *loco, de Communi.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Sanctus Mauróntus, in Gallo-Flándria ex beáto Adaldáldo sanctáque Rictrúde tam virtúte quam régio sánguine præclaríssimis natus, inter tres soróres páriter sanctas primogénitus, a sancto Richário baptizátus est. Qui, cum adolevísset, aulæ régiæ, spléndidis sponsálibus cunctísque mundi illécebris strénue valedíxit, suadénte sancto Amándo Trajecténsi Epíscopo, qui eum tonsúra clericáli insignítum, mox in Diáconum ordinávit. Tunc monastérium Broylénse, quod in prædiis suis ipse fundáverat, non minus humíliter quam diligénter rexit, nec non, post mortem scílicet præfátæ sanctæ Rictrúdis Abbatíssæ, cœnóbium Marchiánum, in quo ipse pie obdormívit anno Christi septingentésimo octávo. Ossa ejus ibídem sepúlta, deínde in urbem Duácum transláta sunt quæ eum singulári cultu ut patrónum venerátur. Haud procul Suessióne, extat paróchia, Marchiána-Vallis nómine, quæ beáti Mauróntii gaudet patrocínio, et hæc quidem território ádjacet Vreniáco, in quo sita est villa, quæ ex dono sanctæ Eusébiæ, soróris sancti Mauróntii, ad cœnóbium Marchiánum non ita pridem adhuc pertinébat.

LECTIO V

Derisédur justi simplícitas, *de Communi*, 2° *loco.*

LECTIO VI

At contra, *de eodem Communi.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus, *de Communi Abbatum, 1° loco.*

DIE XI

S. GANGULPHI MARTYRIS

Omnia de Communi Martyrum Temp. Pasch. præter seq.

Oratio: Præsta...ut qui, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Epistola B. Pauli ad Romanos, Fratres, debitóres, *de Comm. plurimor. Mart., 1° loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

GANGULPHUS claris in Burgúndia ortus natálibus, sed virtútibus clárior, a prima ætáte petulántium adolescéntium consórtia devítans, probatióribus tantum se adjungébat, quorum sermónibus et exémplis ad virtútem inflammári posset. Unde factum est ut præter puritátis candórem quem semper illibátum servávit summa in Deum pietáte et in egénos liberalitáte enitúerit. Quaprópter defúnctis paréntibus cum amplíssimum patrimónium in ejus ditiónem devenísset, melιórem íllius partem in pios usus pauperúmque sustentatiónem impéndit.

LECTIO V

PROGRESSU vero témporis cum suórum consílio uxórem duxísset, géneris quidem nobilitáte non imparem, sed móribus longe dissímilem, incredíbile est quam multa quamque indígna ab eádem perpéssus sit. Dum ipse in Pippíni Francórum regis exércitu strénue ac fidéliter militáret, eam aúdiit, violáta conjúgii fide, álteri palam adhæsísse. Ad sua revérsus, nihil intentátum relíquit ut adúlteram ad melιórem frugem revocáret; sed nefária múlier cónjugis ánimam non solum iníquis opéribus, sed et omni convitiórum génere, de die in diem cruciáre non cessábat. Qui tandem ne tam nefárii adultérii patrónus viderétur, ipsam a consórtio suo pénitus amóvit, relictísque Varénnis, territórii Lingonénsis castro in quo degébat, ad prædium tunc témporis Avalénse nuncupátum, quátuor inde milliáribus díssitum, se recépit.

LECTIO VI

VERUM non multo post pérfida múlier sancti viri necem machinátur. Ipsa suggerénte, eum cum solum et famulórum mini-

stério destitútum deprehendisset mœchus, clam in ejus cubiculum ingréssus gládio transvérberat. Quo accépto vúlnere, ut sensit adésse vitæ finem, domínici córporis et sánguinis sacraménto suum múniens éxitum, felíciter migrávit e sæculo. Ad cujus túmulum Deus, per várias morbórum sanitátes aliáque mirácula, servi sui sanctitátem testátam esse vóluit. Corpus vero in Avalénsi ecclésia primo depósitum, Varénnas póstea delátum conditúmque fuit in Basílica sancti Petri, quam própriis súmptibus ædificáverat. Cum autem Normánni-Dani totam fere Gálliam ferro flammáque vastárent, Varennénses sancti mártyris relíquias ad urbem Língonas, arcem munitíssimam, censuérunt asportándas. Hic magna eórum pars ad hanc usque diem custóditur.

IN III NOCTURNO

Léctio Sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII

In illo témpore, dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homília S. Joánnis Chrysóstomi.

(*Hom.* 36 *in Matth.*).

Non dixit bellum, sed quod atrócius est, gládium; quod si acérbius hæc et minus compósite dicta tibi videántur néquaquam miréris. Nam ne suspicári quis posset verbórum lenocíniis alléctos a Christo fuisse apóstolos ; ac étiam ut asperitáte verbórum ad injústas contumélias audítum præparet, non jucúnde rem ásperam, sed aspérrime atque duríssime prótulit.

LECTIO VIII

Nec ista sibi suffecérunt, sed látius natúram ístius belli ac síngulas partes amplíficans, omni bello intestíno atque cívili multo magis pestíferum osténdit, dicens : Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum et fíliam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam, et inimíci hóminis doméstici ejus.

LECTIO IX

Magnum enim ómnino ac super hóminem est, quod qui primi hæc audíerint, libénter suscípere et áliis persuadére potúerant, et quanquam non ipse, sed hóminum impróbitas horum ómnium causa futúra esset, se tamen factúrum ómnia dicet; talis quippe

Scripturárum est consuetúdo, ut enim étiam álibi dícitur : Dedit ipsis Deus óculos ne vídeant ; sic étiam in hoc loco : et quemádmodum díximus, hæc ómnia præmeditáti atque his verbis stabilíti, cum oppróbriis et contuméliis peteréntur, minus turbári possent.

DIE XXIII

S. DESIDERII EPISC. MART.

Omnia de Communi Mart. Temp. Pasch. præter seq.

Oratio : Infirmitátem, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Actibus Apostol., A Miléto, *de Communi unius Martyris, 1° loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Quo témpore bárbari ab extréma Germánia profécti, tradúcto Rheno, per Gállias hostíliter grassabántur, sedébat Língonis Desidérius Epíscopus. Illi, váriis provínciis igneferróque vastátis, Língonas obsedérunt. Cum vidéret sanctus Præsul urbem premi et bárbaros extréma quæque tectis ac cívibus minitári, assúmptis secum Cleri et pópuli primóribus, ex urbe egréditur, hostílis exércitus ducem pro suis supplex rogatúrus. Bárbarus venerándi senis nec dignitáte motus, nec précibus, eum extémplo cum sóciis trucidári jubet. Desidérius autem pro créditis sibi óvibus ultro caput objíciens, migrávit ad Christum. Sancti mártyris corpus viri religiósi curárunt, et in lóculo compósitum lapídeo, in crypta subterránea condidérunt.

LECTIO V

Sermo S. Augustini : Triumphális, *de Communi, 1° loco.*

LECTIO VI

Coronáta ítaque, *de eodem Communi.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium : Si quis venit, 1° *loco, de Communi.*

DIE XXVIII

S. GERMANII PARISIENSIS EPISC. ET CONF.

Omnia de communi Conf. Pont, præter seq.

Oratio : Exáudi, *de Communi.*

IN I NOCTURNO.

Lect. de Libro Ecclesiastici : Laudémus viros, *de Communi, 2° loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Germanus, apud Æduos natus, présbyter pri-

mum, et monastérii Sancti Symphoriáni Æduénsis Abbas, ob morum sanctitátem ad Episcopátum Ecclésiæ Parisiénsis assúmptus est. Nihil ídeo remísit de austerióri vita quam in monastério égerat. Hora noctis tértia Ecclésiam ingréssus, non recedébat ante dilúculum, cæteris de clero per tres vigílias sibi ínvicem ad psalléndum succedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo semper áliquid conférret in privátis collóquiis, lectiónes sacras ad mensam adhibéret, et dum iter ágeret, horas canonícas nudo cápite, étiam inter equitándum persólveret.

LECTIO V

Mira erat ejus in páuperes, máxime vero in servos captivósque rediméndos beneficéntia, et Childebérto Regi ádeo probáta, ut e regáli ærário ad pias largitiónes ingéntem ei pecúniam subministráret. Caribérto Regi, qui uxóris sorórem dúxerat, sacris interdíxit. Sigebértum per lítteras a cæde Chilperíci fratris deterrére conátus est, et suis mónitis reluctántem brevi moritúrum prædíxit. In Synodo Bituricénsi plúrimos Judæos Christo lucrátus est. Aliquot ante tránsitum diébus, hæc verba, Quinto Kaléndas júnias, ad lectum scribi vóluit. Qua die, fere octogenárius, in pace quiévit.

LECTIO VI

Sermo S. Maximi Episcopi, Beáti Patris Germáni, *de Communi, 2° loco.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangel. Vigiláte, *de Communi, 2° loco.*

FESTA JUNII

DIE XVI

SS. CYRICI ET JULITTÆ MARTYRUM

EADEM DIE

SS. FERREOLI ET FERRUTIONIS MARTYRUM

Festa horum SS. Patronorum, quando incidunt infra octavam Pentecostes, transferuntur juxta Rubricas post Dominicam SS. Trinitatis.

EXTRA OFFICIUM

Recitari aut cantari permittitur sequens.

HYMNUS

Virgíneis títulis quæ matris jungis honóres
Hac natos fóveas nocte benígna tuos.

Fúlgida stella maris, secli dum mérgimur undis
Sis lux in ténebris et bene fida quies.

Si sopor obrépit, casti
fac mater amóris
Cor vígilans uno spiret
amóre Dei.

Virgo Dei genítrix, pró-
pius res áspice no-
stras;
Dicáris pópuli vita salus
que tui.

Glória summa Patri,
compar sit glória nato;
Par tibi laus, Flamen,
quo pia Virgo parit.
Amen.

OFFICIA PROPRIA

DIOECESIS SUESSIONENSIS

PARS ÆSTIVA

DECRETUM APPROBATIONIS

SUESSIONNEN.

Ut Kalendarium perpetuum, cum Proprio Officiorum et Missarum anno 1851 a Sa. me. Pio Papa IX approbatum in usum diœceseos Suessionen, ad accuratiorem formam redigeretur ac simul additamenta et variationes quæ, volventibus annis, in ea locum habuerunt, ad tramitem rubricaram et decretorum plane disponerentur, Rmus Dns Odo Thibaudier hodiernus episcopus, votis etiam suæ Cathedralis ecclesiæ Capituli obsecundans, Kalendarium ipsum cum Proprio reformare studuit, quod supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papæ XIII sanctioni demissime subjecit.

Quum vero Sanctissimus idem Dominus Noster ejusmodi novi Kalendarii ac Proprii examen commiserit Sacræ Rituum Congregationi; hæc omnibus accurate perpensis, exquisito etiam voto alterius ex Rmis consultoribus ipsius Sacræ Congregationis, propositum Kalendarium et Proprium a se correctum et ordinatum, prouti in superiori exemplari prostat, probari posse censuit. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua ratam habens, concessit ut ab omnibus de clero Suessionen. diœceseos tam seculari quam regulari, diœcesano Kalendario utentibus, præfatum Kalendarium et Proprium in recitatione Horarum Canonicarum et sacrosancti Missæ sacrificii celebratione in posterum unice adhibeatur : injuncto tamen onere ut statim ac hæc omnia typis impressa fuerint, duplex eorumdem authenticum exemplar ad ipsam Sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 26 junii 1884.

P. Cardinalis BARTOLINIUS S. R. C. PRÆFECTUS.
LAURENTIUS SALVATI S. R. C. *Secretarius.*

BOURLOTON. — Imprimeries réunies, B.

14

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS

DD. ODONIS THIBAUDIER

EPISCOPI SUESSIONENSIS ET LAUDUNENSIS,
REMENSIS PROVINCIÆ DECANI ET PRIMI SUFFRAGANEI,
PRÆLATI DOMESTICI,
ASSISTENTIS SOLIO PONTIFICIO ET COMITIS ROMANI,
AUCTORITATE,
NECNON VENERABILIS EJUSDEM ECCLESIÆ CAPITULI
CONSENSU ET OPERA,

CUM S. SEDIS APOSTOLICÆ APPROBATIONE

EDITA

PARS ÆSTIVA



PARISIIS

APUD ROGER ET CHERNOVIZ, EDITORES

7, VIA DES GRANDS-AUGUSTINS, 7

—

1885

LICENTIA

ET APPROBATIO ORDINARII

ODO THIBAUDIER

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

EPISCOPUS SUESSIONENSIS ET LAUDUNENSIS

PROVINCIÆ REMENSIS DECANUS ET PRIMUS SUFFRAGANEUS,

PRÆLATUS DOMESTICUS, ASSISTENS SOLIO PONTIFICALI, COMES ROMANUS :

Commendatissimis Nobis viris Roger et Chernoviz, bibliopolis parisiensibus, licentiam dedimus typis mandandi Kalendarium perpetuum et Officia propria Sanctorum diœcesi nostræ a SS. Domino Nostro Leone Papa XIII specialiter concessa die 26ª junii 1884.

Cumque Nobis constet per presbyteros a Nobis deputatos Kalendarium istud et Officia propria jam excusa, diligenti collatione facta, cum originali concordare, approbavimus illaque evulgandi licentiam dedimus.

Datum Suessione, sub signo sigilloque nostris ac Secretarii curiæ Episcopalis Nostræ subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo quinto, die vero mensis Februarii undecima.



† ODO
Episc. Suessionen. et Laudunen.

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi D.D. Episcopi Suessionensis et Laudunensis :

LEDOUBLE
Can. hon. secretarius.

KALENDARIUM PERPETUUM

ET

PROPRIUM OFFICIORUM

IN USUM

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

A SACRA RITUUM CONGREGATIONE APPROBATUM ANNO 1881

PARS ÆSTIVA

MAIUS

17 Paschalis Baylon, Conf., *dupl. Comm.* S. Montani, Conf.
18 Venantii, Martyris, *duplex.*
19 Petri Cœlestini, Pap. Conf., *dupl. Comm.* S. Pudentianæ, Virg.
20 Bernardini Senensis, Conf., *semid.*
21 Ubaldi, Episc. Conf. (dies aff. è 16 huj.), *semid.*
22 Boetiani, Conf., *simplex.*
23
24 B. M. V. sub titulo Auxilium Christian., *dupl. maj.*
25 Gregorii VII Pap. et Conf., *dupl. Comm.* S. Urbani, Pap. M.
26 Philippi Nerii, Conf., *dupl. Comm.* S. Eleutherii, Pap. M.
27 Mariæ Mag. de Pazzis, Virg., *semid. Comm.* S. Joannis, Pap. et Mart.
28 Augustini, Episc. Cantuariensis Conf., *duplex.*
29 Restitutæ, Virg. et Mart., *simplex.*
30 Felicis, Papæ M., *simplex.*
31 Angelæ Mericiæ, Virg., *dupl. Comm.* S. Petronillæ, Virg.

JUNIUS

1
2 Pothini et Soc., Mm., *semid. Comm.* SS. Marcellini et Socior., Mart.
3 Clotildis, Galliæ Reginæ, Vid., *dupl. Comm.* S. Algisi, Conf.
4 Francisci Caracciolo, Conf., *duplex.*
5 Bonifacii, Episc. Mart., *duplex.*
6 Norberti, Episc. Conf., *duplex.*
7
8 Medardi Episc. Conf., *dupl. maj.*
9 Primi et Feliciani Mm., *simplex.*
10 Margaritæ, Scotor. Regin., Vid., *semid.*
11 Barnabæ, Apost., *dupl. maj.*

12 Joannis a S. Facundo, Conf., *dupl. Comm.* SS. Basilidis et Soc., Mm.
13 Antonii de Padua, Conf., *duplex.*
14 Rufini et Valerii, Mm., *duplex maj.*
15 Basilii Magni, Episc. et Doct. (dies aff. è 14 huj.), *dupl. Comm.* SS. Viti et Soc., Mm.
16
17
18 Vigil. SS. Gervasii et Protasii, Mart. *Comm.* SS. Marci et Marcellini, Mart.
19 Gervasii et Protasii, Mm., Diœcesis Suessionensis Patronor. præcip., *duplex I classis cum Octav.*
20 Julianæ de Falconeriis, Virg. (dies aff. è 19 huj.), *dupl. Comm.* Oct. et S. Sylverii, Pap. et M.
21 Aloysi Gonzagæ, Conf., *dupl. Comm.* Oct. et S. Gobbani Mart.
22 De Octava *semid. Comm.* S. Paulini, Ep. Conf.
23 De Octava *semid. Comm.* Vigil.
24 Joannis Baptistæ Nativitas, *dupl. I cl. cum Octav.*
25 Gulielmi, Abb., *dupl. Comm.* Octavarum.
26 Octava SS. Gervasii et Protasii, Mm., *dupl. Comm.* Oct. S. Joann. B.
27 Joannis et Pauli, Mm. (dies aff. è 26 huj.), *dupl. Comm.* Oct. S. Joann. B. et SS. Irenæi et Soc., Mm.
28 Leonis, Pap. et Conf., *semid. Comm.* Oct. S. Joannis Bapt. et Vigil.
29 Petri et Pauli, Apost., *dupl. I cl. cum. Oct. Comm.* omn. Apost.
30 Comm. S. Pauli, Apost., *dupl. maj. Comm.* S. Petri, Ap., et Oct. S. Joannis B.

FESTA MOBILIA

Feria V post Domin. SS. Trinitatis, Festum Corporis Christi, *dupl. I cl. cum Oct.*

Feria VI post Octav. Corporis. Sacratissimi Cordis Jesu, *dupl. II cl.*

Dom. III post Pentec. Purissimi Cordis B. M. V., *dupl. maj. Comm.* Dom.

JULIUS

1 Octava S. Joannis Bapt., *dupl. Comm.* Oct. SS. Apost.
2 Visitatio B. M. V., *dupl. II cl. Comm.* SS. Processi et Martiniani, Mm.
3 De Octava, *semid.*
4 De Octava, *semid.*
5 Cyrilli et Methodi, Epp. CC., *dupl. Comm.* Oct.
6 Octava SS. Petri et Pauli, *dupl.*
7
8 Elisabeth, Reginæ Portugal., Vid., *semid.*
9
10 Septem Fratrum et SS. Rufinæ et Secundæ, Mm., *semid.*
11 Pii, Papæ Mart., *simplex.*
12 Joannis Gualberti, Abb., *dupl. Comm.* SS. Naboris et Felicis, Mm.
13 Anacleti, Pap. et M., *semid.*
14 Bonaventuræ, Ep. Conf. et Doct., *duplex.*

15 Henrici, Imperat., Conf., *semid.*
16 B. M. V. de monte Carmelo, *dupl. maj.*
17 Alexii, Conf. *semid.*
18 Camilli de Lellis, Conf., *dupl. Comm.* SS. Symphorosæ et Filior., Mm.
19 Vincentii a Paulo, Conf., *duplex.*
20 Hieronymi Æmiliani, Conf., *dupl. Comm.* S. Margaritæ, Virg. et Martyris.
21 Praxedis, Virg., *simplex.*
22 Mariæ Magdalenæ, Pœnit., *dupl. maj.*
23 Appollinaris, Ep. Mart., *dupl. Comm.* S. Liborii, Ep. C.
24 Vigilia. *Comm.* S. Christinæ, Virg. M.
25 Jacobi Apostoli, *duplex II cl. Comm.* S. Christophori, Mart.
26 Annæ, Matris B. M. V., *dupl. II cl.*
27 Pantaleonis, Mart., *simplex.*
28 Nazarii, Celsi, Victoris, Papæ Martyrum, ac Innocenti, Pap. Conf., *semid.*
29 Marthæ, Virg., *dupl. maj. Comm.* SS. Felicis et Soc., Mm.
30 B. Urbani II, Papæ et Conf., *dupl. Comm.* SS. Abdon et Sennen, Mm.
31 Ignatii de Loyola, Conf., *duplex.*

FESTA MOBILIA

Dom. I Julii. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., *dupl. II cl. Comm.* Dominicæ.

AUGUSTUS

1 Petri ad vincula, *duplex maj. Comm.* S. Pauli et SS. Machabæorum, Martyrum.
2 Alphonsi Mariæ de Liguorio, Ep. et Doct., *dupl. Comm.* S. Stephani, Pap., et M.
3 Inventio S. Stephani, Protomatyris, *semiduplex.*
4 Dominici, Conf., *duplex maj.*
5 Dedicatio S. Mariæ ad Nives, *duplex maj.*
6 Transfiguratio Domini nostri Jesu Christi, *duplex maj. Comm.* S. Xysti, Pap. M.
7 Cajetani Thienæi, Conf. *dupl. Comm.* S. Donati, Episc. et Mart.
8 Cyriaci, Largi et Smaragdi, Mart., *semiduplex.*
9 Bandaridi, Episc. Suess. et Conf., *dupl. Comm.* Vig. S. Laurentii et S. Romani, Mart.
10 Laurentii, Mart., *duplex II classis cum Octav.*
11 De Oct. *Comm.* SS. Tiburtii et Susannæ, Mart.
12 Claræ, Virg., *dupl. Comm.* Octavæ.
13 Radegundis, Galliæ Reg., Vid., *semid. Comm.* Oct. et SS. Hyppolyti et Cassiani, Mart.
14 De Oct. *Comm.* Vigiliæ, et S. Eusebii, Conf.
15 Assumptio B. Mariæ Virginis, *duplex I classis, cum Octav.*
16 Rochi, Conf., *dupl. Comm.* Octavarum.
17 Octava S. Laurentii, *dupl., Comm.* Octavarum.
18 Hyacinthi, Conf. (dies aff. è 16 huj.), *duplex. Comm.* Oct. et S. Agapiti, M.
19 Arnulphi, Episc. Suess. et Conf., *dupl. Comm.* Oct.
20 Bernardi, Abb. et Doct., *dupl., Comm.* Oct.
21 Joannæ Franciscæ de Chantal, *dupl. Comm.* Oct.

22 Octava Assumptionis Beatæ Mariæ, *dupl. Comm.* SS. Timothei, etc., Mart.
23 Philippi Benetii, Conf., *dupl. Comm.* Vigiliæ.
24 Bartholomæi, Apostoli, *duplex II classis.*
25 Ludovici, Regis Franciæ, Conf., *dupl. Comm.* S. Hunegundis, Virg.
26 Cæsarii, Ep. Conf., *semid. Comm.* S. Zephyrini, Pap. et Mart.
27 Josephi Calasanctii, Conf., *duplex.*
28 Augustini, Episc. Conf. et Ecclesiæ Doct., *dupl. Comm.* S. Hermetis, Mart.
29 Decollatio S. Joannis Baptistæ, *duplex majus. Comm.* S. Sabinæ, Mart.
30 Rosæ, Virg. Limanæ, *dupl. Comm.* SS. Felicis et Adaucti, Mart.
31 Raymundi Nonnati, Conf., *duplex.*

FESTA MOBILIA

Dom. infr. oct. Assumptionis. S. Joachim, Patris B. M. V., *dupl. II cl. Comm.* Dom.

SEPTEMBER

1 Sixti et Sinicii, primor. Epp. Suession., *dupl. I cl.*
2 Stephani, Regis Hung., *semid.*
3
4 Genebaldi, Ep. Laud. et Conf., *duplex.*

DE SANCTIS PATRONIS

DIŒCESEOS, IN SUFFRAGIIS

In Laudibus. Ant. Intercéssio, Dómine, nobis sanctórum Gervásii et Protásii mártyrum tuórum succúrrat, atque nobis ubíque prótegat et deféndat, ut ambórum précibus ab ómnibus malis liberémur.

In Vesperis. Ant. Mártyres gloriósi, Gervási et Protási, imploráte pro nobis ut voluntátem Dómini in ómnibus adimplére valeámus; et dum vestram commemoratiónem méntibus devótis celebrámus, vestris quoque précibus, grátiam Dómini ac vitam ætérnam adipísci mereámur.

℣. Justórum ánimæ in manu Dei sunt.

℟. Et non tanget illos torméntum malítiæ.

ORATIO

Deus, qui nos sanctórum Mártyrum tuórum Gervásii et Protásii commemoratióne lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

PARS ÆSTIVA

FESTA MOBILIA

FERIA VI

POST OCTAVAM CORPORIS CHRISTI

SACRATISSIMI CORDIS JESU

Duplex II classis.

Omnia ut in Breviario *post finem mensis Maii. Primæ Vesperæ sunt de festo SS. Cordis Jesu, et non fit commemor. Octavæ Corporis Christi.*

DOMINICA III

POST PENTECOSTEN

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Duplex maj.

IN I VESPERIS

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi et Hymnus ut in Festis B. M. V.

℣. Exúlta in omni corde fília Jerúsalem. ℟. Rex Israel Dóminus in médio tui.

Ad Magnif. Ant. Exultávit cor meum in Dómino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo, quia lætáta sum in salutári tuo.

ORATIO

Omnipotens sempitérne Deus, qui in Corde Beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus Sancti habitáculum præparásti: concéde propítius; ut ejúsdem Puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit comm. Dominicæ.

AD MATUTINUM

Invitat. Ave, María, grátia plena : * Dóminus tecum.

Psalm. Veníte.

Hymn. Quem terra *ut in Festis B. M. V.*

IN I NOCTURNO

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui.

Psalmi ut in Festis B. M. V.

Ant. Et ait : Magníficat ánima mea Dóminum, et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

Ant. Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ; ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℣. Anima mea liquefácta est.

℟. Ut locútus est diléctus.

De Cánticis Canticórum.

LECTIO I, *Cap.* 4.

Quam pulchra es amíca, mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut vitta coccínea, lábia tua; et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vulnerásti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum; in uno crine colli tui. Favus distíllans lábia tua, Sponsa, mel et lac sub lingua. Hortus conclúsus, fons signátus.

℟. Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : lætétur cor meum : * Ut tímeat nomen tuum. ℣. Pone me ut signáculum super bráchium tuum. Ut tímeat.

LECTIO II, *Cap.* 5.

Veni in hortum meum, Soror mea Sponsa : méssui myrrham meam cum aromátibus meis, comédi favum cum melle meo. Vox dilécti mei pulsántis : áperi mihi, soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea, quia caput meum plenum est rore, et cincínni mei guttis nóctium, Surréxi ut aperírem diléсto meo : manus meæ stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha probatíssima. Apérui diléсto meo, at ille declináverat atque transíerat. Anima mea liquefácta est, ut locútus est.

℟. In Dómino gaudébo, et exultábo in Deo Jesu meo, Deus Dóminus fortitúdo

mea.* Super excélsa dedúcet me. ℣. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera íllius amplexábitur me. Super.

LECTIO III, *Cap.* 5 *et* 6.

Qualis est diléctus tuus ex dilécto, o pulchérrima mulíerum? qualis est diléctus tuus ex dilécto, quia sic adjurásti nos? Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus, totus desiderábilis. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, fíliæ Jerúsalem. Quo ábiit diléctus tuus, o pulchérrima mulíerum? Quo declinávit diléctus tuus, et quærémus eum tecum? Pulchra es amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt, regínæ laudavérunt eam

℟. Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine mi. *Qui consolátus es me, et locútus es ad cor ancíllæ tuæ. ℣. In toto corde meo exquisívi te, ne repéllas me a mandátis tuis. Qui. Glória Patri. Qui.

IN II NOCTURNO

Ant. Beáta, quæ credidisti quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino.

Ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. Fecit poténtiam in bráchio suo, dispérsit supérbos mente cordis sui.

℣. Fortis est ut mors diléctio. ℟. Dura sicut inférnus æmulátio.

Sermo sancti Bernárdini Senénsis.

Ex Serm. 9. *de Visitatione.*

LECTIO IV

Quis mortálium, nisi divíno fretus oráculo, de vera Dei et hóminis Genitríce quidquam módicum sive grande præsúmat pollútis lábiis nomináre: quam Pater ante sæcula Deus perpétuam prædestinávit in Vírginem digníssimam: Fílius elégit in Matrem: Spíritus sanctus omnis grátiæ domicílium præparávit? Quibus verbis ego homúnculus sensus altíssimos Vírginei Cordis, sanctíssimo ore prolátos éfferam: quibus non súfficit lingua ómnium, et etiam angelórum? Dóminus enim ait: bonus homo de bono thesáuro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros hómines mélior homo potest excogitári, quam illa, quæ

méruit éffici Mater Dei, quæ in Corde et in útero suo ipsum Deum hospitáta est? Quis thesáurus mélior, quam ipse divínus amor quo Cor Vírginis ardens erat?

℟. Ego diligéntes me dílígo, et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiæ et glória :* Opes supérbæ et justítia. ℣. Ut ditem diligéntes me et thesáuros eórum répleam. Opes.

LECTIO V

De hoc ígitur Corde quasi fornáce divíni ardóris Virgo Beáta prótulit verba bona, id est verba ardentíssimæ charitátis. Sicut enim a vase óptimo vino pleno, non potest exíre nisi óptimum vinum : aut sicut a fornáce summi ardóris non egréditur nisi incéndium fervens : sic de Corde Matris Christi exíre non pótuit verbum, nisi summi summéque divíni amóris atque ardóris. Septem verba tantum miræ senténtiæ et virtútis a Christi benedictíssima Matre legúntur dicta. Cum Angelo bis tantum locúta est. Cum Elísabeth bis étiam. Cum Fílio étiam bis. Cum minístris in núptiis semel. Hæc septem verba, secúndum septem amóris actus, sub miro gradu et órdine prolάta, quasi sunt septem flammæ Cordis ejus.

℟. Ego Mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis :* In me omnis spes vitæ et virtútis. ℣. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. In me.

LECTIO VI

Quæ verba consíderans mens devóta, cum ipso prophéta ait : Quam dúlcia fáucibus meis, id est ómnibus affectiónibus elóquia tua : Porro dulcédo hæc, quam in verbis Beátæ Vírginis devóta mente sentit, est ardor piæ devotiónis, quam in eis ánima experimentáliter probat. Distinguámus ígitur per órdinem has septem flammas amóris, verbórum Vírginis benedíctæ. Prima est flamma amóris separántis. Secúnda amóris transformántis. Tértia amóris communicántis. Quarta amóris jubilántis. Quinta amóris soporántis. Sexta amóris patiéntis. Séptima amóris consuméntis.

℟. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei.

* Qui me invénerit invéniet vitam et háuriet salútem a Dómino. ℣. Qui autem in me peccáverit lædet ánimam suam : omnes qui me odérunt, díligunt mortem.. Qui me. Glória Patri. Qui me.

IN III NOCTURNO

Ant. Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me?

Ant. Misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Ant. Suscépit Israel púerum suum recordátus misericórdiæ suæ.

℣. Ego dilécto meo : ℟. Et ad me convérsio ejus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap*. 2.

In illo témpore; dixit Mater Jesu ad illum : Fili quid fécísti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et réliqua.

De Homília Venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Homil. Hyem. de temp. Dom. I. post Epiph.

Mater ejus, inquit Evangelísta, conservábat ómnia verba hæc in Corde suo. Omnia quæ de Dómino, vel a Dómino dicta sive acta, cognóverat Mater Virgo, diligéntius in Corde retinébat, sollícite cuncta memóriæ commendábat, ut cum domum tempus prædicándæ, sive scribéndæ Incarnatiónis ejus adveníret, sufficiénter univérsa, prout essent gesta, posset explicáre quæréntibus. Imitémur et nos, Fratres mei, piam Dómini Matrem, ipsi quoque ómnia verba et facta Dómini ac Salvatóris nostri fixa in corde conservándo.

℟. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem :* Neque flúmina óbruent eam. ℟. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. Neque.

LECTIO VIII

Horum Dómini verbórum et actórum meditatióne diúrna et noctúrna importúnos inánium nocentiúmque cogitatiónum repellámus incúrsus : horum crebra collatióne et nos et próximos nostros a fábulis supervácuis, et male dulcorátis detractiónum collóquiis castigáre, atque ad divínæ frequéntiam laudis accéndere curémus. Si enim, fratres caríssimi, in futúri beatitúdine sæculi habitáre in domo Dómini ac perpétuo illum laudáre desiderámus, opórtet nimírum et in hoc sæculo, quod in futúro quærámus, solli-

cite præmonstrémus : frequentándo vidélicet Ecclésiæ límina, et non solum in ea laudes Dómini canéndo, sed et in omni loco dominatiónis ejus ea, quæ ad laudem gloriámque Conditóris nostri profíciant, verbis páriter ac factis ostendéndo.

℟. Spíritus meus super mel dulcis et hæréditas mea super mel et favum. Qui audit me non confundétur.* Et qui operántur in me non peccábunt. ℣. Qui elucídant me, vitam ætérnam habébunt. Et qui. Glória. Et qui.

Lect. IX de Homil. Dominicæ occurr. Te Deum.

AD LAUDES

Et per Horas, Antiph.

1. TRAHE me* post te, currémus in odórem unguentórum tuórum.

2. Diléctus meus* lóquitur mihi : surge, própera, amíca mea.

3. Fulcíte* me flóribus stipáte me malis : quia amóre lángueo.

4. Adjúro vos,* fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis diléctam quoadúsque ipsa velit.

5. Ego dórmio et cor meum vígilat.

CAPITULUM, *Cant* 8. b.

PONE me ut signáculum super Cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio. Lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

HYMNUS

O GLORIOSA vírginum *de Communi B. M. V.*

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam. ℟. Et háuriet salútem a Dómino.

Ad Bened. Ant. Extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi ; beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti.

ORATIO

OMNIPOTENS sempitérne Deus qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti : concéde propítius ; ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit comm. Dominicæ.

Ad Primam in ℟. *br. dicitur* ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM

℟. *br.* Anima mea* Liquefácta est. Anima. ℣. Ut locútus est diléctus. Liquefácta est. Glória Patri. Anima mea.

℣. Fortis est ut mors diléctio.

℟. Dura sicut inférnus æmulátio.

AD SEXTAM

CAPITULUM *Eccli.* 24.

Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram, ego feci in cœlis, ut orirétur lumen indeficiens, et sicut nébula texi omnem terram.

℟. *br*. Fortis est.* Ut mors diléctio. Fortis. ℣. Dura sicut inférnus æmulátio. Ut mors. Glória Patri. Fortis est.

℣. Ego diléсto meo. ℟. Et ad me convérsio ejus.

AD NONAM

CAPITULUM *Eccli.* 24.

In omni terra steti, et in omni pópulo, et in ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor.

℟. *br*. Ego* Diléсto meo. Ego. ℣. Et ad me convérsio ejus. Diléсto meo. Glória Patri. Ego.

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam. ℣. Et háuriet salútem a Dómino.

IN II VESPERIS

Ant. et Cap. de Laud. Psalm. et Hymn. ut in Festis B. M. V.

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri : ℟. Cum dilatásti Cor meum.

Ad Magnif. Ant. Exultávit Cor meum in Deo salutári meo : quia fecit mihi magna qui potens est.

Et fit comm. Dominicæ.

FESTA SANCTORUM

IN FESTIS

SANCTORUM EPISCOPORUM

CONFESSORUM

SUESSONENSIUM

ET LAUDUNENSIUM

Quæ suo loco inter festa propria reperiuntur.

ORATIO

Omnipotens Deus, qui beátum N... Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

HYMNUS

qui dicitur in utrisque Vesperis et Laudibus.

Christe, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis Festum veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequéntat.

Ille non vano ténuit treméndam

Spíritu sedem, próprio nec ausu;
Sed sacrum jussus, Dómino vocánte,
Sumpsit honórem.

Strenuum bello púgilem supérni
Chrismátis pleno tuus unxit intus
Spíritus cornu, posuítque sanctam
Páscere gentem.

Fit gregis pastor, pater atque forma,
Lætus impéndit sua seque, servus
Omnium, curis gravis, omnibúsque
Omnia factus.

Pro reis orat, réficit geméntes,
Erigit lapsos, tenebrásque pellit;
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.

Fac ut illíus précibus juvémur
Christe; fac Patrem paritérque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

FESTA MAII

DIE XVII

COMMEMORATIO S. MONTANI CONF. NON PONTIF.

Oratio : Adésto, *de Communi.*

LECTIO IX

Montanus nóbili génere ortus a téneris annis totum se pietáti et virtútis opéribus dedit. Adúltus in solitúdinem se recépit, ubi vigíliis et pœniténtiæ labóribus, eníxe a Deo flagitábat pacem dari Ecclésiæ, quæ váriis calamitátibus, máxime in Gállia Bélgica, premebátur. Exaudítum a Deo se séntiens, sanctæ Cilíniæ, provéctæ licet ætátis, prænuntiávit ex ea brevi nascitúrum fílium nómine Remígium, qui Dei miníster ad multórum salútem foret, et ínsuper nato púero, se, lacte puérperæ, oculórum usum quo dudum orbátus erat, recuperatúrum. Prædictiónis veritátem probávit evéntus. Obiit circa sæculi quinti finem, in solitúdine quam prope Faram ad Isaram , in extréma senectúte, incoluísse fertur. Hujus pretiósa pígnora quæ in último séculi perturbatióne, Deo favénte, serváta sunt, quotánnis fidélium veneratióni gaudens expónit Farénsis Ecclésia.

Te Deum laudámus.

In Laudibus commem. S. Montani.

DIE XXI

S. UBALDI, EPISC. ET CONFESS.

Semiduplex.

(E die 16.)

Omnia ut in Breviario. (M. 3. ℣.)

In II Vesp. Comm. S. Boetiani Conf. non Pont.

DIE XXII

S. BOETIANI CONFESS. NON PONT.

Simplex.

Oratio : Deus qui, *de Communi.*

LECTIO III

Boetianum in vico Petrapónte Diœcesis Laudunénsis quidam natum arbitrántur, álii autem ex Hybérnia oriúndum, et cum Gobbáno, Algíso et áliis ad oras Gálliæ, ut irruéntium turbárum tumúltibus se subdúceret, transmeásse. Is sanctórum Mummóli et Fursæi discípulus, omnes ab eis austerióris vitæ mores háuserat, quos in omni humilitáte ad últimum usque excóluit, sicque plenus méritis, ad Deum migrávit. Pretiósæ sancti Confessóris Relíquiæ eódem in vico Petrapónte prius Canónicis beáti Boetiáni nómine insignítis felíciter concréditæ, póstea vero apud parochiálem Ecclésiam quæ ejus patrocínio et clientéla gaudet, summo cum honóre etiámnum asservátæ, illic ánnua celebritáte pióque concúrsu fidélium colúntur.

Te Deum laudámus.

DIE XXIV

B. M. V. SUB TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis.

In II Vesp. comm. 1° *S. Gregorii VII, Papæ et Conf.* — 2° *S. Urbani P. et M.* (in Breviario).

DIE XXIX

S. RESTITUTÆ VIRG. ET MART.

Simplex.

Oratio : Indulgéntiam, *de Communi.*

LECTIO III

Ex libro Sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris de disciplína et hábitu Vírginum.

Cap. 2.

Nunc nobis ad Vírgines, *de Communi,* 2° *loco.*

FESTA JUNII

DIE II

SS. POTHINI ET SOCIORUM EJUS MARTYRUM.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurim. Martyr. præter seq.

Oratio : Deus qui nos concédis, *de Communi.*

Comm. SS. Marcellini, Petri, etc., ut in Breviario.

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Ex Epístola Ecclesiárum Viennénsis et Lugdunénsis ad Ecclésias Asiæ et Phrygiæ. — *Euseb. Hist. Eccl. L.* 5. *c.* 1.

BEATUS Pothínus, Ecclésiæ Lugdunénsis Epíscopus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte martyrii, mira alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quo perlátus, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis, et univérsa plebe váriis cum clamóribus impeténte, tanquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus a Præside quisnam esset Christianórum Deus, respóndit : Si dignus fúeris, cognósces. Post hæc inhumáne raptátus, et innúmeris plagis afféctus est; cum ii quidem qui própius astábant, cálcibus et pugnis illum contumelióse appéterent; qui vero lóngius distábant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjícerent; omnes denique gravíssimi piáculi reos se existimárent, nisi pro sua quisque parte ei petulánter insultárent. Quippe hoc modo injúriam deórum suórum ultúros se arbitrabántur. Exínde vix adhuc spirans, in cárcerem projéctus est; tandémque post bíduum ánimam exhalávit. Matúrus vero neóphytus, et Sanctus, diáconus Viennénsis, cum Blandína ancílla, et Attalo, ducti sunt ad béstias, in amphitheátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus consuéta illic flagrórum vérbera pertulérunt, et bestiárum ipsos trahéntium morsus, ipsam postrémo férream cathédram cui superpósita Mártyrum membra cum torreréntur, illórum nares molestíssimus nidor implébat. Hi ergo máximo certámine perfúncti, tandem jugulátí sunt.

Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra appáruit.

LECTIO V

BLANDINA autem ad palum suspénsa, béstiis

objécta est. Quæ cum in crucis spéciem cernerétur Deóque intentíssime supplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus; quippe qui sub soróris persóna cénerent Illum qui pro ipsis crucifíxus est. Cumque nulla tunc béstia corpus ejus attigísset, depósita ex stípite, rursus in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reserváta. Attalus quoque cum per amphitheátrum circumducerétur, præcedénte eum tabélla, in qua latíno sermóne scriptum erat: Hic est Attalus Christiánus; Præses postquam Románum eum esse cómperit, redúci in custódiam jubet, lítteris ad Cæsarem datis de his qui inclúsi tenebántur. Ineúnte ígitur solémni apud nos mercátu, Præses addúci jubet Mártyres ad tribúnal, tanquam in theatráli pompa eos pópulis osténtans. Cumque illos dénuo interrogásset, quicúmque cives Románi repérti sunt, cápite truncávit; réliquos trádidit béstiis.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.

LECTIO VI

Cæterum ingens glória accéssit Christo per eos qui prius quidem negáverant, tunc vero confitebántur fidem. Quibus exámini subjéctis, Alexánder natióne Phryx, professióne médicus, plures jam annos morátus in Gálliis, cum illos ad fídei confessiónem nútibus hortarétur, cunctis qui tribúnal circúmdabant tanquam partúriens videbátur. Instans íllico Præses interrogávit eum quis esset. Qui cum Christiánum se esse dixísset, irátus judex eum ad béstias damnávit. Postrídie ígitur una cum Attalo ingréssus est; nam et hunc Præses béstiis íterum tradíderat. Ambo ítaque cum ómnia tormentórum génera, in amphitheátro sustinuíssent, gládio percússi sunt. Ultimo tandem spectaculórum die, Blandína rursus illáta est, una cum Póntico adolescénte quíndecim círciter annos nato. Et Pónticus quidem cuncta supplícia generóse perpéssus, emísit spíritum. Beáta vero Blandína post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa, tauro objécta est, a quo diu in altum jactáta, tandem et ipsa instar víctimæ juguláta est.

℟. Tanquam.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Descéndens Jesus, *de Comm.*

IX Lectio (ex duabus una) *de SS. Marcellino, Petro, etc., ut in* Breviario. *In Laud. comm. SS. Mart.*

Vesper. de seq. Comm. præced. et S. Algisi Conf. non Pont. Oratio, Deus qui, *de Communi.*

DIE III

S. CLOTILDIS NEC VIRG. NEC MART.

Duplex.

Omnia de Comm. non Virg. nec Mart., præter seq.

ORATIO

RESPICE, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígne pópulum tuum, et quibus per devótam Sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti; iisdem per ejus intercessiónem, tríbue sincérum Christiánæ pietátis affectum. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

CLOTILDIS, Chilperíci Burgundiónum Regis fília, Suessióne quæ tunc Francórum Impérii caput erat, Clodovæo adhuc infidéli fidélis in matrimónium juncta est, certo Dei consílio. Quæ, cum intra annum primogénitum suscepísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovæo, baptizári jussit: cui nomen impósitum fuit Ingoméres. Cum autem infántis in albis defúncti mortem ægre ferret Clodovæus, ac baptísmo imputáret, gráviter Clotíldem objurgávit, ásserens deos pátrios ob contémptum núminis sui irátos, sibi fílium eripuísse. At illa: Deo, inquit, Omnipoténti, Creatóri ómnium, grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam, ut de útero meo génitum regno suo dignarétur ascíre. Alterum fílium Regína cum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit; et appellátus est Clodoméres. Qui cum ægrotáre cœpísset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus conváluit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

LECTIO V

AT Regina non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololátria, Deum ve-

rum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhæsit, donec in expeditióne Alamánnica, inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium qui Clodovæum fidem edóctum baptizávit et chrísmate sacro inúnxit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

LECTIO VI

Post mortem Clodovæi, Turónos ádiit Clotíldis ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni, summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis, aliísque piis opéribus inténta, munífica erga Ecclésias et Monastéria. Clodoméris in bello Burgúndico occísi fílios nepótes suos, Theodováldum, Guntárium, et Clodoáldum educávit. Tandem plena diérum Turónis migrávit ad Dóminum et Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a fíliis Childebérto et Clotário régibus, ad latus Clodovæi, in sacrário basílicæ sancti Petri, ubi corpus sanctæ Genovéfæ quiescébat. Unde póstea váriæ Relíquiæ divérsis tempóribus accéptæ sunt, inter quas non infímum locum tenent quæ ante sæculum décimum tértium in Diœcesim Suessionénsem allátæ sunt ad vicum Viviriénsem, ubi eréctum fuit Ordinis Præmonstraténsis monastérium, póstea autem Parochiális Ecclésia surréxit.

℟. Fallax grátia.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Símile est, *de comm.*

LECTIO IX

Algisus, seu Adalgísus, quem ex Hibérnia claro génere natum tradunt, sancto Fursæo discípulum se dedit, a quo monásticæ disciplínæ régulas fuit edóctus. Sacerdótio insignítus, paupéribus ac præsértim rurícolis evangelizándi desidério sensit se inflammátum, et Apostolórum Límina adeúndi pium cepit consílium. Quare a sancto Fursæo benígne dimíssus cum Gobbáno et quibúsdam áliis sóciis, ad Gállias transmeávit primum, ubi ad san-

ctum Petrum Corbeiénsem diversátus est. Inde ab amícis sejúnctus ad Isaræ ripas in território Laudunénsi se cóntulit, et in desertíssimo sylvæ Theorásciæ loco, juxta montem tunc sancti Juliáni nómine dictum, céllulam seu monasteriólum constrúxit, in quo cum quibúsdam alúmnis, quos ejus sanctitátis fama illuc accersíverat, aspérrimam vitam duxit. Campéstribus Missiónibus totum se devóvit, et pagánæ superstitióni Evangélicam fidem fórtiter oppónens, quam exímiis opéribus comprobábat, innúmeros Christo péperit. Romam tandem perréxit, et voti compos factus, ad céllulam lætus rédiit cum multis Sanctórum pignóribus, ibíque non multo post cursum suum felíciter explévit. Corpus ejus in ipso céllulæ oratório cónditum est, quod miráculis plúrimis ita inclaruit, ut ex pio peregrinórum concúrsu insurréxerit vicus qui sancti Algísi nómine et patrocínio nunc insignítur.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Algisi.

DIE VIII

S. MEDARDI EPISC. CONF.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter seq.

ORATIO

Deus qui nos sancti Medárdi Confessóris tui atque Pontíficis confessióne circúmdas et prótegis : da nobis ejus imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Comm. Conf. Pont. Fidélis sermo, *de Communi.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Medardus apud Salentiácum in agro Viromanduénsi, nóbili génere natus piéque ádmodum educátus, a púero exímia sanctitátis, pietátis ac modéstiæ, præbuit indícia, nec non præcláræ in páuperes charitátis exémpla : quippe qui puérulus adhuc et cibis ad victum sibi necessáriis mendícos infirmósque reficiébat et veste pretiósa qua eum pia mater indúerat, páuperem nudum ac cæcum contéxit. Missus póstea Augústam Viromanduórum, ut lítteris instituerétur, indéque Tornácum, ut stúdia absólveret, celérrimos in sciéntia progréssus hábuit,

in pietáte vero máximos, ita ut condiscípulis doctrína et morum integritáte præíret. Hic autem Eleuthérium egrégiæ índolis adolescéntulum sibi sócium elégit ambóque pia æmulatióne decertábant. Cui Medárdus Spiritu Sancto plenus prænuntiávit in aula régia dignitátem, et trigínta post annis Episcopálem ínfulam: quod deinde rei probávit evéntus.

℟. Invéni David servum meum : óleo sancto meo unxi eum : Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

LECTIO V

Tot ac tantórum audíta meritórum fama, Sophrónius Viromanduénsis Epíscopus, Medárdum in sacerdótem órdinat, sibíque in docéndis ac pascéndis óvibus adjúngit, quod munus quadragínta annis tanta prudéntia, tanto charitátis zelo, tamque felíci éxitu sustínuit, ut defúncto Sophrónii successóre Aloméro, unánimi consénsu ad Episcopátum evocátus sit sexagenário major. Onus quidem angélicis húmeris treméndum, præ humilitáte primum declináre tentávit, sed ómnium précibus victus assíduis, tandem suscépit. Exínde, ómnia ómnibus factus, operárius plane inconfusíbilis, non víribus pepércit, ut gregem suum in omni virtútum génere institúeret. Anno autem Episcopátus secúndo, cum Augústa Viromanduórum a Vándalis evérsa fuísset, Noviómum, tunc munítius óppidum, sedem Episcopálem, gregi suo sibíque prudentíssime cónsulens, cénsuit transferéndam.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum : óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

Interim sanctus Eleuthérus, Tornacénsis Epíscopus, móritur. Post cujus exéquias, cum clerus et pópulus Tornacénsis Medárdum sibi dari Epíscopum postulássent, sancto Remígio cæterísque Provínciæ Epíscopis annuéntibus, Rege et procéribus sua auctoritáte rem promovéntibus, utriúsque Ecclésiæ curam suscépit, Episcopális sedis honóre utríque serváto, quamvis Tornacénses ab eo témpore per annos círciter sexcéntos non álios quam

Novioménses habúerint Epíscopos. Flandros, gentem tunc ferócem, convértit ad Christum. Obiit anno salútis quingentésimo quinquagésimo sexto, eúmque Clotárius summo cum honóre apud Suessiónas in villa sua régia sepelíri jussit, et Basílicam ad ejus túmulum cœpit ædificáre, quam Sigebértus fílius ejus absólvit et ornávit. Unde póstea celebérrimum illud Monastérium Sancti Medárdi nómine insignítum, quod usque ad séculi décimi octávi finem éxstitit. Exínde íbidem, promovénte Júlii de Simónio Suessionénsis Epíscopi largitáte et sollicitúdine, opitulantibúsque fidélis pópuli eleemósynis, pia et perútilis Surdo-Mutórum Institútio fundáta est.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Vigiláte, *de Comm.*

DIE XIV

SS. RUFINI ET VALERII MART.

Duplex majus.

(*Transf. S. Basilius Magnus in diem sequentem.*)

Omnia de Communi plurimor. Martyrum præter seq.

ORATIO

Deus qui nos sanctórum Mártyrum tuórum Rufíni et Valérii confessióne gloriósa circúmdas et prótegis; præsta nobis eórum imitatióne profícere, et oratióne fulcíri. Per Dóminum.

In I Vesp. comm. S. Antonii de Padua.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi, 1° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Rufinus et Valérius, insígnes inter Gálliæ Bélgicæ Mártyres, Quintíno Viromanduénsi et collégis ejus, imprimísque Crispíno et Crispiniáno conjúncti fuísse tradúntur. Hos enim cum urbe Reménsi propter Christi testimónium pelleréntur, ad Suessiónes, ubi propagándi facílius Evangélii spes illúxerat, secúti sunt et cum ipsis in imperiáli víllula, sexto ab urbe lápide, sedem fixére. Ibi, recépta horreórum regálium custódia, viventésque parvo, victum quo se contínuis fraudábant jejúniis in páuperes liberáliter effundébant. Hac vivéndi ratióne, non paucos ex rústicis ad Christum convertérunt : quibus ad públicas preces, quoad ferrent témpora, congregándis, extruxére

ædículam, quæ séculis sequéntibus amplificáta, in tota regióne Basílica vocáta est, et tandem vico ipsi quem ábluit Vídula, nomen dedit.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

LECTIO V

Cum autem in Gállias Maximiánus Imperátor advenísset, orta súbito persecutióne, Rictióvarus præféctus Galliárum, apud Remos primo quotquot cómperit Christiános morte damnávit. Tum Vídulæ cursum secútus, dum contígua flúmini loca quasi pro pública re disponénda perlústrat, delátos ad se Rufínum et Valérium jubet addúci. Qui quidem etsi ad patiéndum paráti erant, præcépto Christi dóciles, ut se quæréntium furóri subtráherent, in spelúncam itíneri público vicínam et spinis ac végribus circumvallátam secessérunt. Diu ínterim noctúque cœléste auxílium implorábant, quo fortióres inde prodírent ad pugnam. Látebra a milítibus brevi detécta, comprehénsi et ad Præféctum addúcti, cum, spretis et irrísis coram multitúdine diis inánibus, Christum Deum intrépide confiteréntur, catenárum mole constrícti, in cárcerem ad diem álterum retrúsi sunt, glóriæ ducéntes dignos se hábitos qui pro Christi nómine público ludíbrio fúerint objécti.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.

LECTIO VI

Postridie íterum ad tribúnal addúcti, nec blandítiis, nec minis, nec suppliciórum apparátu ab integritáte fídei et confessiónis libertáte avocári potuérunt. Unde exacerbátus Præféctus ambos in equúleum exténdi, ibíque membra eórum plumbátis sævíssime lacerári præcépit, et in ergástulo rursus inclúdi. Unde tértia die ad septem pássuum míllia edúctos Præféctus lata senténtia ad Vídulæ ripam cápite truncári jussit. Córpora eórum reláta sunt in eum quem incolúerant locum,

ubi póstea constrúcta est basílica insígnis cui, témpore sancti Remígii, septuagínta Clérici serviísse scribúntur. Unde propter exórta bella, sacræ Relíquiæ Suessiónem translátæ sunt, ubi in Ecclésia cathedráli magna religióne usque ad finem sæculi décimi octávi asservabántur.

℟. Tanquam.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Cum audiéritis, *de Communi, 1° loco.*

In II Vesp. Comm. 1° S. Basilii magni Episc. et Doct. 2° SS. Viti et Soc. Mart. ut in Breviario.

DIE XV

S. BASILII EPISC. ET DOCT.

Duplex.

(*e die* 14)

Omnia ut in Breviario.

In III Noct. IX Lect. (ex duabus una) *de SS. Vito et Soc. quorum comm. fit in Laudib.*

DIE XVIII

Vigilia

S. GERVASII ET PROTASII MARTYRUM.

Pridie, in Vesperis, Comm. SS. Marci et Marcellini, Mart. út in Breviario.

In Nocturno tres lectiones de Homilia S. Ambrosii, Advérte, *in Evangelium* Descéndens, *de Communi plurimor. Martyr. et* ℟℟. *de feria ocurrente.*

ORATIO

Martyrum tuórum Dómine, Gervásii et Protásii natalítia præeúntes: súpplices te rogámus; ut quos cœlésti glória sublimásti, tuis adésse concédas fidélibus. Per Dóminum.

In Laud. comm. SS. Marci et Marcellini.

DIE XIX

SS. GERVASII ET PROTASII MARTYRUM

ET DIŒCESEOS SUESSIONENSIS PATRONORUM.

Duplex I classis cum Oct.

(*S. Julianæ dies affixa* 20 *junii.*)

Omnia de Communi plurimor. Martyr., exceptis quæ sequuntur.

AD I VESPERAS

HYMNUS

Fides, triúmphos concinimus tuos,
Et mille fétam prodígiis manum,
Regum treméndas quæ poténti
Arbítrio moderátur iras.

Stipatus armis error in ímpia
Tollébat aula sacrílegum caput:
Parábat et cultu nefándo
Pura Dei violáre templa.

Qui sceptra nutu cóncutit, ímpios
Risit tumúltus; jam plácido graves
Inter procéllas ore surgens,
Frænat aquas rabiémque venti.

Sic est. Ad aures Ambrósii sonat
Cœléste verbum : prótinus e sinu
Illos reservátas in usus
Divítias pia terra profert.

Soli ferácis nóbilis o seges!
Surgunt sepúlchris córpora Mártyrum;
Et eloquénti purpurátos
Sánguine plebs venerátur artus.

Salvete, fratres, dúlcia pígnora,
Salvéte, testes quos Deus éligit
Fidem labántem sustinére,
Et trépidam recreáre gentem.

Laus summa Patri, quo duce non timet
Sævos leónum grex tener ímpetus :
Laus summa Nato : laus sit æqua
Perpétuo tibi, Flamen, ævo.

Amen.

℣. Justórum ánimæ in manu Dei sunt.

℟. Et non tanget illos torméntum malítiæ.

Ad magnificat. Ant. Isti sunt angélica solidáti claritáte, mártyres ínclyti, Gervásius et Protásius quorum germánitas a Christo inter immánia fuit fulcíta torménta : Omnes precémur ut eórum intercessióne ad Dóminum sublimémur.

ORATIO

Largiente te, Dómine, Beatórum Gervásii et Prostásii natalítium nobis effúlsit : concéde, quæsumus; ut hodiérna glória passiónis, sicut illis glóriam tríbuit sempitérnam, ita nobis munímen operétur perpétuum. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem Mártyrum Dóminum,. * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exultémus.

HYMNUS

Nunc tolle cœlo sidéreum truci
Ab hoste victrix, Rellígio, caput :
Regum cruentátis trophæis
Nobílior tibi pompa surgit.

Lætam per urbem spléndida Mártyrum
Circumferúntur pígnora, mox sacris

Sisténda templis quæ profánæ
A rábie tueántur aulæ.

Quæ pompa transit! certa præit salus :
Jussæ fugántur corpóribus febres :
It claudus, et surdus paténti
Insólitas bibit aure voces.

Panni e sepúlchris vim médicam trahunt.
Raptámque cæco restítuunt diem,
Fons lucis almæ, dum fugábas
Pectóribus Deus ipse noctem.

Quin et malígni córpora spíritus
Obséssa linquunt : error et írritas
Centum caténis illigátus,
Sanguíneo vomit ore pestes.

Laus summa Patri, quo duce non timet
Sævos leónum grex tener ímpetus :
Laus summa Nato; laus sit æqua
Perpétuo tibi, Flamen ævo.

Amen.

IN I NOCTURNO.

Lectiones de Communi, Fratres, debitóres, 1° *loco*.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Gervasius et Protásius, vulgáta traditióne, paréntes habuísse dicúntur Vitálem Ravénnæ passum et mártyrem, et Valériam quæ apud Mediolánum, per quamdam paganórum seditiónem in ódium fídei christiánæ, plagis affécta plúrimis, próxima martyrio, mortem in domo sua non multo post óbiit. Ut ab invícta ánimi fortitúdine, sic a córporis mira magnitúdine, qualem prisca sæcula tulísse fama est, ab Ambrósio commendántur. Hinc eos quoque ad prima Mediolanénsis Ecclésiæ témpora révocat, cum plúrium mater filiórum, adhuc stérilis esset martýribus. Quándiu pax illic christiánis fuít, qui manébat ínteger apud illos odor fídei, latébat tamen : quia remótam a conversatióne sæculi vitam agébant, et divíni óperis interióre grátia, ad firmaméntum sacræ passiónis erigebántur.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit

petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

LECTIO V

CUM persecútio venit, cœléstis conversatiónis viri, nec coram freméntibus erubescébant gentílibus, in confessióne constántes; nec a testimónio Christi, étiam intentáta sibi morte, discedéntes. Nimírum, didícerant, ut idem docet Ambrósius, de serpéntis Evangélici prudéntia, tentatiónum hujus témporis rigórem ac velut híemem, non nisi depósitis carnis exúviis, superári, et tunc demum cœléstis renovátis grátia Spíritus sancti vernáre decórem. Quæstióne hábita in exámine et confessióne, sánguinis fudére plúrimum, veram fídei sciéntiam, inter ipsa torménta, ómnibus indicántes. Cruciáti sunt diu nec redemérunt obséquio cruciátus, ut præstántius præmium assequeréntur. Deníque colla flexérunt conterénda gládio. Quod, cum eórum córpora reserátis túmulis retécta fuére, avúlsa húmeris cápita docuérunt, et passiónis genus ac títulum, quem nemo inficiári posset, ómnium óculis subjecérunt.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hærédes.

LECTIO VI

FUIT hæc revelátio mártyrum memóriæ tanto gloriósior, quanto áltius hæc óbruta quátuor pene sæculórum oblivióne videbátur. Vix senes ipsi horum se vel audísse nómina vel títulum legísse memínerant. Perdíderat quodam modo cívitas Mártyres támdiu ignorátos. Túmulos enim, quos alióqui Sanctórum Nabóris et Felícis basílica inclúserat, nésciens pópulus quotídie calcábat. Auxília tamen præstábant cívibus illi qui non videbántur. Tandem beáto Ambrósio, médias inter Justínæ regínæ ariánæ vexatiónes et insídias sese ipsi revelavérunt. Signa conveniéntia in loco qui designátus fúerat repérta; ípsaque urna effóssa et propaláta plebi, religiósa pompa, tótius civitátis concúrsu, nec sine insígnibus miráculis, ad Basílicam Ambrosiánam transláta est.

℟. Tanquam.

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 12. 4.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Dico vobis amícis meis, ne terreámini ab his qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 286, n° 3.

QUASI sémine sánguinis impléta est Martyribus terra, et de illo sémine seges surréxit Ecclésiæ. Plus asseruérunt Christum mórtui quam vivi. Hódie ásserunt, hódie prædicant, tacet lingua, sonant facta. Tenebántur, ligabántur, includebántur, producebántur, torquebántur, urebántur, lapidabántur, percutiebántur, béstiis subrigebántur. In ómnibus suis mórtibus quasi viles irridebántur ; sed pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Tunc in conspéctu Dómini tantum pretiósa, modo et in conspéctu nostro. Tunc enim quando oppróbrium erat esse christiánum, vilis erat mors sanctórum in conspéctu hóminum : detestabántur, execratióni habebántur; pro maledícto objiciebántur. Sic moriáris, sic crucifigáris, sic incendáris. Modo ista maledícta quis fidélis non optat?

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Quia.

LECTIO VIII, n° 4.

CELEBRAMUS ergo hodiérno die, fratres, memóriam in hoc loco pósitam sanctórum Protásii et Gervásii, Mediolanénsium Mártyrum, Non eum diem quo hic pósita est, sed eum diem hódie celebrámus, quando invénta est pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus per Ambrósium Epíscopum, hóminem Dei: cujus tunc tantæ glóriæ Mártyrum étiam ego testis fui. Ibi eram, Medioláni eram, facta mirácula novi, attestánte Deo pretiósis mórtibus sanctórum suórum; ut per illa mirácula, jam non solum in conspéctu Dómini, sed étiam in conspéctu hóminum, esset mors illa pretiósa. Cæcus notíssimus univérsæ civitáti illuminátus est, cucúrrit, addúci se fecit, sine duce revérsus est. Nondum audívimus quod obíerit; forte adhuc vivit. In ipsa eórum Basílica, ubi sunt eórum cór-

pora, totam vitam suam servitúrum se esse devóvit. Nos illum gavísi sumus vidéntem, relíquimus serviéntem.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ nunquam pótuit violári certámine; qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum : * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléstia. ℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

LECTIO IX, nº 5.

NON cessat Deus attestári, et novit quómodo ipsa mirácula sua débeat commendáre. Novit ágere, ut magnificéntur: novit ágere, ne viléscant. Non ómnibus donat per Mártyres sanitátem ; sed ómnibus promíttit imitatóribus Mártyrum immortalitátem. Quod non ómnibus dat, non quærat cui non dat, nec múrmuret advérsus eum quia non dat; ut det quod in fine promísit. Nam et qui modo sanántur, post páululum aliquándo moriúntur : qui in fine resúrgunt, cum Christo vivent. Præcéssit caput, expéctat membra secutúra : implébitur totum corpus, Christus et Ecclésia. Ibi nos cómputet scriptos : et in hac vita quod éxpedit det. Novit enim ille quid expédiat fíliis suis. Si ergo vos, inquit, cum sitis mali, nostis bona data dare fíliis vestris; quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona peténtibus se? Quæ bona? numquid temporália? Dat et ipsa; sed et infidélibus dat. Dat et ipsa; sed et ímpiis dat, sed et blasphematóribus suis dat. Bona quærámus, quæ non nobis sint cum malis commúnia. Novit ille Pater dare ista bona fíliis suis.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

HYMNUS

O INVIDENDA Mártyrum,
O pœna felix córporis!
Quæ dura solvens víncula,
Mortem domas, vitam paris!

POST longa vitæ tædia,
Post ínclytæ decus necis,
Cœléstis ætérna Patris
Fratres quiéscunt in domo.

AT ossa credúntur solo,
Piis rigáta flétibus,
Semen bonum, multam suo
Frugem datúra témpore.

QUAM nempe vivi sánxerant,
Fuso cruóre Mártyres,

Hanc membra luci réddita,
Tuéntur et firmant fidem.

Quorum triúmphos pángimus,
Tenére da fidem, Deus :
Da, quam triumphándo duces
Signáverant, viam sequi.

Cujus sub armis militant,
Mundúmque vincunt Mártyres,
Sit laus Patri, laus Fílio ;
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Justórum ánimæ in manu Dei sunt.

℟. Et non tanget illos torméntum malítiæ.

Ad Benedictus. Ant. Intercéssio, Dómine, nobis sanctórum Gervásii et Protásii mártyrum tuórum succúrrat, atque nos ubíque prótegat et défendat, ut ambórum précibus ab ómnibus malis liberémur.

ORATIO

Largiente te Dómine, beatórum Gervásii et Protásii natalitium nobis effúlsit; concéde, quæsumus : ut hodiérna glória passiónis, sicut illis glóriam tríbuit sempitérnam, ita nobis munímem operétur perpétuum. Per Dóminum.

AD II VESPERAS

Ant. et Psalm. de Communi Hymnus et ℣. ut in I Vesp.

Ad Magnificat. Ant. Mártyres gloriósi, Gervási et Protási, imploráte pro nobis ut voluntátem Dómini in ómnibus adimplére valeámus; et dum vestram solemnitátem méntibus devótis celebrámus, vestris quoque précibus, grátiam Dómini ac vitam ætérnam adipísci mereámur.

Et fit comm. S. Julianæ Virg.

DIE XX

S. JULIANÆ DE FALCONERIIS, VIRGINIS.

(*e die* 19).

Duplex.

Omnia ut in Breviario *sub die* 19 *huj. In III Noct. dicitur lectio IX de S. Sylverio Papæ et Mart.* (e duabus una), *et in Laudibus fit comm.* 1° *Octavæ SS. Patronor.*, 2° *S. Sylverii.*

Vesperæ a Capitulo de S. Aloysio Gonzaga, in Breviario, *et fit commem.* 1° *S. Julianæ*, 2° *Octavæ, et* 3° *S. Gobbani, Mart., Oratio :* Præsta.... ut intercedénte, *de Communi.*

DIE XXI

COMMEMORATIO S. GOBBANI, MARTYRIS.

LECTIO IX

Gobbanus in Hybérnia, ut tradunt, claro génere ortus, primum sancto Fursæo, qui in hac regióne fulgébat, adhæsit, monásticam disciplínam edocéndus, in qua tantum profécit, ut sanctus Abbas ad eremíticam vitam transíre cúpiens, illi monastérii régimen crédere non dubitáverit. Cum autem bellórum tumúltus imminérent, Gobbánus, quo libérius Deo vacáret, feliciúsque pro sacerdótii múnere animárum salúti incúmberet, adjúnctis sibi sóciis, mare transmeávit, et ad oras Gálliæ áppulit. Tunc amíci ab ínvicem, licet ægre, sejúncti, ordinatióni divínæ totos se commisérunt et quisque regiónem pétiit, ad quam supérno nutu diréctus est; Gobbánus vero pervénit ad locum pagi Laudunénsis cui nomen Mons Erémi, quem a Rege Clotário Tértio obtínuit. Ibi, constrúcta céllula et ædificáto oratório; assíduis précibus, verbo et exémplo ómnibus prodésse studébat; erga álios blandus, sibi soli austérus. Tandem a bárbaris regiónem vastántibus ímpie mactátum esse paulo post médium séptimi sæculi commúnis est et antíqua tradítio. Ad ejus memóriam extrúcta in ipso Monte Erémi Ecclésia célebris, in paróchiam erécta est sub ejus invocatióne, et sensim ex piórum peregrinórum frequéntia burgus surréxit cui sicut et vicínæ sylvæ Sancti Gobbáni nomen est índitum. In hac eádem Ecclésia insígne sancti Mártyris caput reveRénter asservátum, plúries in anno piæ fidélium peregrinorúmque veneratióni expónitur, et solémni pompa per vicos circumfértur.

Te Deum laudámus.

In Laud. commem. Octavæ et S. Gobbani.

In II Vesp. S. Aloysii Gonz. fit comm. Octavæ SS. Patronor. et S. Paulini Ep. Conf. in Breviario.

DIE XXII

DE DIE IV INFR. OCTAV. SS. PATRONOR

Semiduplex.

Omnia ut in festo præter seq.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura ocurrente.

IN II NOCTURNO

Ex libro S. Ambrósii Epíscopi ad Marcellínam sorórem. *Epist.* 22.

LECTIO IV

Scias sanctos Mártyres a nobis repértos. Nam cum ego basílicam dedicássem, multi tanquam uno ore interpelláre cœpérunt : Sicut Románam, sic basílicam dedíces. Respóndi : Fáciam, si Mártyrum Relíquias invénero. Statímque súbiit velúti cujúsdam ardor præságii. Quid multa? Dóminus grátiam dedit. Formidántibus étiam Cléricis, jussi eruderári terram eo loci qui est ante cancéllos sanctórum Felícis atque Nabóris. Invéni signa conveniéntia, adhíbitis étiam quibus per nos manus imponénda foret.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

LECTIO V

Sic Sancti Mártyres eminére cœpérunt, ut adhuc nobis siléntibus, arriperétur urna, et sternerétur prona ad locum sancti sepúlchri. Invénimus miræ magnitúdinis viros duos, ut prisca ætas ferébat; ossa ómnia íntegra, sánguinis plúrimum. Ingens concúrsus pópuli per totum illud bíduum. Quid multa? Condídimus intégra ad órdinem; transtúlimus, véspere jam incumbénte, ad Basílicam Faustæ : ibi vigíliæ tota nocte, manus impositio. Saquénti die, transtúlimus ea in Basílicam quam appéllant Ambrosiánam. Dum transférimus, cæcus sanátus est.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine * : Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hærédes.

LECTIO VI

Videtis ut eos cum princípibus pópuli sui collocávit Príncipes pópuli, quos álios nisi sanctos Mártyres æstimáre debémus, quorum jam in númerum diu ante ignoráti Protásius Gervasiúsque proferúntur, qui stérilem Martyribus Ecclésiam Mediolanénsem, jam plurimórum matrem filiórum, lætári passiónis própriæ fécerint et títulis et exémplis? Non immérito autem plerique hanc Mártyrum resurrectiónem appéllant; vídero tamen utrum sibi, nobis certe, Mártyres resurréxerint. Cognovístis, immo vidístis ipsi

multos a dæmóniis purgátos : plúrimos étiam, ubi vestem Sanctórum mánibus contigérunt, iis quibus laborábant debilitátibus absolútos : reparáta vetústi témporis mirácula, quo se per advéntum Dómini Jesu grátia terris major infúderat : umbra quadam sanctórum córporum plerósque sanátos cérnitis. Quanta orária jactitántur? Quanta induménta super Relíquias sacratíssimas et tactu ipso medicabília reposcúntur? Gaudent omnes extréma línea contíngere; et qui contígerit, salvus erit.

℟. Tanquam.

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII, *Cap.* 12. 4.

IN illo témpore, dixit Jesus discípulis suis : Dico vobis, amícis meis, ne terreámini ab his qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quod fáciant. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 65. *Cap.* 12.

ADMONENT nos elóquia divína timéndo non timére. Advertístis, cum Sanctum Evangélium legerétur, Dóminum Deum nostrum, ántequam pro nobis morerétur, firmos nos esse voluísse; sed admonéndo ne timerémus, et admonéndo ut timerémus. Ait enim : Nolíte timére eos qui corpus occídunt, ánimam autem non possunt occídere; ecce ubi mónuit ne timerémus. Sed eum, inquit, timéte qui potestátem habet et corpus et ánimam occídere in gehénna. Ergo timeámus ut non timéamus; hoc est : prudénter timeámus ne inániter timeámus. Martyres sancti, propter quorum solemnitátem hoc ex Evangélio recitátum est, timéndo non timuérunt : quia Deum timéndo, hómines contempsérunt.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis; * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Quia.

LECTIO VIII

QUID enim ab homínibus hómini metuéndum est? Et quid est unde álterum térreat homo hóminem? Terret et dicit : Occído te; et non times, ne cum minátur, prius moriátur. Occído, inquit, quis dicit? cui dicit? Duos áudio: unum terréntem, álterum metuéntem. Quorum unus est po-

tens, alter infírmus, sed ambo mortáles. Quid se ergo exténdit in honóre inflátior potéstas, in carne æquális infírmitas? secúrus minétur mortem, qui non timet mortem. Si vero unde terret, timet, atténdat se, et ei cui minátur compáret se. Invéniat ei cui minátur parem conditiónem, et a Dómino simul cum illo petat miseratiónem. Homo est enim et hómini minátur, creatúra creatúræ; sed una infláta sub Creatóre, áltera fúgiens ad Creatórem.

℟. Hæc est vera fratérnitas quæ numquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum * : Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléstia. ℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Contemnéntes aulam. Glória Patri. Contemnéntes aulam.

Lectio IX de S. Paulino (ex duabus una) in Brev. *et de eo fit comm. in Laud.*

DIE XXIII

DE OCTAVA SS. MART. GERVASII ET PROTASII MART.

Semiduplex.

Omnia ut in die Festi, exceptis quæ sequuntur.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II NOCTURNO

Ex libro S. Ambrósii, ad Marcellínan sorórem. *Epist.* 22

LECTIO IV

Gratias tibi, Dómine Jesu, quod hoc témpore tales nobis Sanctórum Mártyrum spíritus excitásti, quo Ecclésia tua præsídia majóra desíderat. Cognóscant omnes quales ego propugnatóres requíram, qui propugnáre non sóleant. Hos ego acquisívi tibi, plebs sancta, qui prosint ómnibus, némini nóceant. Tales ego ámbio defensóres, tales mílites hábeo, hoc est, non sǽculi mílites sed mílites Christi. Nullam de tálibus invídiam tímeo, quorum quo majóra, eo tutióra patrocínia sunt.

℟. Sancti, tui Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis; * Terra appáruit árida : et in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

LECTIO V.

Aperuit óculos nostros Dóminus; vídimus auxília quibus sumus sæpe de-

fénsi. Non videbámus hæc, sed habebámus tamen. Itaque trepidántibus nobis quasi díxerit Dóminus: Aspícite quantos vobis Mártyres déderim: ita reserátis óculis glóriam Dómini speculámur, quæ est Mártyrum passióne prætérita, et operatióne præsens. Evásimus, fratres, non mediócrem pudóris sarcínam: patrónos habebámus, et nesciebámus. Invénimus unum hoc quo videámur præstáre majóribus. Sanctórum Mártyrum cognitiónem quam illi amisérunt, nos adépti sumus.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine*: Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hærédes.

LECTIO VI

Eruuntur nóbiles Relíquiæ e sepúlcro ignóbili; ostendúntur cœlo trophæa; sánguine tellus madet; appárent cruóris triumphális notæ; inviolátæ Relíquiæ loco suo et órdine repértæ; avúlsum húmeris caput. Nunc senes répetunt audísse se aliquándo horum Mártyrum nómina, titulúmque legísse. Perdíderat cívitas suos Mártyres, quæ rápuit aliénos. Et si hoc munus Dei est, tamen grátiam quam tempóribus sacerdótii mei Dóminus Jesus tríbuit, negáre non possum; et quia ipse martyr esse non méreor, hos vobis Mártyres acquisívi. Succédant víctimæ triumpháles in locum ubi Christus hóstia est: sed ille super altáre qui pro ómnibus passus est; isti sub altári, qui íllius redémpti sunt passióne.

℟. Tanquam.

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII *Cap.* 12. 4.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Dico vobis amícis meis, ne terreámini ab his qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Et réliqua.

Homília sancti Fulgéntii Epíscopi.

De Fide ad Petrum.

Prophéta dicit: Mihi adhærére Deo bonum est. Adhære ígitur Deo, fili caríssime; et in ipso spem tuam toto corde, fide et charitáte constítue. In milítia sǽculi éxhibe regi terréno fidéle servítium; quia hoc díligit Deus, hoc mandat Apóstolus. In causa vero fídei, qua Christus nos re-

démit in sánguine suo, omnes de corde tuo timor abscédat. Illi ánimas nostras debémus, cujus sánguine redémpti sumus. Illum debémus præ ómnibus dilígere, quem nostrárum nóvimus animárum clementíssimum Redemptórem. Illius debémus timére præ ómnibus ætérnam et veram potestátem, quem ventúrum sperámus æquíssimum júdicem. Illius debémus promíssa toto cordis afféctu appétere, qui potest ánimæ et córpori donáre vitam ætérnam.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Quia.

LECTIO VIII

Illius timére debémus iracúndiam, qui potest corpus et ánimam míttere in gehénnam : in cujus judício, sine acceptióne personárum, sine ambítu potestátum, æquáliter judicabúntur dómini et servi, reges et mílites, dívites et páuperes, húmiles et sublímes; ubi servus quisquis hic fidem Dei in veritáte tenúerit, regno potiétur ætérno : ubi servórum dominorúmque fidélium nec vita terminábitur, nec lætítia finiétur; infidélium vero servórum sive dominórum ignis non extinguétur, et vermis non moriétur.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum : * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléstia. ℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

LECTIO IX

De Vigilia sancti Joannis Bapt. in Breviario.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. Vigiliæ.

DIE XXIV

In festo Nativitatis S. Joannis B. non fit comm. Octavæ SS. Patronor.

DIE XXV

In festo S. Guillelmi fit commem. 1° *Octavæ S. Joann. Bapt. et* 2° *Octavæ SS. Patronor.*

Vesperæ dicuntur a Capitulo de Octava SS. Patronorum, ut in I Vesp. Festi, et fit comm. 1° *S. Guillelmi,* 2° *Octavæ S. Joann. Baptistæ.*

DIE XXVI
OCTAVA ET FESTUM INVENTIONIS AC TRANSLAT. SS. MARTYRUM GERVASII ET PROTASII.

(*Transf. SS. Joannes et Paulus in diem seq.*)

Duplex.

Omnia ut in die Festi, exceptis quæ sequuntur.

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Ex libro Paulíni Presbyteri, de vita sancti Ambrósii, ad beátum Augustínum conscrípto.

Cap. 12 et seq.

AMBROSIUS Justínæ Regínæ innúmeras insídias sustínuit, quæ munéribus atque honóribus advérsus sanctum virum oblátis, pópulum excitábat. Exércitus étiam armátus ad custodiéndas fores ecclésiæ est diréctus, ut nemo audéret cathólicam ecclésiam íngredi. Sed Dóminus, qui de adversáriis suis Ecclésiæ suæ triúmphos donári consuévit, ad Ecclésiæ suæ muniméntum mílitum corda convértit; ut, avérsis scutis, ecclésiæ fores custodírent, nec égredi dimítterent, sed íngredi ecclésiam plebem cathólicam mínime prohibérent: sed nec hoc satis erat missis milítibus, nisi étiam pro cathólica fide, cum plebe páriter acclamárent.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consécuti sunt iter serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: *Terra appáruit árida: et in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ et torréntes inundavérunt. Terra.

LECTIO V

HOC in témpore primum antíphonæ, hymni ac vigíliæ in Ecclésia Mediolanénsi celebrári cœpérunt. Cujus celebritátis devótio, usque in hodiérnum diem, non solum in eádem Ecclésia, verum per omnes pene Occidéntis províncias manet. Per idem tempus sancti Mártyres Protásius et Gervásius sacerdóti se revelavérunt.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: *Ut hærédes fíerent in domo Dómini. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hærédes.

LECTIO VI

UBI sanctórum Mártyrum córpora sunt leváta, et in lectis pósita, multórum

ibi sanátæ ægritúdines perdocéntur. Cæcus étiam, Sevérus nómine, qui nunc usque in eádem Basílica, quæ dícitur Ambrosiána, in quam Mártyrum córpora sunt transláta, religióse servit, ubi vestem Mártyrum áttigit, lumen recépit. Obséssa étiam córpora a spirítibus immúndis curáta, summa cum grátia domum repetébant.

℟. Tanquam.

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap. 4. v.* 33

In illo témpore: in synagóga erat homo habens dæmónium immúndum, et exclamávit voce magna, dicens : Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazaréne? Venísti pérdere nos? Scio te quis sis, Sanctus Dei. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Ep. 22 *ad Marcellin. sororem.*

Qui celebritátem vestram ínvidis ánimis ferre non possunt, causam celebritátis odérunt, atque in tantum améntiæ prorupérunt, ut negent Mártyrum mérita, quorum ópera étiam dæmones confiténtur. Sed hoc non mirum; siquidem tanta est incredulórum perfídia, ut tolerabílior sit diábolo plerúmque conféssio : dicébat enim diábolus : Jesu, Fili Dei vivi, quid venísti ante tempus torquére nos? Et cum hæc audírent Judæi, ipsi tamen Fílium Dei denegábant.

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis :* Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fatres in unum. Quia.

LECTIO VIII

Et nunc audístis clamántes dæmones, et confiténtes Martyribus quod pœnas ferre non possint et dicéntes : Quid venístis, ut nos tam gráviter torqueátis? Et Ariáni dicunt : Non sunt isti Mártyres, nec torquére diábolum possunt, nec aliquem liberáre; cum torménta dæmonum voce probéntur, et benefícia Mártyrum remédiis sanatórum, et absolutórum indíciis declaréntur.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum :* Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléstia. ℣. Ecce

quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

LECTIO IX

NEGANT cœcum illuminátum, sed ille non negat se sanátum; Ille dicit : Vídeo, qui non vidébam. Ille dicit : cæcus esse desívi, et probat facto. Isti benefícium negant, qui factum negáre non possunt. Notus homo est; publícis, cum valéret, mancipátus obséquiis, Sevérus nómine, lánius ministério. Deposúerat offícium, postquam incíderat impediméntum. Vocat ad testimónium hómines quorum ante sustentabátur obséquiis; eos indíces suæ visitatiónis arcéssit quos habébat testes et árbitros cæcitátis. Clamat quia ut cóntigit fímbriam de veste mártyrum qua sacræ relíquiæ vestiúntur, rédditum sibi lumen sit.

Te Deum laudámus.

In Laudibus comm. Oct. S. Joannis Bapt.

II Vesp. a Capitulo de seq. comm. 1° *Octavæ SS. Patronor.*, 2° *Octavæ S. Joann. Bapt.*, 3° *SS. Irenæi et Soc. ejus. Mart. Oratio :* Deus qui nos concédis, *de Communi.*

DIE XXVII.

SS. JOANNIS ET PAULI MARTYR.

(*e die* 26).

Duplex.

Omnia ut in Breviario *sub die* 26.

In tertio Nocturno, pro Commem. SS. Irenæi et Soc. legitur:

LECTIO IX

IRENÆUS, gente Asiáticus, cum adhuc puer esset, sancti Polycárpi audítor fuit : a quo multa de Apóstolo Joánne et áliis discípulis qui et Dóminum víderant, de doctrína Christi ejúsque miráculis accéperat, quæ studióse áudiens, non in charta sed in corde suo descríbens, assídue étiam senex repetébat ac mente revolvébat. Ab eódem Polycárpo ad Gállias diréctus est quem sanctus Pothínus, Ecclésiæ Lugdunénsis primus Epíscopus, presbyterum ordinávit. Romam ad Eleuthérum missus de Páschatis quæstióne, rem ad felícem éxitum perdúxit. Intérea beátus Pothínus illústri martyrio coronátur, cui successúrus elígitur Roma redux Irenæus. Sedáta persecutióne, multa et præclára scripsit præsértim advérsus hæréses. Cum in controvérsia de die Páschatis, Victor Románus Póntifex Orientá-

libus excommunicatiónem comminarétur, nisi Ecclésiæ Románæ consuetúdinem amplecteréntur, Irenæus eum per lítteras commónuit non fácile debére unitátem collégii scíndere. Tandem postquam prædicatióne sua civitátem Lugdunénsem pene in íntegro fecísset christiánam, adveniénte íterum persecutióne sub Sevéro príncipe, Irenæus divérsis cruciátibus afféctus, per martyrium Christo Dómino dedicátus fuit; tantáque cum eo multitúdo Christianórum fuit juguláta, ut per pláteas flúmina cúrrerent de sánguine christiáno.

Te Deum laudámus.

In Laudib. Comm. 1° *Oct. S. Joannis B.*, 2° *SS. Irenæi.....*

DIE XXIX

COMMEMORATIO OMNIUM SS. APOSTOLORUM.

In Festo Sanctorum Apostol. Petri el Pauli.

AD I VESPERAS

Ant. In hoc cognóscent omnes quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

ORATIO

Exaudi nos, Deus salutáris noster: et ómnium Sanctórum Apostólorum tuórum tuére præsídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis; Qui vivis.

AD LAUDES

Ant. Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes judicántes duódecim tribus Israel.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio : Exáudi, *ut supra.*

AD II VESPERAS

Ant. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis, dicit Dóminus.

℣. Gloriósus in Sanctis suis, fáciens mirabília. ℟. Hic Deus meus, et glorificábo eum.

Oratio : Exáudi, *ut supra.*

FESTA JULII

DIE XXX

B. URBANI II PAPÆ CONFESS.

Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pont. præter seq.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui beáto Pontífici Urbáno pro Ecclésiæ tuæ libertáte et decóre felíciter decer-

táre tribuísti, eúmque ad rediménda ab infidélium potestáte tuæ vitæ mortális et passiónis monuménta per virtútem crucis roborásti: concéde; ut ipsíus intercessióne contra hostes ánimæ nostræ dimicántes in terris ætérnæ glóriæ brávium accípere mereámur. Qui vivis et regnas.

Et fit comm. SS. Abdon et Sennen Mart., in Breviario.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

SÆCULO undécimo, fervénte luctuosíssimo dissídio Ecclésiam inter et Impérium, non minóri fortitúdine quam céteri Pontífices, qui per ea témpora Románam obtinuérunt sedem, enítuit Urbánus secúndus, Odo ántea vocátus, e nóbili família Castellióne ad Matrónam ortus, qui locus diœcéseos tunc erat Suessionénsis. Factus est primum, ut quidam ferunt, capellánus Theobáldi de Petrafónte, epíscopi Suessionénsis et deínde canonicátu potítus est in ecclésia Rheménsi, in qua, Brunóne magístro celebérrimo, póstea Carthusianórum institutóre, stúdiis philosóphicis ac theológicis óperam dedit. At sæculi curas pertæsus, ac régulam Sancti Benedícti profésssus, primum in Cluniacénsi monastério, dein in Bainsonénsi et Cavénsi cœnóbiis reliogíssime conversátus est. Vestígia secútus sancti Grégorii séptimi, viri ópere et sermóne poténtis, a quo in majóribus Ecclésiæ negótiis adhíbitus fúerat, atque epíscopus Ostiensis et sanctæ románæ Ecclésiæ cardinális creátus, pari ánimi constántia ac fortitúdine jura Ecclésiæ contra laícam potestátem vindicávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

SUMMUS Póntifex renuntiátus, Cassíni montem invísit, sacras ibi beatíssimi Patris Benedícti exúvias veneratúrus, ejúsque ope a lápidis morbo quo diu laboráverat, insígni prodígio sanátus fuit. Cavénsis monásterii ecclésiam et sancti Nicolái Barénsis basílicam consecrávit, ibíque corpus ejúsdem thaumatúrgi magna cum solem-

Hanc membra luci réd-
dita,
Tuéntur et firmant fidem.

Quorum triúmphos pán-
gimus,
Tenére da fidem, Deus :
Da, quam triumphándo du-
ces
Signáverant, viam sequi.

Cujus sub armis mílitant,
Mundúmque vincunt Már-
tyres,
Sit laus Patri, laus Fílio ;
Compar tibi laus, Spíri-
tus.
Amen.

℣. Justórum ánimæ in manu Dei sunt.

℟. Et non tanget illos torméntum malítiæ.

Ad Benedictus. Ant. Intercéssio, Dómine, nobis sanctórum Gervásii et Protásii mártyrum tuórum succúrrat, atque nos ubíque prótegat et défendat, ut ambórum précibus ab ómnibus malis liberémur.

ORATIO

Largiente te Dómine, beatórum Gervásii et Protásii natalítium nobis effúlsit; concéde, quæsumus : ut hodiérna glória passiónis, sicut illis glóriam tríbuit sempitérnam, ita nobis munímem operétur perpétuum. Per Dóminum.

AD II VESPERAS

Ant. et Psalm. de Communi Hymnus et ℣. ut in I Vesp.

Ad Magnificat. Ant. Mártyres gloriósi, Gervási et Protási, imploráte pro nobis ut voluntátem Dómini in ómnibus adimplére valeámus; et dum vestram solemnitátem méntibus devótis celebrámus, vestris quoque précibus, grátiam Dómini ac vitam ætérnam adipísci mereámur.

Et fit comm. S. Julianæ Virg.

DIE XX

S. JULIANÆ DE FALCONERIIS, VIRGINIS.

(*e die* 19).

Duplex.

Omnia ut in Breviario *sub die* 19 *huj. In III Noct. dicitur lectio IX de S. Sylverio Papæ et Mart.* (e duabus una),*et in Laudibus fit comm.* 1° *Octavæ SS. Patronor.*, 2° *S. Sylverii.*

Vesperæ a Capitulo de S. Aloysio Gonzaga, in Breviario, *et fit commem.* 1° *S. Julianæ,* 2° *Octavæ, et* 3° *S. Gobbani, Mart., Oratio :* Præsta.... ut intercedénte, *de Communi.*

DIE XXI

COMMEMORATIO S. GOBBANI, MARTYRIS.

LECTIO IX

Gobbanus in Hybérnia, ut tradunt, claro génere ortus, primum sancto Fursæo, qui in hac regióne fulgébat, adhæsit, monásticam disciplínam edocéndus, in qua tantum profécit, ut sanctus Abbas ad eremíticam vitam transíre cúpiens, illi monastérii regímen crédere non dubitáverit. Cum autem bellórum tumúltus imminérent, Gobbánus, quo libérius Deo vacáret, feliciúsque pro sacerdótii múnere animárum salúti incúmberet, adjúnctis sibi sóciis, mare transmeávit, et ad oras Gálliæ áppulit. Tunc amíci ab ínvicem, licet ægre, sejúncti, ordinatióni divínæ totos se commisérunt et quisque regiónem pétiit, ad quam supérno nutu diréctus est; Gobbánus vero pervénit ad locum pagi Laudunénsis cui nomen Mons Erémi, quem a Rege Clotário Tértio obtínuit. Ibi, constrúcta céllula et ædificáto oratório; assíduis précibus, verbo et exémplo ómnibus prodésse studébat; erga álios blandus, sibi soli austérus. Tandem a bárbaris regiónem vastántibus ímpie mactátum esse paulo post médium séptimi sæculi commúnis est et antíqua tradítio. Ad ejus memóriam extrúcta in ipso Monte Erémi Ecclésia célebris, in paróchiam erécta est sub ejus invocatióne, et sensim ex piórum peregrinórum frequéntia burgus surréxit cui sicut et vicínæ sylvæ Sancti Gobbáni nomen est índitum. In hac eádem Ecclésia insígne sancti Mártyris caput reverénter asservátum, plúries in anno piæ fidélium peregrinorúmque veneratióni expónitur, et solémni pompa per vicos circumfértur.

Te Deum laudámus.

In Laud. commem. Octavæ et S. Gobbani.

In II Vesp. S. Aloysii Gonz. fit comm. Octavæ SS. Patronor. et S. Paulini Ep. Conf. in Breviario.

DIE XXII

DE DIE IV INFR. OCTAV. SS. PATRONOR

Semiduplex.

Omnia ut in festo præter seq.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura ocurrente.

IN II NOCTURNO

Ex libro S. Ambrósii Epíscopi ad Marcellínam sorórem. *Epist.* 22.

LECTIO IV

SCIAS sanctos Mártyres a nobis repértos. Nam cum ego basílicam dedicássem, multi tanquam uno ore interpelláre cœpérunt : Sicut Románam, sic basílicam dedíces. Respóndi : Fáciam, si Mártyrum Relíquias invénero. Statímque súbiit velúti cujúsdam ardor præságii. Quid multa? Dóminus grátiam dedit. Formidántibus étiam Cléricis, jussi eruderári terram eo loci qui est ante cancéllos sanctórum Felícis atque Nabóris. Invéni signa conveniéntia, adhíbitis étiam quibus per nos manus imponénda foret.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

LECTIO V

SIC Sancti Mártyres eminére cœpérunt, ut adhuc nobis siléntibus, arriperétur urna, et sternerétur prona ad locum sancti sepúlchri. Invénimus miræ magnitúdinis viros duos, ut prisca ætas ferébat; ossa ómnia íntegra, sánguinis plúrimum. Ingens concúrsus pópuli per totum illud bíduum. Quid multa? Condídimus intégra ad órdinem; transtúlimus, véspere jam incumbénte, ad Basílicam Faustæ : ibi vigíliæ tota nocte, manus impositio. Sequénti die, transtúlimus ea in Basílicam quam appéllant Ambrosiánam. Dum transférimus, cæcus sanátus est.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine * : Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hærédes.

LECTIO VI

VIDETIS ut eos cum princípibus pópuli sui collocávit Príncipes pópuli, quos álios nisi sanctos Mártyres æstimáre debémus, quorum jam in númerum diu ante ignoráti Protásius Gervasiúsque proferúntur, qui stérilem Martyribus Ecclésiam Mediolanénsem, jam plurimórum matrem filiórum, lætári passiónis própriæ fécerint et títulis et exémplis? Non immérito autem pleríque hanc Mártyrum resurrectiónem appéllant; vídero tamen utrum sibi, nobis certe, Mártyres resurréxerint. Cognovístis, immo vidístis ipsi

multos a dæmóniis purgátos : plúrimos étiam, ubi vestem Sanctórum mánibus contigérunt, iis quibus laborábant debilitátibus absolútos : reparáta vetústi témporis mirácula, quo se per advéntum Dómini Jesu grátia terris major infúderat : umbra quadam sanctórum córporum plerósque sanátos cérnitis. Quanta orária jactitántur? Quanta induménta super Relíquias sacratíssimas et tactu ipso medicabília reposcúntur? Gaudent omnes extréma línea contíngere; et qui contígerit, salvus erit.

℟. Tanquam.

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII, *Cap.* 12. 4.

In illo témpore, dixit Jesus discípulis suis : Dico vobis, amícis meis, ne terreámini ab his qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quod fáciant. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 65. *Cap.* 12.

Admonent nos elóquia divína timéndo non timére. Advertístis, cum Sanctum Evangélium legerétur, Dóminum Deum nostrum, ántequam pro nobis morerétur, firmos nos esse voluísse; sed admonéndo ne timerémus, et admonéndo ut timerémus. Ait enim : Nolíte timére eos qui corpus occídunt, ánimam autem non possunt occídere ; ecce ubi mónuit ne timerémus. Sed eum, inquit, timéte qui potestátem habet et corpus et ánimam occídere in gehénna. Ergo timeámus ut non timéamus; hoc est : prudénter timeámus ne inániter timeámus. Martyres sancti, propter quorum solemnitátem hoc ex Evangélio recitátum est, timéndo non timuérunt : quia Deum timéndo, hómines contempsérunt.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis; * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Quia.

LECTIO VIII

Quid enim ab homínibus hómini metuéndum est? Et quid est unde álterum térreat homo hóminem? Terret et dicit : Occído te; et non times, ne cum minátur, prius moriátur. Occído, inquit, quis dicit? cui dicit? Duos áudio: unum terréntem, álterum metuéntem. Quorum unus est po-

tens, alter infírmus, sed ambo mortáles. Quid se ergo exténdit in honóre inflátior potéstas, in carne æquális infírmitas? secúrus minétur mortem, qui non timet mortem. Si vero unde terret, timet, atténdat se, et ei cui minátur compáret se. Invéniat ei cui minátur parem conditiónem, et a Dómino simul cum illo petat miseratiónem. Homo est enim et hómini minátur, creatúra creatúræ; sed una infláta sub Creatóre, áltera fúgiens ad Creatórem.

℟. Hæc est vera fratérnitas quæ numquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum * : Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléstia. ℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Contemnéntes aulam. Glória Patri. Contemnéntes aulam.

Lectio IX de S. Paulino (ex duabus una) in Brev. *et de eo fit comm. in Laud.*

DIE XXIII

DE OCTAVA SS. MART. GERVASII ET PROTASII MART.

Semiduplex.

Omnia ut in die Festi, exceptis quæ sequuntur.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II NOCTURNO

Ex libro S. Ambrósii, ad Marcellínan sorórem. *Epist.* 22

LECTIO IV

Gratias tibi, Dómine Jesu, quod hoc témpore tales nobis Sanctórum Mártyrum spíritus excitásti, quo Ecclésia tua præsídia majóra desíderat. Cognóscant omnes quales ego propugnatóres requíram, qui propugnáre non sóleant. Hos ego acquisívi tibi, plebs sancta, qui prosint ómnibus, némini nóceant. Tales ego ámbio defensóres, tales mílites hábeo, hoc est, non séculi mílites sed mílites Christi. Nullam de tálibus invídiam tímeo, quorum quo majóra, eo tutióra patrocínia sunt.

℟. Sancti, tui Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis; * Terra appáruit árida : et in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

LECTIO V.

Aperuit óculos nostros Dóminus; vídimus auxília quibus sumus sæpe de-

fénsi. Non videbámus hæc, sed habebámus tamen. Itaque trepidántibus nobis quasi díxerit Dóminus : Aspícite quantos vobis Mártyres déderim : ita reserátis óculis glóriam Dómini speculámur, quæ est Mártyrum passióne prætérita, et operatióne præsens. Evásimus, fratres, non mediócrem pudóris sarcínam : patrónos habebámus, et nesciebámus. Invénimus unum hoc quo videámur præstáre majóribus. Sanctórum Mártyrum cognitiónem quam illi amisérunt, nos adépti sumus.

℟. Vérbera carnifícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine *: Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hærédes.

LECTIO VI

ERUUNTUR nóbiles Relíquiæ e sepúlcro ignóbili; ostendúntur cœlo trophæa; sánguine tellus madet; appárent cruóris triumphális notæ; inviolátæ Relíquiæ loco suo et órdine repértæ; avúlsum húmeris caput. Nunc senes répetunt audísse se aliquándo horum Mártyrum nómina, titulúmque legísse. Perdíderat cívitas suos Mártyres, quæ rápuit aliénos. Et si hoc munus Dei est, tamen grátiam quam tempóribus sacerdótii mei Dóminus Jesus tríbuit, negáre non possum; et quia ipse martyr esse non méreor, hos vobis Mártyres acquisívi. Succédant víctimæ triumpháles in locum ubi Christus hóstia est : sed ille super altáre qui pro ómnibus passus est; isti sub altári, qui íllius redémpti sunt passióne.

℟. Tanquam.

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII *Cap.* 12 .4.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Dico vobis amícis meis, ne terreámini ab his qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Et réliqua.

Homília sancti Fulgéntii Epíscopi.

De Fide ad Petrum.

PROPHETA dicit : Mihi adhærére Deo bonum est. Adhære ígitur Deo, fili caríssime; et in ipso spem tuam toto corde, fide et charitáte constítue. In milítia séculi éxhibe regi terréno fidéle servítium; quia hoc díligit Deus, hoc mandat Apóstolus. In causa vero fídei, qua Christus nos re-

démit in sánguine suo, omnes de corde tuo timor abscédat. Illi ánimas nostras debémus, cujus sánguine redémpti sumus. Illum debémus præ ómnibus dilígere, quem nostrárum nóvimus animárum clementíssimum Redemptórem. Illius debémus timére præ ómnibus ætérnam et veram potestátem, quem ventúrum sperámus æquíssimum júdicem. Illius debémus promíssa toto cordis afféctu appétere, qui potest ánimæ et córpori donáre vitam ætérnam.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Quia.

LECTIO VIII

Illius timére debémus iracúndiam, qui potest corpus et ánimam míttere in gehénnam : in cujus judício, sine acceptióne personárum, sine ambítu potestátum, æquáliter judicabúntur dómini et servi, reges et mílites, dívites et páuperes, húmiles et sublímes; ubi servus quisquis hic fidem Dei in veritáte tenúerit, regno potiétur ætérno: ubi servórum dominorúmque fidélium nec vita terminábitur, nec lætítia finiétur; infidélium vero servórum sive dominórum ignis non extinguétur, et vermis non moriétur.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum : * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléstia. ℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

LECTIO IX

De Vigilia sancti Joannis Bapt. in Breviario.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. Vigiliæ.

DIE XXIV

In festo Nativitatis S. Joannis B. non fit comm. Octavæ SS. Patronor.

DIE XXV

In festo S. Guillelmi fit commem. 1° *Octavæ S. Joann. Bapt. et* 2° *Octavæ SS. Patronor.*

Vesperæ dicuntur a Capitulo de Octava SS. Patronorum, ut in I Vesp. Festi, et fit comm. 1° *S. Guillelmi,* 2° *Octavæ S. Joann. Baptistæ.*

DIE XXVI

OCTAVA
ET FESTUM INVENTIONIS AC TRANSLAT. SS. MARTYRUM GERVASII ET PROTASII.

(*Transf. SS. Joannes et Paulus in diem seq.*)

Duplex.

Omnia ut in die Festi, exceptis quæ sequuntur.

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Ex libro Paulíni Presbyteri, de vita sancti Ambrósii, ad beátum Augustínum conscrípto.

Cap. 12 et seq.

AMBROSIUS Justínæ Regínæ innúmeras insídias sustínuit, quæ munéribus atque honóribus advérsus sanctum virum oblátis, pópulum excitábat. Exércitus étiam armátus ad custodiéndas fores ecclésiæ est diréctus, ut nemo audéret cathólicam ecclésiam íngredi. Sed Dóminus, qui de adversáriis suis Ecclésiæ suæ triúmphos donári consuévit, ad Ecclésiæ suæ muniméntum mílitum corda convértit; ut, avérsis scutis, ecclésiæ fores custodírent, nec égredi dimítterent, sed íngredi ecclésiam plebem cathólicam mínime prohibérent: sed nec hoc satis erat missis milítibus, nisi étiam pro cathólica fide, cum plebe páriter acclamárent.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consécuti sunt iter serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: *Terra appáruit árida : et in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ et torréntes inundavérunt. Terra.

LECTIO V

HOC in témpore primum antíphonæ, hymni ac vigíliæ in Ecclésia Mediolanénsi celebrári cœpérunt. Cujus celebritátis devótio, usque in hodiérnum diem, non solum in eádem Ecclésia, verum per omnes pene Occidéntis províncias manet. Per idem tempus sancti Mártyres Protásius et Gervásius sacerdóti se revelavérunt.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : *Ut hærédes fíerent in domo Dómini. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hærédes.

LECTIO VI

UBI sanctórum Mártyrum córpora sunt leváta, et in lectis pósita, multórum

ibi sanátæ ægritúdines perdocéntur. Cæcus étiam, Sevérus nómine, qui nunc usque in eádem Basílica, quæ dícitur Ambrosiána, in quam Mártyrum córpora sunt transláta, religióse servit, ubi vestem Mártyrum áttigit, lumen recépit. Obséssa étiam córpora a spirítibus immúndis curáta, summa cum grátia domum repetébant.

℟ Tanquam.

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 4. *v.* 33

In illo témpore: in synagóga erat homo habens dæmónium immúndum, et exclamávit voce magna, dicens : Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazaréne? Venísti pérdere nos? Scio te quis sis, Sanctus Dei. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Ep. 22 *ad Marcellin. sororem.*

Qui celebritátem vestram ínvidis ánimis ferre non possunt, causam celebritátis odérunt, atque in tantum améntiæ prorupérunt, ut negent Mártyrum mérita, quorum ópera étiam dæmones confiténtur. Sed hoc non mirum; síquidem tanta est incredulórum perfídia, ut tolerabílior sit diábolo plerúmque conféssio : dicébat enim diábolus : Jesu, Fili Dei vivi, quid venísti ante tempus torquére nos? Et cum hæc audírent Judæi, ipsi tamen Fílium Dei denegábant.

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis :* Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fatres in unum. Quia.

LECTIO VIII

Et nunc audístis clamántes dæmones, et confiténtes Martyribus quod pœnas ferre non possint et dicéntes : Quid venístis, ut nos tam gráviter torqueátis? Et Ariáni dicunt : Non sunt isti Mártyres, nec torquére diábolum possunt, nec aliquem liberáre; cum torménta dæmonum voce probéntur, et benefícia Mártyrum remédiis sanatórum, et absolutórum indíciis declaréntur.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum :* Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléstia. ℣. Ecce

quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

LECTIO IX

NEGANT cœcum illuminátum, sed ille non negat se sanátum; Ille dicit : Vídeo, qui non vidébam. Ille dicit : cæcus esse desívi, et probat facto. Isti benefícium negant, qui factum negáre non possunt. Notus homo est; publícis, cum valéret, mancipátus obséquiis, Sevérus nómine, lánius ministério. Deposúerat offícium, postquam incíderat impediméntum. Vocat ad testimónium hómines quorum ante sustentabátur obséquiis; eos indíces suæ visitatiónis arcéssit quos habébat testes et árbitros cæcitátis. Clamat quia ut cóntigit fímbriam de veste mártyrum qua sacræ relíquiæ vestiúntur, rédditum sibi lumen sit.

Te Deum laudámus.

In Laudibus comm. Oct. S. Joannis Bapt.

II Vesp. a Capitulo de seq. comm. 1° Octavæ SS. Patronor., 2° Octavæ S. Joann. Bapt., 3° SS. Irenæi et Soc. ejus. Mart. Oratio : Deus qui nos concédis, *de Communi.*

DIE XXVII.

SS. JOANNIS ET PAULI MARTYR.

(*e die* 26).

Duplex.

Omnia ut in Breviario *sub die* 26.

In tertio Nocturno, pro Commem. SS. Irenæi et Soc. legitur:

LECTIO IX

IRENÆUS, gente Asiáticus, cum adhuc puer esset, sancti Polycárpi audítor fuit : a quo multa de Apóstolo Joánne et áliis discípupulis qui et Dóminum víderant, de doctrína Christi ejúsque miráculis accéperat, quæ studióse áudiens, non in charta sed in corde suo descríbens, assídue étiam senex repetébat ac mente revolvébat. Ab eódem Polycárpo ad Gállias diréctus est quem sanctus Pothínus, Ecclésiæ Lugdunénsis primus Epíscopus, presbyterum ordinávit. Romam ad Eleuthérum missus de Páschatis quæstióne, rem ad felícem éxitum perdúxit. Intérea beátus Pothínus illústri martyrio coronátur, cui successúrus elígitur Roma redux Irenæus. Sedáta persecutióne, multa et præclára scripsit præsértim advérsus hæréses. Cum in controvérsia de die Páschatis, Victor Románus Póntifex Orientá-

libus excommunicatiónem comminarétur, nisi Ecclésiæ Románæ consuetúdinem amplecteréntur, Irenæus eum per lítteras commónuit non fácile debére unitátem collégii scíndere. Tandem postquam prædicatióne sua civitátem Lugdunénsem pene in íntegro fecísset christiánam, adveniénte iterum persecutióne sub Sevéro príncipe, Irenæus divérsis cruciátibus afféctus, per martyrium Christo Dómino dedicátus fuit; tantáque cum eo multitúdo Christianórum fuit juguláta, ut per pláteas flúmina cúrrerent de sánguine christiáno.

Te Deum laudámus.

In Laudib. Comm. 1° Oct. S. Joannis B., 2° SS. Irenæi.....

DIE XXIX

COMMEMORATIO OMNIUM SS. APOSTOLORUM.

In Festo Sanctorum Apostol. Petri et Pauli.

AD I VESPERAS

Ant. In hoc cognóscent omnes quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

ORATIO

Exaudi nos, Deus salutáris noster: et ómnium Sanctórum Apostólorum tuórum tuére præsídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis; Qui vivis.

AD LAUDES

Ant. Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes judicántes duódecim tribus Israel.

℣. In omnem terram exivit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio : Exáudi, *ut supra.*

AD II VESPERAS

Ant. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis, dicit Dóminus.

℣. Gloriósus in Sanctis suis, fáciens mirabília. ℟. Hic Deus meus, et glorificábo eum.

Oratio : Exáudi, *ut supra.*

FESTA JULII

DIE XXX

B. URBANI II PAPÆ CONFESS.

Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pont. præter seq.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui beáto Pontífici Urbáno pro Ecclésiæ tuæ libertáte et decóre felíciter decer-

táre tribuísti, eúmque ad rediménda ab infidélium potestáte tuæ vitæ mortális et passiónis monuménta per virtútem crucis roborásti: concéde; ut ipsíus intercessióne contra hostes ánimæ nostræ dimicántes in terris ætérnæ glóriæ brávium accípere mereámur. Qui vivis et regnas.

Et fit comm. SS. Abdon et Sennen Mart., in Breviario.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

SÆCULO undécimo, fervénte luctuosíssimo dissídio Ecclésiam inter et Impérium, non minóri fortitúdine quam céteri Pontífices, qui per ea témpora Románam obtinuérunt sedem, enítuit Urbánus secúndus, Odo ántea vocátus, e nóbili família Castellióne ad Matrónam ortus, qui locus diœcéseos tunc erat Suessionénsis. Factus est primum, ut quidam ferunt, capellánus Theobáldi de Petrafónte, epíscopi Suessionénsis et deinde canonicátu potítus est in ecclésia Rheménsi, in qua, Brunóne magístro celebérrimo, póstea Carthusianórum institutóre, stúdiis philosóphicis ac theológicis óperam dedit. At sæculi curas pertæsus, ac régulam Sancti Benedícti proféssus, primum in Cluniacénsi monastério, dein in Bainsonénsi et Cavénsi cœnóbiis reliogíssime conversátus est. Vestígia secútus sancti Grégorii séptimi, viri ópere et sermóne poténtis, a quo in majóribus Ecclésiæ negótiis adhíbitus fúerat, atque epíscopus Ostiensis et sanctæ románæ Ecclésiæ cardinális creátus, pari ánimi constántia ac fortitúdine jura Ecclésiæ contra laícam potestátem vindicávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

SUMMUS Póntifex renuntiátus, Cassíni montem invísit, sacras ibi beatíssimi Patris Benedícti exúvias veneratúrus, ejúsque ope a lápidis morbo quo diu laboráverat, insígni prodígio sanátus fuit. Cavénsis monásterii ecclésiam et sancti Nicolái Barénsis basílicam consecrávit, ibíque corpus ejúsdem thaumatúrgi magna cum solem-

nitáte repósuit. In eádem Barénsi basílica insígne concilium hábuit, ut Græcórum erróres confutáret, doctíssimis præsértim usus arguméntis, quibus sanctus Ansélmus Archiepíscopus Cantuariénsis fidem cathólicam asséruit. Aliis prætérea divérsis in locis convocátis concíliis ecclesiásticæ disciplínæ observántiam strénue curávit. Sed ómnium celebérrimum fuit Claramontánum concílium, in quo illárum sacrárum expeditiónum felicíssimo succéssu auctor éxtitit quæ, ex salutíferæ crucis Christi signo, quo decorabántur, Cruciatórum nómine fuérunt appellátæ. Ac sane mirum est Pontíficem páuperem, uti erat tunc Urbánus, absque regum ope, sine ulla exáctione aut tribúto, tam ingéntem príncipum virorúmque nobílium ac ceterórum ex omni órdine, statu et regno, multitúdinem congregásse qui ad diffícilem ádeo expeditiónem sponte et alácri ánimo properárent, quibus pro stipéndio sola proponebátur peccatórum indulgéntia et sola spes vitæ ætérnæ pro præmio.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : *Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

Beatam Dei Genitrícem, singulári obséquio prósequens, speciálium precum in ejus honórem recitatiónem cléricis atque laícis ea occasióne indíxit, ut qui fídeles suscipiéndæ expeditióni ímpares essent, mílites pro religiónis causa dimicántes saltem oratiónibus adjuvárent. Hinc et cultus Beátæ Maríæ qui hodiéque in sábbato celebrári solet, ab eo institútus fuísse perhibétur. Post plúrimos autem labóres pro Ecclésia superátis, Romæ quæ jam cum tota Itália ab Henríci imperátoris oppressióne eváserat, universáli quoque Ecclésia in tranquilliórem statum revocáta, tandem meritórum magis quam diérum plenus, anno millésimo nonagésimo nono, die vigésima nona Júlii gloriósa morte justórum quiévit, cum Petri cathédram tenuísset annos úndecim, menses quátuor, dies decem et octo. Corpus ex ædibus Petri Leónis apud sanctum Nicoláum in cárcere ad basílicam Vaticánam delátum est, ibíque

inter tótius urbis luctum et tristítiam honoríſice cónditum. Cultum usque ab immemorábili témpore Beáto Urbáno secúndo exhíbitum Leo decímus tértius Póntifex máximus, ex sacrórum rítuum Congregatiónis consúlto, ratum hábuit et confirmávit, atque Offícium cum Missa in ejus honórem quotannis die trigésima Julii celebrándum in diœcesi Suessionénsi benígne indúlsit.

℟. Iste est.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evang. Vigiláte, *de communi* 2° *loco.*

IX Lectio SS. Abdon et Sennen (in Breviario), *de quibus fit commem. in Laudibus.*

Secundæ Vesperæ a Capitulo de S. Ignatio Conf. (in Breviario), *et fit comm. B. Urbani.*

FESTA AUGUSTI

DIE VIII

COMMEM. S. SIGRADÆ.

NEC. VIRG. NEC. MART.

Oratio : Exáudi nos, *de Communi.*

LECTIO IX

SIGRADA ex nobilíssima Francórum progénie, fratrem hábuit Didónem Pictaviénsem Epíscopum. Non ímparis ipsa géneris aut dignitátis sortíta cónjugem, duos ex eo fílios Gairínum et Leodegárium suscépit. Hic annos natus quadragínta, epíscopus Æduénsis creátus est; ille autem Cómitis título insignítus, in aula Regum Clotárii tértii et Childérici mansit, donec Ebroínus, regni gubernáculis admótus, Leodegárium vexáre et insectáre cœpit. Sígrada vero, cum a Leutrúde Ebroínis cónjuge fundátum esset Suessióne puelláre Sanctæ Maríæ cœnóbium, jam áliquot ab annis vídua, amplis facultátibus derelíctis, servis ancillísque manumíssis, sola cómite Eleuthéria Leodegárii nutríce, eam in domum se cóntulit. Ibi duce Actéria abbatíssa, oratiónes inter Scripturæque sacræ lectiónem et meditatiónem tempus omne pártiens, una cum soróribus quibus cor unum erat et ánima una, vitam agébat. Sed ecce ínterim sanctæ víduæ acerbíssimus et contínuus dolor; quippe quæ ambóbus fíliis cruentíssima nece interféctis sese víderit orbátam. Quibus supérstes ad áliquot annos vixit, amaritúdinem ánimæ solátio sanctæ spei témperans, et filiórum exémplo ad cœléstis pátriæ desidérium accénsa, pie tandem requiévit in Dó-

mino prídie Nonas Augústi. Nomen ejus in antiquíssimis Litániis jam ante Cároli Magni impérium scriptis invocátur.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Sigradæ.

DIE IX
S. BANDARIDI EPISC. SUESS. CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

Hymnus : Christe Pastórum, *ut in capite hujus Proprii.*

ORATIO

OMNIPOTENS Deus, qui Beátum Bandáridum antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant et tota virtúte perfíciant. Per.

In I Vesp. comm. præcedentis et S. Romani Mart. (in Breviario).

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. ocurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

BANDARIDUS Clotárii Francórum regis senióris tempóribus, post óbitum sancti Lupi Suessionénsis Epíscopi in ejus locum sufféctus est. Hic decessóris sui ut auctoritátis sic et virtútum hæres, Ecclésiam inculpátæ vitæ exémplo verbum corroboránte dócuit, eámque mira prudéntia rexit. Eleemósynis præsértim ita déditus erat, ut omnem fere substántiam in aléndis paupéribus erogáret. Quaprópter ab aulícis quibúsdam, quorum fastum vita símplice redarguébat, irrísus, primum tanquam amens ac stólidus, tandem étiam velut rerum Ecclésiæ male pródigus, apud Clotárium insimulátus est, et príncipis edícto per calúmniam extórto, nulla synodo hábita, aut judiciário órdine de ejus vita ac móribus institúto, Episcopátu cédere coáctus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

EJECTUS a sede, hortum coléndo, labóre mánuum victum quæritáre non dubitávit. Clotárius demum, cógnita post septem annos sancti Pontíficis innocéntia, eum revocávit. Re-

deúnti tota cívitas óbviam effúsa, sexto ab urbe milliário ad locum quem Arthésiam vocábant, occúrrit, Ut vero urbem est ingréssus, ipso ad aram stante ac deprecánte, morbus quo jámpridem laborábat pópulus, cessávit.

℟. Pósui adjutórium super pótentem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

Non multo post, beáti Pontíficis Medárdi exéquias, toto Clero extra urbem cum eo procedénte prosecútus est, sanctúmque corpus, prout decébat, honorífice suscépit. Clotário Regi, qui ad annos inde quíndecim víxerat, supervíxisse créditur. Acri febre corréptus, óbiit Caléndis Augústi, ea sanctitátis opinióne quam de se vivus concitáverat. In ecclésia Sancti Crispíni Majóris ad dextrum altáris sanctæ Maríæ latus, sepúltus est.

℟. Iste est.

IN III NOCTURNO

Lect de Hom. in Evang. Vigiláte; *de Communi.*

LECTIO IX

De vigilia S. Laurentii, (in Breviario).

Te Deum laudámus.

In Laud. commem. Vigiliæ et S. Romani martyris.

In I Vesp. S. Laurentii, commem. S. Bandaridi.

DIE XIII

S. RADEGUNDIS

NEC VIRGINIS NEC MARTYRIS

Semiduplex.

Omnia de Comm. non Virg. nec Mart., præter seq.

Oratio : Exáudi nos, Deus, *de Communi.*

In I Vesp. commem. 1° *Octavæ S. Laurentii, et* 2° *SS. Hippolyti et Cassiani Mart.* (in Breviario.)

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO VI

Radegundis, fília Bertárii Toringórum príncipis, Clotárii Primi ex captiva conjux, beneficéntiam in páuperes, vigílias, statas et crebras oratiónes, cilícii usum, vini abstinéntiam, jejúnia, summam dénique vitæ asperitátem cum régia dignitáte conjúnxit. Occíso fratre jussu Clotárii, ipso permitténte, ab aula discédens, sanctum Medárdum ádiit; cumque monásticam vestem suscepísset, in Diá-

conam ab eo benedícta est.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

LECTIO V

Pictavos profécta, ibi ex munificéntia regis, monastérium vírginum sub régula sancti Cæsárii Arelaténsis cóndidit : impetravítque póstea a concílio Turonénsi secúndo congregatiónis suæ tutélam et confirmatiónem. Cœnóbio sorórem Agnétem Abbatíssam præfécit quam consecrávit sanctus Germánus Parisiénsis.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

LECTIO VI

Ea autem pietáte Radegúndis sacrifícium Eucharístiæ prosequebátur, ut in íllius usum panes própriis mánibus confíceret, quos divérsis suppeditábat ecclésiis : ac, præter cætera pietátis offícia, id illi máxime curæ erat ut pro régibus indesinénter preces fíerent in monastério. Abiit ad Dóminum anno quingentésimo octogésimo séptimo. Ejus corpus terræ mandávit Gregórius Turonénsis, occupáto in Diœcési obeúnda Merovæo Pictaviénsi; cui tamen reservátum est, ut revérsus Missam celebráret, tumulóque opérculum impóneret.

℟ Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣ Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Símile est, *de Comm.*

Lect. IX de SS. Mart. (in Breviario).

Te Deum laudámus.

In Laud. commem. Oct. et SS. Mart.

In II Vesp. comm. Octavæ et S. Eusebii, Conf. (in Breviario).

Oratio : Deus, qui nos, *de Communi.*

DIE XVI AUGUSTI

S. ROCHI, CONFESSORIS.

Duplex.

(*Transfertur S. Hyacinthus in diem* 18.)

Omnia de Communi

Conf. non Pont., præter seq.

ORATIO

POPULUM tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi : et beáti Rochi suffragántibus méritis; ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

ROCHUS in Monte Pessuláno natus, quanta in próximum charitáte flagráret, tum máxime osténdit, cum sævíssima peste longe latéque per Itáliam grassánte, pátria relícta, Itálicam peregrinatiónem suscépit, urbésque et óppida perágrans, seípsum in ægrotántium obséquium impéndere, animámque suam pro frátribus pónere non dubitávit. Quod beáti viri stúdium, quam gratum Deo fúerit miris sanatiónibus declarátum est. Complúres enim pestiléntia inféctos e mortis perículo signo crucis erípuit et íntegre sanitáti restítuit. In pátriam revérsus virtútibus et méritis dives, sanctíssime óbiit ejúsque óbitum statim subsecúta est venerátio fidélium, quæ in Constantiénsi deínde Concílio magnum recepísse dícitur increméntum, cum ad propulsándam ingrúentem luem Rochi imágo solémni pompa, omni comitánte pópulo, per eámdem civitátem, Epíscopis approbántibus, est deláta. Itaque ejus cultus mirífice propagátus est in univérso terrárum orbe, qui eúmdem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religióso stúdio adoptávit. Quibus accuráte perpénsis, Urbánus Octávus, Póntifex Máximus, ut ejus dies festus iis in locis in quibus forent ecclésiæ sancti Rochi nómine Deo dicátæ, Offício Ecclesiástico celebrarétur, indúlsit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

LECTIO V

Ex tractátu Sancti Augustíni Epíscopi, in Epístolam Joánnis.

Tract. 5. in Cap. 3.

PERFECTA ista cháritas est, ut parátus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dóminus in se exhíbuit mórtuus pro ómnibus, orans

pro eis, a quibus crucifigebátur, et dicens : Pater, ignósce illis, quia nésciunt quid fáciunt : sed si solus hoc fecit, non erat Magíster, si discípulos non habébat. Si quis tantam habúerit charitátem, ut parátus sit pro frátribus étiam mori, perfécta est in illo cháritas. Sed numquid mox ut náscitur, jam prorsus perfécta est? Ut perficiátur náscitur; cum fúerit nata, nutrítur; cum fúerit nutríta, corroborátur; cum fúerit roboráta, perfícitur; cum ad perfectiónem vénerit, quid dicit? Mihi vívere Christus est, et mori lucrum : optábam dissólvi, et esse cum Christo : multo enim magis óptimum, manére in carne necessárium propter vos. Propter eos volébat vívere, pro quibus parátus erat mori.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum. * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

LECTIO VIII

Hæc est perféctio charitátis, major omníno non potest inveníri : sed quia non in ómnibus perfécta est, et desperáre non debet in quo perfécta non est, si jam nata est quæ perficiátur; et útique si nata est, nutriénda est, et quibúsdam suis nutriméntis ad perfectiónem própriam perducénda. Quæsívimus inchoatiónem charitátis unde incípiat, et ibi contínuo invénimus : Si quis habet facultátes mundi, et víderit fratrem suum egéntem, et cláuserit víscera sua advérsus eum, quómodo diléctio Patris manet in illo? Ergo hinc íncipit ista cháritas, fratres, ut de suis supérfluis tríbuat egénti in angústiis alíquibus constitúto; ex eo quod sibi abúndat secúndum tempus, a tribulatióne temporáli líberet fratrem : hinc exórdium est cháritatis. Hanc ita cœptam, si verbo Dei, et spe futúræ vitæ nutríeris, pervénies ad illam perfectiónem, ut parátus sis ánimam tuam pónere pro frátribus tuis.

℟. Iste homo.

IN III NOCTURNO

Homilia Venerabilis Bedæ in Evang. Nolíte timére, *de Communi, secundo loco.*

In Laud. fit comm. Octavæ Assumpt. et S. Laurentii.

Vesp. a Cap. de Oct. S. Laurentii et fit comm. S. Rochi et Oct. Assumpt.

DIE XVIII
S. HYACINTHI, CONF.
(*E die* 16.)
Duplex.

Omnia ut in Breviario, *exceptis quæ sequuntur.*

In hymn. Iste Confessor, *mutatur tertius versus.*

IN III NOCTURNO.

IX Lect. de S. Agapito Martyre (in Breviario, die 18).

In Laud. comm. Octavæ Assumpt. et S. Agapiti, Mart.

Vesperæ a Capitulo de seq., et fit Comm. 1° *præced.*, 2° *Octav. Assumpt.*

DIE XIX
S. ARNULPHI, EPISC. SUESS. ET CONFESSORIS.
Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

Hymnus : Christe Pastórum, *ut in capite hujus Proprii.*

ORATIO

Omnipotens Deus, qui Beátum Arnúlphum antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti; eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO
Lect. de Script. ocurr.
IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Arnulphus illústribus in Bélgio paréntibus natus, postquam áliquo témpore, propinquórum impúlsu, militáverat, mórtuo demum patre, disciplínam monásticam sub Reináldo, Sancti Medárdi Abbáte, Suessióne est ampléxus. Tum céllula inclúsus, ac siléntii perpétui tenax, per tres annos vitam aspérrimam egit. Deínde cum ipse Reináldus obiísset, ac Póntius áliquis, qui contra jus ei succésserat, fuísset e loco túrpiter dejéctus, magna fratrum consensióne Arnúlphus Abbas eléctus est. Fugit autem noctu, ut dignitáti oblátæ se subdúceret; sed ab insequéntibus invéntus, et in monastérium revocátus, Philíppo quoque Rege jubénte, magnum onus coáctus suscépit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

Disciplinam ferme collápsam instauráre statim aggréssus, proptérea in ó-

dium venit Odóni cuídam aliísque frátribus, qui legum monasticárum jugum ferre non póterant. Ille vero malis ártibus a rege obtinuérunt ut Abbas sanctíssimus ad milítiam, ut ántea solébat, redíre juberétur. At ille, cum id esse a monástico propósito aliénum plane sentíret, multo magis se abdicáre dignitáte máluit, quam in seculári milítia íterum versári. Diléctam ígitur céllulam lætus repétiit, donec mórtuo Theobáldo Suessionénsi Epíscopo, succédere in ejus locum, inaugurationémque episcopálem ab Hugóne Diénsi, Apostólico Legáto, accípere cogerétur. Occupáta vero per vim Cáthedra ab Ursióne quodam qui régio favóre utebátur, ipse ad Castrum Ulciácum sedem constítuit : eóque loci concurréntibus úndique pópulis, salútis ætérnæ adjuménta dividébat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

Anno elápso, cum hábitum esset apud Meldas Concílium, in eóque Ursio damnátus et ejéctus, tum Arnúlphus inter festívas cívium ómnium gratulatiónes urbem Suessionénsem ingréssus est, unde nunquam póstea discéssit, nisi pública Ecclésiæ utílitas illum álio vocáret. A Gregório enim Papa séptimo in Flándriam missus est, ut exórta illic magna dissídia compóneret; ac reipsa pacem Robértum Cómitem inter ac nóbiles dissidéntes humaníssime conciliávit. Deínde Altembúrgum cum venísset, donátam a cívibus ecclésiam accépit, congregatísque frátribus in monastérium eréctam dotávit. In eo ipso póstea monastério morbo corréptus, anno millésimo octogésimo séptimo, décimo octávo Kaléndas septémbris, in Dómino obdormívit. Corpus ejus ibidem sepúltum est in ecclésia sancti Petri, ac post annos trigínta, miraculórum fama cogénte, a Lambérto, Tornacénsi Epíscopo, Concílii Bellovacénsis jussu, ex humo in lucem elátum.

℟. Iste est.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evangelium Vigiláte, *de Communi.*

In Laudibus hymn.

Christe Pastor., *et comm. Octav.*

Vesp. a Cap. de S. Bernardo (in Breviario), *et comm. S. Arnulphi.*

DIE XXIV

COMMEM. S. AUDOENI CONF. PONT.

In Offic. Noct. et Laudibus tantum.

LECTIO IX

AUDOENUS, qui et Dado Sanciáci in agro Suessionénsi paréntibus piis et nobílibus natus, custos fuit ánnuli Dagobérti regis, et amícum sociúmque in Palátii negótiis habuit Elígium. Ambo, adhuc laíci, in synodo Aurelianénsi, Monothélitam quemdam erróris convicére. Ambo eódem die comam deposuére, et Clero addícti sunt. Ambo eódem die post longam præparatiónem, Epíscopi consecráti sunt, Eligius Novionénsis, Audoénus vero Rothomagénsis. Qui cœpit exínde tanto magis sese humiliáre, quanto majóri dignitáte excellébat, et peccáta pópuli tanquam própria deflére, ita ut corpúsculum jam jejúniis fractum non nisi super virgúltis noctu repóneret, collúmque et bráchia círculis férreis stríngere ad mortem usque non desíerit. Jam vero tali flagrábat animárum zelo, ut non modo in civitáte religiónem mirum in modum verbo et exémplo promóverit, sed étiam locos suæ Diœcesis remotíssimos et aspérrimos invíseret et evangelizáret, nihil exístimans beátius, nihil antíquius, quam páuperes et rústicos, exémplo Christi, verbo divíno páscere. Sæpíssime étiam, pro públicæ pacis causa, utilíssimam navavit óperam. Transáctis in tali Pontificátu quadragínta quátuor annis, Clippíaci prope Parísios febre corréptus, impetráto successóre Ansbérto, óbiit anno vitæ círciter septuagésimo quarto, Christi sexcentésimo octogésimo tértio. Corpus ejus Rothómagum translátum, in basílica Sancti Petri Príncipis Apostolórum cónditum est cui et nomen dedit.

Te Deum laudámus.

Oratio : Da quæsumus.

DIE XXV

COMMEM. S. HUNEGUNDIS, VIRG. NON MART.

Oratio : Exaudi nos.

LECTIO IX

HUNEGUNDIS nóbili génere nata in ea Viromanduénsis agri villa quam Lambáidem vocant, a sanc-

to Elígio nondum Epíscopo e sacro fonte suscépta est. Desponsáta præter voluntatem Eudáldo, nóbili viro, tácite cógitans quómodo se et dotem suam offérret Christo, sponso persuásit ut connubiáli licéntia abstinéntes, ambo ad Apostolórum límina se conférrent, póstea matrimónium felíciter auspicatúri. Cum Romam perveníssent, post salutátas devóte Sanctórum Basílicas, Martínum Prímum Pontíficem sola, ínscio Eudáldo, ádiit, et ad ejus pedes provolúta, virginitátem Christo óbtulit, cápitis velámen et sigíllum castimóniæ humíliter expóscens. Hujus ut devotiónem Póntifex agnóvit, eam Christo servitúram consecrávit. In pátriam redux, omnia bona sua Humolariénsi, quod jam extábat, cœnóbio dedit. Quod quidem sponsus primum tulit ægérrime, sed póstea approbávit, seque Deo servum perpétuum cum suis bonis ómnibus coram altári Vírginis Deíparæ óbtulit. Fuit ítaque réliquo vitæ suæ témpore monastérii in rebus exterióribus procurátor, ibíque dignum hábuit sepúlchrum, curánte ipsa Hunegúnde tunc Abbatíssa. Evolávit ad cœléstem sponsum sanctíssima Virgo octávo Caléndas Septémbris anni sexcentésimi nonagésimi. Corpus ejus multis illustrátum miráculis e terra elevátum est pridie Nonas Octobris anni nongentésimi quadragésimi sexti.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Hunegundis.

DIE XXVI

S. CÆSARII PONT. ET CONF.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

Oratio : Deus, qui pópulo *in Comm. Doctorum.*

Comm. S. Zephyrini (in Breviario).

IN I NOCTURNO

Let. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Cæsarius, pátria Cabilonénsis, monastérii Lirinénsis primum monáchus, tum Abbas, ob exímiam doctrínæ et virtútum famam, Æónio in sede Arelaténsi, invítus licet, subrogátur. Mox próvidus Pastor de cunctórum salúte sollícitus instítuit ut Tértiæ, Sextæ et Nonæ offícium in sancti Stéphani Basílica Clérici quotídie persólverent, quo láici et pœniténtes quotidiáno possent Offício inte-

résse. In hac síngulis fere diébus prædicábat; áliis vero Ecclésiis homílias pópulo recitándas suppeditábat.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

Ter apud reges Gothos proditiónis accusátus, ac tóties in exílium et in cárcerem detrúsus, ter innocéntia ejus maniféstis arguméntis comprobáta, absolútus est, et ad Ecclésiam suam remíssus. Inter bella quibus tunc fere contínuis Arelaténsis Província deflagrábat, captívis rediméndis sacram suppelléctilem distráhere non dubitávit : in hoc, cum Ambrósio conséntiens, ei displicére non posse de suppelléctili sua dari redemptiónem qui prius semetípsum pro redemptióne hóminis tradidísset.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

LECTIO VI

Plúribus intérfuit Concíliis, quibus et plerúmque præfuit. Dénique postquam, Floriáno teste, vixit inter bárbaros pius, inter bella pacátus, pater orphanórum, pastor egéntium, et Cathólicæ régulam disciplínæ dictis factísque demónstrans, migrávit ad Dóminum, et sepúltus est in monastério Vírginum quod ipse Areláte condíderat.

℟. Iste est.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Vos estis sal terræ, *de Comm.*, 1° loco, cum Responsor. Conf. Pontif.

Lect IX de S. Zephyrino (in Breviario).

In Laud. comm. S. Zephyrini.

DIE XXVII

COMMEMORATIO SS. TIMOTHEI ET APOLLINARIS MART.

Oratio : Deus, qui nos concédis.

LECTIO IX

Timótheum et Appollinárem Remis in Gállia martyrii corónam adéptos esse tráditur. Timótheus quidem ante Lampádium Præféctum addúctus, cum sacrificáre renúeret, gravíssime torquétur : Appolliná-

ris autem géntilis huic áderat spectáculo, Timotheíque constántiam mirátus et religiónem, ádeo torméntis quibuscúmque fortiórem, intus movénte Deo, gentilitáte depósita, fídem ampléxus est; et una cum Timótheo váriis cruciátibus attrítus est. Ambo post innúmera tórmenta senténtiam capitàlem excepérunt décimo kaléndas Septémbris.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. SS. Martyrum.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE I

SS. SIXTI ET SINICII PRIMORUM EPISCOPORUM SUESSIONNENSIUM

Duplex I Classis.

Omnia de Comm. Conf. Pont. exceptis quæ sequuntur.

AD I VESPERAS

Antiphonæ et Capitulum de Laudibus. Psalmi de Communi.

HYMNUS

CHRISTE, jam longum stériles in agros
Misit optátum tua dextra semen;
Fertilis per te grávidis abúndat
Campus aristis.

QUIS tamen fruges Domino parávit!
Horreis messor pátriis recóndet?
Quæ manus mixtas ségeti revéllet
Próvida spinas ?

VOBIS hæc nostri pia cura cessit,
Sixte, dux verbi, cómiti nec impar,
Sínici : tales inaráta poscit
Terra colónos.

CHARITAS junxit sócios viárum;
Díssitos terris regit unus ardor;
Una vox unum váriis Magistrum
Pérsonat oris.

JAMQUE quos ritus véteris tenáces
Háctenus lusit male sanus error,
Eluunt, flecti dóciles, amáro
Crimina fletu.

LANGUET heu nostris quoque seminátum
Córdidus verbum; Bone Cultor, imbres
Mitte fecúndos, Deus, efficacem
Mitte calórem.

CONDITOR frugum, Dominúsque messis,

Christus æterno celebrétur
hymno;
Et bonum nostro memor
usque servet
Pectore semen.
Amen.

℣. Pópulus qui creábitur laudábit Dóminum.

℟. Quia prospéxit de excélso sancto suo.

Ad. Magnif. Ant. Ecce super montes pedes evangelizántis et annuntiántis pacem : célebra, Juda, festivitátes tuas, et redde vota tua, quia non adjíciet ultra ut pertranséat in te Bélial; univérsus intériit.

ORATIO

DEUS, qui nobis per ministérium Beatórum Pontíficum Sixti et Sinicii veritátem Evangélii patefíeri voluísti : concéde, quæsumus; ut quod illórum ore didícimus, grátia tua adjúti operári valeámus. Per Dóminum.

Et non fit comm. præcedentis.

AD MATUTINUM

INVITATORIUM

Deum qui de ténebris nos vocávit in admirábile lumen suum, *Venite, adorémus.

Ps. Venite.

HYMNUS

VOS, o Christiádæ, festa
vocat dies :
Per quos sancta fides hic
setit, et sacram
Hic primum státuit Rellígio
crucem,
Lætis pángite cántibus

NON hos terrúerant fúnera mártyrum
Mittit Roma; volant, fœdere
spléndido
Juráti míseram, sánguine
vel suo,
Christo quærere Gálliam.

JAM Remos súbeunt :
urbs male pértinax
Obláti réfugit múnera lúminis :
Quidquid tentat amor, pérfida súbruit
Cœcis impiétas dolis.

AT secréta, Deus, quis
tua détegat?
Vix nostris sacra vox insónuit plagis,
Late fana ruunt; Sede nova
micat
Sixto Præsule, cívitas.

ERGO Christiadis spes
profúgis redit:
Silvárum látebras, antráque déserunt
Tristes rellíquiæ, quas plácidis bonus
Pastor pórtubus éxcipit.

A QUO fonte fluunt semínibus sacris

Increménta, Deo máxima
laus Patri ;
Par sit, Nate, tibi; par tibi
qui moves
Nutu péctora, Spiritus.
Amen.

IN I NOCTURNO

Ant. Dabo vobis Pastóres juxta cor meum et pascent vos sciéntia et doctrína.

Ant. Sacerdótes Dómini vocabímini, minístri Dei nostri.

Ant. Erat manus Dómini cum eis, multúsque númerus credéntium convérsus est ad Dóminum.

℣. Pópulus qui creábitur laudábit Dóminum.

℟. Quia prospéxit de excélso sancto suo.

De Epístola Beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

LECTIO I, *Cap.* 10 *v.* 9.

Si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, et in corde tuo credíderis quod Deus illum suscitávit a mórtuis, salvus eris. Corde enim créditur ad justitiam; ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra : Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi et Græci; nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℟. Exúrge in gentes, nunc ego mitto te aperíre óculos eórum. * Ut convertántur a ténebris ad lucem et de potestáte Sátanæ ad Deum. ℣. Scient quia ego sum Dóminus Deus eórum; dabo eis cor et intélligent, aures et áudient. Ut.

LECTIO II

Quomodo ergo invocábunt in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt nisi mittántur? Sicut scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizantium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu; audítus autem per verbum Christi.

℟. Dixit Dóminus illi : Noli timére, sed lóquere et ne táceas propter quod ego sum tecum et nemo apponétur tibi ut nóceat te : * Quóniam pópulus est mihi multus in hac civitáte. ℣. Verbum meum non revertétur ad me vacuum, sed fáciet quæcúmque vólui, et prosperábitur. Quóniam.

LECTIO III

SED dico : Numquid non audiérunt ? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico : Numquid Israel non cognóvit ? Primus Móyses dicit : Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem ; in gentem insipiéntem in iram vos mittam. Isaías autem audet, et dicit : Invéntus sum a non quæréntibus me ; palam appárui iis qui me non interrogábant. Ad Israël autem dicit : Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem et contradicéntem.

℟. Incitabátur spíritus ejus in ipso, videns idolálatriæ déditam civitátem ; * Disputábat ígitur in foro per omnes dies ad eos qui áderant. ℣. Surréxit quasi ignis, et verbum ípsius quasi fácula ardébat. Disputábat. Gloria. Disputábat.

IN II NOCTURNO

Ant. Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte et in spíritu sancto, et in plenitúdine nostra.

Ant. Scitis intróitum nostrum ad vos quia non inánis fuit ; mémores enim estis labóris nostri.

Ant. Frater et cooperátor et commílito meus, vester autem Apóstolus, omnes vos desiderábat.

℣. Deus Israël ipse dabit virtútem.

℟. Et fortitúdinem plebi suæ.

LECTIO IV

PERACTIS ad evangélii prædicatiónem Apostólorum pro Christo legatiónibus, cum felíci succéssu christiána relígio magnum in dies suscíperet increméntum, invícti prodiérunt ex urbe Roma fídei propugnátores atque sanctíssimi confessóres qui, per omnes terrárum províncias verbum salútis ætérnæ alácriter prædicárunt. Inter quos invénti sunt ínclyti viri Síxtus et Sinícius quos Póntifex Románus, ut eléctos Christi mílites, in lege dívina ínstrúctos, cœlésti providéntia cum Mémmio et aliis in Gálliam destinávit.

℟. Populus qui ambulábat in ténebris vidit lucem magnam ; * habitántibus in regióne umbræ mortis lux orta est eis. ℣. Hic súadens avértit multam turbam dicens : Qúoniam non sunt dii qui mánibus fiunt. Habitántibus.

LECTIO V

HI fervénti stúdio hanc labórem pro Christi nómine subíre cupiéntes, per longi itíneris divérti-

cula, Christi fidem promulgántes, Remos tandem divína ope appulérunt. Sed postquàm ibi prædicatióne evangélii parum se profícere vidíssent propter pertinácem idolórum cultum, Suessiónem proſécti sunt; ubi permúltis ad veram Dei fídem convérsis sedem suam fíxérunt. Suessionénsi Ecclésiæ prímum præfuit Síxtus, sed paulo post Sinício deláta est episcopális auctóritas; Síxtus enim Remos revocátus est, et paráto ad celebránda sacra loco, lectísque minístris, novæ páriter ecclésiæ fecit inítium. Dénique post annos decem in apostolátus ópere consúmptos, de mortis die a Deo præmónitus, in pace requiévit Caléndis Septémbris, et a Sinício, cui móriens íterum curam Reménsis Ecclésiæ commendávit, in Ecclésia a se constrúcta sepúltus est.

℟. Cum Evangelisásset civitáti illi et docuísset multos, revérsi sunt. * Confirmántes ánimos discipulórum exhortantésque ut permánerent in fide. ℣. Circuíbant cunctas urbes atque erudiébant pópulum. Confirmántes.

LECTIO VI

Antequam vero Suessióne discéderet Sinícius, suum in locum Divitiánum ordinávit. Postquam uno anno pópulum Reménsem secúndum Deum pavit, uníus ejusdémque templi ac túmuli cum Sixto decessóre méruit consórtium. Hinc sanctæ utriúsque Epíscopi Relíquiæ nono século in Ecclésiam beáti Remígii translátæ sunt, ubi post altáre sancti Petri repósitæ, ad séculum usque décimum séptimum magna religióne frequentátæ sunt. Dénique, ad annum millésimum sexcentésimum vigésimum nonum, a Simóne Epíscopo Suessionénsi partim íbidem in capsam pretiosiórem inclúsæ sunt, partim Suessiónem allátæ, in majóri Ecclésia, honorífice asservátæ sunt usque ad finem séculi décimi octávi.

℟. Magnificabátur nomen Dómini Jesu : * Ita fórtiter crescébat verbum Dei et confirmabátur. ℣. Deseréntes cœremónias patrum suórum quæ in multitúdine deórum erant, unum Deum cœli coluérut. Ita. Glória. Ita.

IN III NOCTURNO

Ant. Nequándo dicant gentes : ubi est Deus eórum? Deus autem noster est in cœlo.

Ant. Magnificávit Dómi-

nus fácere nobíscum; facti sumus lætántes.

Ant. Idem Dóminus ómnium; dives ín ómnibus qui ínvocant illum.

℣. Non discédimus a te; vivíficábis nos.

℟. Et nomen tuum invocábimus.

Léctio sancti Evangelii secúndum Lucam.

LECTIO VII, *Cap.* 24, 44.

In illo témpore : Dixit Jesus ad discípulos suos : Hæc sunt verba quæ locútus sum ad vos, cum adhuc essem vobíscum, quóniam necésse est impléri ómnia quæ scripta sunt in lege Móysi, et Prophétis, et Psalmis de me. Et réliqua.

Homilía Sancti Aúgustíni Epíscopi.

Lib. 18 *de Civil. Dei. Cap.* 49-50.

Christus semináto, quantum per ejus oportébat præséntiam corporálem, sancto evangélio, passus est, mórtuus est, et resurréxit : sua passióne osténdens quid sustinére pro veritáte; resurrectióne, quid speráre in æternitáte debeámus. Conversátus est in terra quadragínta dies cum discípulis suis; atque ipsis vidéntibus, ascéndit in cœlum, et post dies decem misit promíssum Spíritum sanctum : cujus veniéntis in eos qui tunc credíderant, tunc signum erat máximum et máxime necessárium, ut unusquísque eórum linguis ómnium géntium loquerétur; ita signíficans unitátem Cathólicæ Ecclésiæ per omnes gentes futúram, ac sic linguis ómnibus locutúram.

℟. Debémus grátias ágere Deo semper pro vobis, fratres, quod elégerit vos Deus primítias in Fíde veritátis, in qua * Vocávit vos per evangélium nostrum in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi. ℣. Vobis junctus est Dóminus et elégit vos, quia diléxit vos. Vocávit.

LECTIO VIII

Deinde, secúndum illam prophétiam : Ex Sion lex pródiet, et Verbum Dómini ex Jerúsalem; et secúndum ípsius Dómini Christi prædícta, primum se ab Jerúsalem diffúdit Ecclésia : et cum in Judæa, et Samária plúrimi credidíssent, et in álias gentes itum est, annuntiántibus eis Evangelium, quos ipse sicut luminária et aptáverat verbo, et accénderat Spíritu sancto.

℟. Ut Christi apóstoli, *Cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium, sed etíam ánimas

nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis. ℣. Fortis est ut mors diléctio. Cúpide. Glória. Cúpide.

LECTIO IX

DENIQUE per ípsos non solum qui eum et ante passiónem et post resurrectiónem víderant et audiérant, verum étiam post óbitum eórum, per pósteros eórum prædicátum est toto orbe evangélium, contestánte Deo sígnis et osténtis et váriis virtútibus, et spíritus sancti munéribus; ut pópuli géntium ipsíque reges quorum légibus vastabátur Ecclésia, ei nómini salúbriter subderéntur, quod de terra crudéliter auférre conáti sunt; et falsos Deos incíperent pérsequi, quorum causa cultóres Dei veri fúerant ántea persecúti.

Te Deum.

AD LAUDES

Ant. Ecce ego ad gentem quæ non invocábat nomen meum expándi manus meas.

Ant. Repléta est terra ídolis; opus mánuum suárum adoravérunt; exaltábitur autem Dóminus solus.

Ant. Convérsi estis ad Deum a simulácris; servíte Deo vivo et vero.

Ant. Spem quæ repósita est vobis in cœlis, audístis in Verbo evángelii quod pervénit ad vos.

Ant. Non fecit táliter omni natióni et judícia sua non manifestávit eis.

CAPITULUM. *Is.* 66, 19.

MITTAM ex eis qui salváti fúerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam tendéntes sagíttam: in Itáliam et Græcíam, ad ínsulas longe, ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam, et annuntiábunt glóriam meam géntibus, et addúcent omnes fratres vestros.

HYMNUS

LATE fama novi Pontíficis volat:
Pastórem cupiunt, quem modo sprévérant,
Remi: tum vácuæ Sinícius comes
Pondus súscipit ínfulæ.

ERGO jam, váriis unánimes locis,
Pascunt ambo gregem: scilicet æmulus
Ambos urget amor, se simul ómnibus,
Se totos dare síngulis.

HÆC inter, medio venit ab æthere
Vox, o Sixte tibi núntia fúneris:
Malles mártyrium: pro grege, pro Deo
Malles, si líceat, mori.

Quis sensus mémoret péctoris íntimos!
Mortem spe, lácrymis et précibus vocat:
Mortem non réputat, qua datur éxuli
Veram cérnere pátriam.

Quos vivus dócuit, sic móriens docet:
Flevit Rellígio, turbáque páuperum
Flevit, quos tóties veste, cibis, ope,
Christi membra, leváverat.

Remos hinc ráperis, tu quoque, Sínici;
Rursum desérimur: vestra tamen, Patres,
Hic exémpla manent; vestra manet fides
Altis ínsita méntibus.

A quo fonte fluunt semínibus sacris
Increménta, Deo máxima laus Patri:
Par sit, Nate, tibi, qui moves
Nutu péctora, Spíritus.
Amen.

℣. Beata gens cujus est Dóminus Deus ejus.

℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

Ab Bened. Ant. In generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus: qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum.

ORATIO

Deus qui nobis per ministérium beatórum Pontíficum Sixti et Sinícii, veritátem Evangélii patefíeri voluísti: concéde, quæsumus; ut quod ab illórum ore didícimus, grátia tua adjúti operári veleámus. Per.

Non fit comm. S. Ægidii abb. et SS. Duodecim Fratr. Mart. (in Breviar.).

AD TERTIAM

Ant. Repleta est, *ut in Laud.*

CAPITULUM *de Laudibus.*

℟. *br.* Populus qui creábitur * laudábit Dóminum Pópulus. ℣. Quia prospéxit de excélso sancto suo. Laudábit, Glória. Pópulus.

℣. Deus Israël ipse dabit virtútem.

℟. Et fortitúdinem plebi suæ.

AD SEXTAM

Ant. Conversi estis, *de Laud.*

CAPITULUM. II *Thess.* II, 13, 14.

Vocavit vos Deus per Evangélium nostrum in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi. Itaque, fratres, state et tenéte traditiónes quas didicístis.

℟. *br.* Deus Israël * Ipse dabit virtútem. Deus. ℣ Et fortitúdinem plebi suæ. Ipse. Glória. Deus.

℣. Non discédimus a te, vivificábis nos.

℟. Et nomen tuum invocábimus.

AD NONAM

Ant. Non fecit taliter, *de Laudibus.*

CAPITULUM. *Eph.* II, 21, 22.

In Christo Jesu omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino, in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu.

℟. *br.* Non discédimus a te. * Vivificábis nos. Non discédimus. ℣. Et nomen tuum invocábimus. * Vivificábis. Glória. Non discédimus.

℣. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus.

℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

AD II VESPERAS

Antiph. de Laud. Psalmi de Communi.

CAPITULUM *de Laudibus.*

Hymnus : Christe *è I Vesp.*

℣. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus.

℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

Ad Magnif. Ant. Nomen eórum permáneat in ætérnum, pérmanens ad fílios illórum sanctórum virórum glória.

Oratio de Laudibus. Et fit comm. sequentis (in Breviario).

DIE IV

S. GENEBALDI EPISC. LAUD. ET CONF.

Duplex.

In I Vesp. omnia de Comm. Conf. Pontif. præter sequentia : Hymnus Christe pastorum, *ut in Capite huj. Proprii.*

ORATIO

Omnipotens Deus, qui beátum Genebáldum Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

APPENDIX DE SANCTIS

ECCLESIARUM AUT PARŒCIARUM PATRONIS

FESTA MAII

DIE XI

S. GANGULPHI MARTYRIS

Omnia de Communi Unius Martyris præter sequentia.

Oratio : Præsta... ut qui, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Epistola B. Pauli ad Romanos Fratres debitores, *de Communi Plurimor. Mart.* 1° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

GANGULPHUS claris in Burgúndia ortus natálibus, sed virtútibus clárior, a prima ætáte petulántium adolescéntium consórtia devítans, probatióribus tantum se adjúngebat, quorum sermónibus et exémplis ad virtútem inflammári posset. Unde factum est ut præter puritátis candórem quem semper illibátum servávit summa in Deum pietáte et in egénos liberalitáte enitúerit. Qua propter defúnctis paréntibus cum amplíssimum patrimónium in ejus ditiónem devenísset, meliórem illius partem in pios usus pauperúmque sustentatiónem impéndit.

LECTIO V

PROGRESSU vero témporis cum suórum consílio uxórem dúxisset, géneris quidem nobilitáte non ímparem, sed móribus longe dissímilem incredíbile est quám multa quamque indígna ab eádem perpéssus sit. Dúm ipse in Pippíni Francórum regis exércitu strénue ac fidéliter militáret, eam aúdiit, violáta conjúgii fide, álteri palam adhæsisse. Ad sua revérsus nihil intentátum relíquit ut adúlteram ad meliórem frugem revocáret ; sed nefária múlier cónjugis ánimam non solum iníquis opéribus, sed et omni convitiórum génere, de die in diem, cruciáre non cessábat. Qui tandem ne tam nefárii adultérii patrónus vidéretur, ipsam á

consórtio suo pénitus amóvit, relictísque Varénnis, territorii Lingonénsis castro in quo dégebat, ad prædium tunc témporis Avalénse nuncupátum, quátuor inde milliáribus díssitum, se recépit.

LECTIO VI

VERUM non multo post perfida múlier sancti viri necem machinátur. Ipsa suggerénte eum cum solum et famulórum ministério destitútum deprehendísset, clam in ejus cubículum ingréssus gládio transvérberat. Quo accépto vúlnere, ut sensit adésse vitæ finem, domínici córporis et sánguinis sacraménto suum múniens éxitum, felíciter migrávit e sæculo. Ad cujus túmulum Deus, per várias morbórum sanitátes aliáque mirácula, servi sui sanctitátem testátam esse vóluit. Corpus vero in Avalénsi Ecclésia primo depósitum, Varennas póstea delátum conditúmque fuit in Basílica sancti Petri, quam própriis súmptibus ædificáverat. Cum autem Normánni-Dani totam fere Gálliam ferro flammáque vastárent Varennénses, sancti mártyris relíquias ad urben Língonas, arcem munitíssimam censuérunt asportándas. Hic magna eórum pars ad hanc usque diem custóditur.

IN III NOCTURNO

Lectio Sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII

IN illo témpore, dixit Jesus discípulis suis : Nólite arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilia S. Joannis Chrysóstomi.

(*Hom.* 36 *in Math.*).

Non dixit bellum, sed quod atrócius est, gládium. Quod si acérbius hæc et minus compósite dicta tibi videántur néquaquam miréris. Nam ne suspicári quis posset verbórum lenocíniis alléctos a Christo fuisse apóstolos ; ac étiam ut asperitáte verborum ad injústas contumélias audítum præparet, non jucúnde rem ásperam, sed aspérrime atque duríssime prótulit.

LECTIO VIII

NEC ista sibi suffecérunt, sed látius natúram ístius belli ac síngulas partes amplíficans, omni bello intéstino atque civíli multo magis pestíferum osténdit, dicens : Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum et fíliam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suum et

inimíci hóminis doméstici ejus.

LECTIO IX

MAGNUM enim ómnino ac super hóminem est, quod qui primi hæc audiérint, libénter suscípere et áliis persuadére potúerant, et quanquam non ipse, sed hóminum impróbitas horum ómnium causa futúra esset, se tamen factúrum ómnia dicet; talis quippe scripturárum est consuétudo, ut enim étiam alíbi dícitur : Dedit ipsis Deus óculos ne vídeant; sic étiam in hoc loco : et quemádmodum díximus, hæc ómnia præmeditáti atque his verbis stabilíti, cum oppróbriis et contuméliis peteréntur, minus turbári possent.

DIE XXIII

S. DESIDERII EPISC. MART.

Omnia de Communi Unius Mart. præter sequentia.

Oratio : Infirmitatem, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Actibus Apostol. A Mileto, *de Communi,* 1° *loco.*

IN III NOCTURNO

LECTIO IV

QUO témpore bárbari ab extréma Germánia profécti, tradúcto Rheno, per Gállias hostíliter grassabántur, sedébat Língonis Desidérius Episcopus. Illi, variis provínciis igne ferróque vastátis, Língonas obsedérunt. Cum vídeVideret sanctus Præsul urbem premi et bárbaros extréma quæque tectis ac cívibus minitári, assúmptis secum Cleri et pópuli primóribus, ex urbe egréditur, hostílis exércitus ducem pro suis supplex rogatúrus. Bárbarus venerándi senis nec dignitáte motus, nec précibus, eum extémplo cum sóciis trucidári jubet. Desidérius autem pro créditis sibi óvibus ultro caput objíciens, migrávit ad Christum. Sancti mártyris corpus viri religiósi curárunt, et in lóculo compósitum lapídeo, in crypta subterránea condidérunt.

LECTIO V

Sermo S. Augustini : Triumphalis, *de Communi* 1° *loco.*

LECTIO VI

Coronata itaque, *de eodem Communi.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium : Si quis venit, 1° *loco.*

DIE XXVIII

S. GERMANII PARISIENSIS EPISC. ET CONF.

Omnia de Communi

Conf. Pont. præter seq.
Oratio : Exaudi, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Libro Ecclesiastici : Laudemus viros, *de Communi, 2° loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

GERMANUS, apud Æduos natus, présbyter primum, et monastérii Sancti Symphoriáni Æduénsis Abbas, ob morum sanctitátem ad Episcopátum Ecclésiæ Parisiénsis assúmptus est. Nihil ídeo remísit de austérióri vita quam in monastério égerat. Hora noctis tértia Ecclésiam ingréssus non recedébat ante dilúculum, cœteris de clero per tres vigílias sibi ínvicem ad psalléndum succedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo semper áliquid conférret in privátis collóquiis, lectiónes sacras ad mensam adhibéret, et dum iter ágeret, horas canónicas nudo cápite, étiam inter equitándum persólveret.

LECTIO V

MIRA erat ejus in páuperes, máxime vero in servos captivósque rediméndos beneficéntia, et Childebérto Regi ádeo probáta, ut e regáli ærário ad pias largitiónes ingéntem ei pecúniam subministráret. Caribérto Regi, qui uxóris sorórem dúxerat, sacris interdixit. Sigebértum per litteras a cæde Chilperíci fratris deterrére conátus est, et suis mónitis reluctántem brevi moritúrum prædíxit. In Synodo Bituricénsi plúrimos Judæos Christo lucrátus est. Aliquot ante tránsitum diébus, hæc verba : Quinto kaléndas Június, ad lectum scribi voluit : qua die, fere octogenárius, in pace quiévit.

LECTIO VI

Sermo S. Maximi Episcopi : Beati Patris Germani, *de Communi, 2° loco.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangel. Vigilate, 2° *loco.*

FESTA JUNII

DIE XVI

SS. CYRICI ET JULITTÆ MARTYRUM

Omnia de Communi Plurimorum Martyrum præter sequentia.

Oratio : Deus qui nos concédis, *e Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi : Fratres debitores.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Ex Martyrologio, et Theodoro Iconii Episcopo.

Cyricus et Julítta mater ejus ex Lycaóniæ civitáte Icónio, nóbili génere oriúndi, Tarsi in Cilícia, Diocletiáno imperánte, Martyrii corónam adépti sunt. Comprehéndibur ínclyta Martyr Julítta, tenélla valde ætáte puéllum Cyricum compléctens : tum illa tribunáli adhíbita, noménque ac fortúnam, patriámque rogáta, Dómini nostri Jesu Christi sibi nomen ascívit, dicens: Christiána sum. Ira accénsus Prætor Alexánder tolli ab ea púerum jussit, ac ad se addúci, quippe elegántem, ac necdum per ætátem quidquam sciéntem. Matrem vero compósito córpore atque disténto crudis nervis immániter cædi imperávit.

LECTIO V

Vi autem ab strénuæ Mártyris sinu avúlsum púerum, totúmque in matrem gestiéntem, nec ab ea océllos avocántem, carnífices Prætóri ádhibent. Accéptum púerum Prætor manu blande delíniens a fletu cohibére ómnino nitebátur. Puer vero, inténtis in matrem lumínibus, caput avertébat, manibúsque obnítens Prætóris fáciem unguículis scalpébat. Æmulam vocem pronuntiávit, ipsam matris prædicatiónem edens, ac clamans : Christiánus sum. Excandéscens agréstis fera, nec enim homo nuncupándus, e sublími sólio púerum terræ allídit, præclári Mártyris cérebro, ea in confessióne, ad gráduum ángulos colliso. Judex senténtiam dicit cædi gládio féminæ cérvícem.

LECTIO VI

Sermo S. Joannis Chrysostomi : Nemo est qui nésciat, *de Communi,* 2° *loco.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium Descendens, 2° *loco.*

EODEM DIE XVI

SS. FERREOLI ET FERRUTIONIS MART.

Omnia de Communi Plurim. Mart. præter sequentia.

Oratio : Deus qui nos ánnua, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi, Fratres debitóres.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Ferreolus présbyter et Ferrútio Diaconus qui a beáto Irenæo Lugdunénsi Epíscopo ad vitæ apostólicæ ratiónem institúti dicúntur, et Vesuntiónem missi ut evangélium prædicárent, illic magnam pópuli

partem ab idolórum cultu ad fídem Christi addúxerunt, quique hac de causa, sub Claúdio júdice, váriis tormentórum genéribus cruciáti mártyrium gládio consummárunt.

LECTIO V

Sermo S. Augustini Episcopi : Quotiescùmque fratres, *de Communi, 1° loco.*

LECTIO VI

Sed nos volumus, *de eodem Communi.*

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII, *Cap.* 24. 3.

In illo témpore : sedénte Jesu super montem Olivéti, accessérunt ad eum discípuli ejus secréto, dicéntes : Dic nobis, quando hæc erunt? Et réliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi.

Comment. in Matth. c. 26.

Discipuli Dóminum intérrogant quando hæc fíerent, quodve signum et advéntus sui et consummatiónis sæculi nóscerent. Et quia tria hæc in unum quæsita sunt, distínctis et temporis et intelligéntiæ significatiónibus separántur. Respondétur ígitur primum de civítatis occásu, et confirmátur veritáte doctrinæ, ne quis fallax ignorántibus posset obrépere. Ventúri enim erant eórum témpore, qui se Christum essent nuncupatúri. Ut ígitur fídes pestífero mendácio, détrahi posset, admonítio præcéssit.

LECTIO VIII

Confirmat ígitur eos ad toleràntiam passiónum, fugæ, verberatiónis, intéritus, et públici in eos odii propter nomen ejus. Atque his quidem vexatiónibus multi turbabúntur, et tantis insurgéntibus malis scandalisabúntur. Et usque in mútuum ódium excitabúntur. Et falsi prophétæ erunt (ut Nicoláus unus ex septem Dacónibus fuit) multósque ementíta veritáte pervértent; et abundánte nequítia, cháritas refrigéscet.

LECTIO IX

Sed usque in finem perseverántibus salus reserváta est; ac tum per omnes orbis partes viris Apostólicis dispérsis, Evangélii véritas prædicábitur. Et cum univérsis fúerit cognítio sacraménti cœléstis invécta, tum Jerúsalem occásus et finis incúmbet : ut prædicatiónis fidem et infidélium pœna et metus civitátis erútæ consequátur. Hæc ígitur in eam, ut fúerant prædícta, perfécta sunt: et

lapidátis, fugátis, perémptis Apostólis, fame, bello, captivitáte consúmpta est. Ac tum fuit digna non esse, cum, ejéctis prædicatóribus Christi, indígnam Dei prædicatióne se præbuit.

DIE XXII

S. ALBANI MARTYRIS.

Omnia de Communi Unius Martyris præter sequentia.

Oratio : Præsta... ut intercedénte, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Communi : Fratres debitores.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

ALBANUS in Britannia Majóri, proto-martyris título insignítus, tanquam inter martyres illústrior, quamvis idolórum cúltui addíctus, Cléricum qui a pagánis quærebátur ad necem, hospítio excépit et domi ábdidit. Hæc tanta humánitas ipsi felicíssime cessit. Mox enim hóspitis fidem virtutémque mirátus, motus grátia, abjéctis idólis, Christo se totum dedit. Paulo post, Præfectus cértior factus ubi Cléricus latéret, misit qui eum comprehénderent. Sed Albánus hóspiti métuens, mutátis mútuo véstibus, evádere jubet, et in ejus locum se súfficit. Verolámium in urbem, nunc Sancti Albáni nómine dictam, dúcitur, et Præfécto sistitur, qui se delúsum indígnans, Albáno torménta minátur quæ Cléríco paráverat, nisi ad eam quam ejuráverat religiónem redíret. Sed minas spernens athléta Christi statím flagéllis inhumáne cæditur, et plaudénte Christianórum multitúdine, cápite pléctitur, décimo kaléndas Júnii desinénte sæculo tértio.

LECTIO V

De Expositione S. Ambrosii Ep. in Psalm. centesimum decimum Octavum : Príncipes persecúti sunt, *de Communi*, 2° *loco.*

LECTIO VI

Vere frustra impugnatur, *de eodem Communi.*

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secundum Matthæum.

LECTIO VII, *Cap.* 10. 26

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nihil est opértum, quod non revelábitur, et occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi.

Comm. in Mat. can. 10 *post. medium.*

DOMINUS diem judícii osténdit, quæ abstrúsam

volúntatis nostræ consciéntiam prodet : et ea, quæ nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicæ déteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántium monet esse metuéndas : quia dies judícii nulla hæc fuísse atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lumine : et quod in aure aúditis, prædicáte super tecta. Non légimus Dóminum sólitum fuísse nóctibus sermocinári, et doctrínam in ténebris tradidísse : sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebræ sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

LECTIO VIII

Itaque id, quod a se dictum est, cum libertáte fídei et confessiónis vult esse loquéndum. Idcírco quæ in ténebris dícta sunt prædicári jussit in lúmine ut quæ secréto aúrium commíssa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium præcónio audiántur. Constánter enim Dei ingerénda cognítio est, et profúndum doctrínæ Evangélicæ secrétum in lúmine prædicátionis Apostólicæ revelándum : non timéntes eos, quibus cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est : sed timéntes pótius Deum, cui perdéndæ in gehénna et ánimæ et córporis sit potéstas.

LECTIO IX

Nolite timére eos qui óccidunt corpus. Nullus igitur córporum nostrórum casus est pertimescéndus, neque ullus interiméndæ carnis admitténdus est dolor : quando pro natúræ suæ atque oríginis conditióne resolúta, in substántiam spirituális ánimæ refundátur. Et quia doctrínis tálibus confirmátos opórtet líberam confiténdi Dei habére constántiam, étiam conditiónem, qua tenerémur, adjécit : negatúrum se eum Patri in cœlis, qui se homínibus in terra negásset; eum porro, qui conféssus coram homínibus se fuisset, a se in cœlis confiténdum : qualésque nos nóminis sui testes homínibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimónio ejus usúros.

DIE XXVI

S. MAXENTII ABBATIS

Omnia de Communi Abbatum præter sequentia.

Oratio : Intercéssio, *e Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de libro Ec-

clesiastici : Beatus vir, *de Communi Conf. non. Pont. 2° loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Adjutor, qui et Máxentius, Agáthæ ex nóbili prosápia oriúndus, adoléscens sancti Séveri abbátis disciplínæ commíssus est, in qua mirabíliter profécit. Hinc ad diœcesim pictaviénsem divértit ubi sub nómine Maxéntii aliquándiu delitéscens, beáti Agápiti præcéptis lætus utebátur; verúm próditus méritis in dies emicántibus, ad Monástérii régimen evéctus est, in quo, assídua oratióne quæ ei corpus depresserat, et insólita vitæ austeritáte, máxime excélluit. Circa annum quingentésimum décimum quintum, vita functus est vir sanctus, ætátis suæ sexágesimo séptimo.

LECTIO V

Deridétur justi simplícitas, *de Comm. Conf. non Pont. 2° loco.*

LECTIO VI

At contra, *de eodem Communi.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evang. Ecce nos reliquimus omnia, *de Comm. Abb. 1° loco.*

EADEM DIE XXVI

S. SALVII EPISC. MART.

Oratio : Infirmitátem, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Act. Apostol. A Mileto, *de Communi 1° loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Salvius, Albiæ in Aquitánia natus, non obscúra in téneris annis futúræ sanctitátis præbuit indícia. Humánis divinísque lítteris egrégie institútus, crescéntibus cum ætáte inter sacras exercitatiónes virtútibus et méritis, sacris ordínibus initiátur. Sacérdos factus et sciéntia sanctórum ad animárum lucra comparátus, verbi Dei ministério se totum addíxit. Cumque in extirpándis vítiis ac revocándis in viam salútis errántibus eloquéntia et pietáte úberes éderet fructus, Epíscopus Engolisménsis creátus est.

LECTIO V

Suscepto pastórali officio, Sálvius fuit in pascéndo grege vigililantíssimus et in verbi Dei prædicatióne indeféssus. Ecclésiam Engolisménsem sapientíssime per plures annos gubernávit et máximam multitúdinem ad veritátis cogni-

tiónem addúxit. Cum vero zelus quo æstuábat, intra suæ diœcesis límites coarctarétur, várias Galliárum partes, divína sic disponénte providéntia, cum único sócio, cognómine Supérius, prædicándo peragrávit. Ad civitátem Valéncenas in Hannónia pervénit sólitum evangelizándi opus éxsequens. Ibi plúrimos et exémplo virtútis, et incitaménto sermónis vel incrédulos ad Christum Dóminum convértit, vel etiam credéntes magis ac magis in fide et amóre Christi confirmávit.

LECTIO IV

Dum Valéncenis Condátum pérgeret, iter fecit per villam cui nomen est Brenna, ut hujus loci Ecclésiam sancto Martino dicátam visitáret, cumque preces máximo cum fervóre pro sua et pópuli salúte obtulísset, sacrosanctúmque missæ sacrifícium pie et solémniter celebrásset, à quodam crudelíssino tyránno clam cum diácono cómite comprehénsus, in obscuríssimum cárcerem castélli Brevítici dictí conjéctus est. Post tres duræ captivitátis menses, Sálvius suprémum agónem sibi instáre prænóscens, ánimam Deo commendávit, et in eódem cárcere secúri percússus una cum socio, Mártyrii palmam obtínuit. Mártyrum córpora primum ab interfectóribus in stábulo recóndita, deinde post tres annos ab imperatóre Cárolo Magno ab Angelo ter admónito invénta sunt et ad Ecclésiam sancti Martíni in villa Brennæ, quæ exínde sancti Salvii nomen accépit, transláta sunt, ubi signis et miraculis claruérunt.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium Si quis venit, 1° *loco.*

DIE XXX

S. THEOBALDI CONFESSORIS

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio : Adésto, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de libro Ecclesiastici : Beatus vir, *de Communi,* 2° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Theobaldus Pruvíni e stirpe Cómitum Campániæ natus, adoléscens vitam eremíticam elégit. Ut autem libérius Deo inservíret, pátrium solum déserens, in Itáliam proféctus, intra colles Salanicénses,

prope Vicéntiam, aspérrimum vitæ genus et quod humánas vires excédere videbátur ampléxus est. Hinc accedénte post áliquot annos miraculórum fama, a Vicéntino Epíscopo invítus promótus est ad sacerdótium. Demum austeritátibus magis quam annis conféctus, migrávit ad Christum, anno millésimo sexagésimo sexto, pridie kaléndas Julii. Corpus ejus Senónas primum, postrémo Latiniácum solémni pompa relátum est.

LECTIO V

Deridetur justi simplicitas, *de Communi* 2° *loco.*

LECTIO VI

At contra, *de eodem Communi.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evang. Nolíte timére, pusíllus grex, *de Communi.*

FESTA JULII

DIE XXI

S. VICTORIS MARTYRIS.

Omnia de Communi Unius Martyris præter sequentia.

Oratio : Præsta quæsumus... ut qui, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi, 1° *loco :* Fratres debitores.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Ex passione sancti Victoris Massiliensis Martyris.

Apud Ruinart ad ann. 290.

LECTIO IX

Inter sanctórum Mártyrum gemmas Victor sanctissímus gloriósus cláruit, vel quod esset nobílior, vel quod in religióne nostra instrúctior et fervéntior; depréhenditur, Præfectórum tribunálibus præsentátur. Ille statim se Christi mílitem protestátur, sed quia vir clarus erat, judicátum a Præféctis est, ut ejus causa ad Cæsaris audiéntiam referrétur. Cæsar sanctum Mártyrem fúnibus coarctátum per totam urbem præcépit volutári.

LECTIO V

Tali ludíbrio cum satis supérque vulgi óculos satiásset, ad tribunália Præfectórum lacerátus cruentúsque redúcitur. De negándo Christo et diis adorándis ácrius perorátur. Cumque perorásset Mártyr; Adhuc, ínquiunt, Victor, philosophári non désinis. Tunc Astérius Christi mílitem jubet affígi. Jam totum corpus et ánimam Deo redditúrus, edícto Cæsaris ad molam pistóriam dúci-

tur. Ad perféctam ejus plenámque victóriam, gládio illi caput abscíndunt.

LECTIO VI

De expositione S. Augustini in Psalmum 118. Principes persecuti sunt, *de Communi, 2° loco.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evang. Nólite arbitrári, *ut in festo S. Gangulphi, die II maii in hoc appendice.*

DIE XXXI.

S. GERMANI EPISCOPI CONF.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio: Exáudi, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi, 2° loco: Laudemus viros.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

GERMANUS nóbili génere Autissiodóri natus, post auditória Gallicána, Romæ juris perítiam adéptus causas egit, ibíque uxórem duxit. Provinciæ suæ Visitátor constitútus, in Gálliam rédiit. Hunc ubi successórem sibi futúrum divinítus cómperit Amator Autissiodorénsis Epíscopus, clericáli veste índuit. Germánus vero Epíscopus creátus, sǽculi pompam aspernári cœpit, uxórem habére pro soróre, vitam ásperam dúcere, sua paupéribus erogáre, oratiónem vix unquam intermíttere. Cumque Peliagiána hæresis in Británnia Majóri grassarétur, ad eam extirpándam Gálliæ Epíscopi, rogántibus Británnis, misérunt Germánum cum Lupo Trecénsi, qui ínsulam purgárunt ab erróre.

LECTIO V

CLARUIT ibi Germanus miráculis, et Británnis insígnem procurávit victóriam non armórum vi, sed clericórum et mílitum précibus, et clamóre quo divinítus hostes extérriti in fugam acti sunt. In Gálliam rédux, pro plebe váriis calamitátibus vexáta, Auxiliárem ádiit Gálliæ Præféctum, qui ultro ejus précibus ánnuit. Deínde Ravénnam proféctus ad Valentiánum Imperatórem, véniæ rebéllibus Aremóricis conciliándæ causa, ibi paucis post diébus ex hac vita decéssit, anno quadringentésimo octávo. Corpus ejus póstea honorífico comitátu Autissiodórum delátum est.

LECTIO VI

Sermo S. Maximi: Beati Patris, *e Comm., 2° loco.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evang. Vi-

gilate, *de eodem Comm.*, 2° *loco.*

FESTA AUGUSTI

DIE XI

S. GAUGERICI EPISC. CONF.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio : Exáudi, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de libro Ecclesiastici : Laudémus viros, *e Communi*, 2° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Gaugericus, Epúsio in castro ad fines Trevirórum vetérrimo, paréntibus cathólicis atque honésto loco natus est. Ab iis primas lítteras edóctus, cum in sapiéntia plúrimum profíceret, a Magnérico Trevirórum Epíscopo tonsúra clericáli initiátus et ad levíticum póstea ministérium promótus fuit. Fertur quadam die, cum orándi causa loca sacra adíret, incidísse in óbvium hóminem pagánum qui lepra laborábat, eíque cum in ejus ánima Evangélicæ doctrínæ desidérium accendísset, tum morbi curatiónem, tum salutárem baptísmi medicínam contulísse.

LECTIO V

Interea quum Gaugérici fama longe latéque percrebuísset, post mortem Vedúlfi Cameracénsis Epíscopi, a Clero populóque postulátum est, ut ipse in locum mórtui Pontíficis succéderet; ac, jubénte Childebérto Austrasiórium Rege, Ægídius Reménsis Metropolitánus Gaugéricum sine mora consecrátum ad viduátam Ecclésíam misit. Multa facta ab eo mirácula memorántur, curáti précibus ejus morbi quam plúrimi; idoláque, eo prædicánte, sæpíssime evérsa ac succísa. Tandem annis trigínta novem in Episcopátus labóribus transáctis, in Dómino obdórmivit, tértio idus Augústi, anno Clótarii regis trigésimo sexto.

LECTIO VI

Sermo S. Maximi Episcopi : Beati Patris Gaugerici, *e Communi*, 2° *loco.*

DIE XXI.

S. PRIVATI EPISCOPI MART.

Omnia de Communi Unius Mart. præter sequentia.

Oratio : Infirmitátem, *e Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi : A Mileto.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Sanctus Privátus, Gabalitánus seu Mimaténsis in Gállia Epíscopus, tum religiónis stúdio fervens, tum de pia quiéte sollicítus in vicíni supercílio montis cryptam sibi confécerat, unde non nisi ad agénda pro more solémnia prodire solébat. Valeriano autem et Galliéno imperatóribus, cum Alamánni, Gàlliis jam magna ex parte vastátis, ipsam Gabalitánam regiónem inváderent, sanctus Póntifex, non ut cætéri mænium præsídia, sed cryptæ suæ pétiit receptáculum, ubi jejúniis et oratiónibus eo inténsius vacábat, quo dirióri pópulus suus obsidióne cingerétur.

LECTIO V

Sed ibi tandem a bárbaris repértus, cum nec oves suas bonus pastor lupis trádere vellet, spontáneam deditiónem suadéndo, nec ínsuper dæmóniis sacrificáre, ideo támdiu fústibus et flagris, nec non adustiónibus est afflictus, quoadúsque crederétur exánimis, et paucis interpósitis diébus, liberáto ínterim quasi divinítus pópulo, inter gratulántium óscula et lácrymas, ánimam exhalávit.

LECTIO VI

Ejus túmulum tot ac tanta illustrárunt mirácula, ut, confluénte pie peregrinántium multitúdine, e vículo cívitas surréxerit Mimaténsis. Ibidem, in Ecclesia Cathedráli sancti Mártyris caput, et in monte crypta multo populórum concúrsu, religiossíssime háctenus invisúntur. Extat étiam in agro Laudunénsi parochia Coverónis nómine quæ sacram ex ejúsdem cápite partículam simul et antíquam capéllam quasi cryptæ sancti Mártyris memóriam et imáginem possidére et magna devotióne venerári gloriátur.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evang. Si quis venit, *e Communi,* 1° *loco.*

DIE XXVIII.

S. JULIANI MART.

Omnia de Communi Unius Mart. præter sequentia.

Oratio ; Presta, quæsumus... ut intercedénte, *e Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi plurim. Martyr. 1° *loco :* Fratres, debitores.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Ex libro sancti Greg. Tur. de Miraculis.

Lib. 2. Cap. 1.

JULIANUS, Viennénsi ortus urbe, cum esset apud Beátum Ferréolum, cujus in milítia comes erat, jam tunc martyrii ardóre flagrábat. Relictis divítiis ac propínquis, ob sólius amórem martyrii, cóntulit se in Arvérnum territórium, ut facílius perveníret ad palmam; metuébat enim ne ei paréntes essent óbvii, si inter eos hoc certámen iniísset, et pérderet miles Christi corónam glóriæ, si legítime non certásset.

LECTIO V

IGITUR, instánte persecutióne, ad Brivaténsem vicum, in quo fanátici erróris næniæ colebántur advénit. Et cum ínsequi adversários nutu Dei sensisset: Nolo, ait, diútius commorári in hoc século, quia sítio tota ánimi aviditáte jam Christum. At illi, edúctam vibránti déxtera frámeam, deciso cápite, in tres, ut ita dicam, partes gloriósus dividitur Martyr. Nam caput Viénnam defértur, artus Briváte recondúntur, felix ánima a Christo conditóre suscípitur.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangel. Nihil est opertum *ut in Festo S. Albani Martyris die 22 Junii, in hoc appendice.*

DIE XXIX.

S. THEODULPHI EPISC. CONF.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio : Exáudi, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi, 2° *loco :* Laudemus víros gloriosos.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

THEODULPHUS, Laubacénsi in Hannónia monastério tértius post sanctum Ermínum fuit præfectus; quo in múnere et consummátæ prudéntiæ et perféctæ sanctitátis dedit specímina, sub Pippino príncipe et Cárolo rege. Is, sicut quidam decessóres ejus, Episcopáli dignitáte, absque diœcesi, fuit decorátus. Obiit anno septuagésimo sexto. Corpus ejus e terra levátum est circa annum millésimum centésimum tértium, et ad Erciam in pago Laudunénsi, ob fidem suscitándam allátum. Sacræ relíquiæ per vicos istius regiónis circumdúctæ ubique miráculis claruérunt; unde una ex ec-

clésiis Ercliæ, nunc sancti Ermini dictæ, beáti Theodúlphi patrocínio se commisit. Postea vero corpus ejus Laubácum redúctum est, et postrémo in ecclésia canonicórum Laubacénsium urbis Binchii depósitum.

LECTIO V

Beati Patris, *ut in Comm.* 2° *loco.*

LECTIO VI

Quantis, *ex eodem loco.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium

Vigiláte, *e Comm.*, 2° *loco.*

DIE XXX.

S. FIACRII CONF. NON PONT.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio : Adésto, *e Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi Beátus vir, 2° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Fiacrius qui et Fefrus, in Hybérnia nobilibus paréntibus ortus, Meldos ad sanctum Farónem solitáriæ vitæ desidério cum áliquot sóciis venit. Cujus votis ánnuens beátus Póntifex, locum a turbis remótum et silvis circumtéctum e património suo, nómine Brógilum illi concéssit. Ibi Fiácrius, evúlsis arbóribus, monastérium in honórem sanctíssimæ Virginis constrúxit in quo peregrínos et hóspites excipiébat, exígua sibi séorsum ædificáta domo. Cum autem virtútum ejus fama longe diffunderétur, undequáque ad eum adducebántur infírmi quos sola mánuum impositióne sanitáti restituébat. Mulíeres oratórii sui áditu omníno prohíbuit; miráculis illústris, labénte séptimo sǽculo, vita functus est.

LECTIO V

Derídétur justi simplícitas, *de Communi*, 2° *loco.*

LECTIO VI

At contra, *ex eodem loco.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangel.

Nolíte timére, 2° *loco.*

FESTA SEPTEMBRIS

DIE I VEL II

Juxta Ecclesiarum consuetudinem.

S. LUPI EPISCOPI CONF.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio : Da quæsumus, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones Fidélis Sermo, *de Communi*, 1° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Lupus in território Aurelianénsi ex nóbili génere ortus, ab Epíscopis Aurelianénsi et Autissiodórensi avúnculis suis, propter déditos religióni mores, adhuc puer in Clerum cooptátus est. Cum ætáte crescéntibus sciéntia meritísque, Artémio in Cáthedra Senonénsi suffectus est. Quo in múnere admirándis tum pietátis, tum sollicitúdinis pastorális, tum patiéntiæ opéribus elúxit. Váriis calúmniis impétitus in aula Theodoríci Burgundiórum regis, contra detrahéntes hoc reponébat : Nihil aliórum dicta nocent ei quem própria non máculat consciéntia.

LECTIO V

Post Theodoríci mortem Sanctus Póntifex, serváta Sigebérto fílio ejus intemeráta fide, missas a Clotário Secúndo contra Sénones cópias suis ad Deum précibus répulit. Unde Clotárius Burgundiónum regno potítus, invísum sibi Præsulem in Néustriam relegávit. Ibi cum multos infidéles Lupus ad veri Dei cultum adduxísset, cógnita tandem ejus innocéntia, Clotárius eum ab exilio revocávit, et ad pedes ejus advolútus véniam deprecátus est.

LECTIO VI

In prædio Briennonénsi suæ Diœcesis óbiit Lupus, vitæ sanctitáte et miráculis clarus. Sepúltus est, ut ipse jússerat, sub stillicídio véteris Basílicæ sanctæ Colúmbæ, quam singulári cultu semper fúerat prosecútus. Inter paróchias quæ patrónum habent beátum Lupum una est in agro Laudunénsi, in qua ejus memória magno peregrinórum præsértim epilépsi correptórum, concúrsu quotánnis per novem contínuos dies celebrátur.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evang. Homo perégre, *de Communi, 1° loco.*

EXTRA OFFICIUM

Recitari aut cantari permittitur sequens

HYMNUS

AD B. MARIAM VIRGINEM

Virgineis títulis quæ Matris jungis honóres.
Hac natos fóveas nocte benigna tuos.

Fulgida stella maris, secli dum mérgimur undis.
Sis lux in ténebris, et bene fida quies.

Si sopor obrépit, casti
fac Mater amóris.
Cor vígilans uno spiret
amóre Dei.

Virgo Dei genitrix, pró-
pius res áspice nos-
tras
Dicáris pópuli vita salúsque
tui.

Gloria summa Patri,
compar sit gloria nato;
Par tibi laus, Flamen, quo
pia Virgo parit.
Amen.

OFFICIA PROPRIA

DIOECESIS SUESSIONENSIS

PARS AUTUMNALIS.

DECRETUM APPROBATIONIS

SUESSIONEN.

Ut Kalendarium perpetuum cum Proprio Officiorum et Missarum anno 1851 a Sa. me. Pio Papa IX approbatum in usum diœceseos Suessionen. ad accuratiorem formam redigeretur ac simul additamenta et variationes quæ, volventibus annis, in ea locum habuerunt ad tramitem rubricarum et decretorum plane disponerentur; Rmus Dns Odo Thibaudier, hodiernus Episcopus, votis etiam suæ Cathedralis ecclesiæ Capituli obsecundans, Kalendarium ipsum cum Proprio reformare studuit, quod supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papæ XIII sanctioni demissime subjecit.

Quum vero Sanctissimus idem Dominus Noster ejusmodi novi Kalendarii ac Proprii examen commiserit Sacræ Rituum Congregationi; hæc omnibus accurate perpensis, exquisito etiam voto alterius ex Rmis consultoribus ipsius Sacræ Congregationis, propositum Kalendarium et Proprium a se correctum et ordinatum, prouti in superiori exemplari prostat, probari posse censuit. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua ratam habens, concessit ut ab omnibus de clero Suessionen. diœceseos tam sæculari quam regulari, diœcesano Kalendario utentibus, præfatum Kalendarium et Proprium in recitatione Horarum Canonicarum et sacrosancti Missæ Sacrificii celebratione in posterum unice adhibeatur : injuncto tamen onere ut statim ac hæc omnia typis impressa fuerint, duplex eorumdem authenticum exemplar ad ipsam Sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 26 junii 1884.

D. Cardinalis BARTOLINIUS S. R. C. PRÆFECTUS.
LAURENTIUS SALVATI S. R. C. *Secretarius*.

BOURLOTON. — Imprimeries réunies, B.

6 20

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS

DD. ODONIS THIBAUDIER

EPISCOPI SUESSIONENSIS ET LAUDUNENSIS,
REMENSIS PROVINCIÆ DECANI ET PRIMI SUFFRAGANEI,
PRÆLATI DOMESTICI,
ASSISTENTIS SOLIO PONTIFICIO ET COMITIS ROMANI,
AUCTORITATE,
NECNON VENERABILIS EJUSDEM ECCLESIÆ CAPITULI
CONSENSU ET OPERA,

CUM S. SEDIS APOSTOLICÆ APPROBATIONE

EDITA

PARS AUTUMNALIS



PARISIIS

APUD ROGER ET CHERNOVIZ, EDITORES
7, VIA DES GRANDS-AUGUSTINS, 7

1885

LICENTIA

ET APPROBATIO ORDINARII

ODO THIBAUDIER

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

EPISCOPUS SUESSIONENSIS ET LAUDUNENSIS

PROVINCIÆ REMENSIS DECANUS ET PRIMUS SUFFRAGANEUS,

PRÆLATUS DOMESTICUS, ASSISTENS SOLIO PONTIFICALI, COMES ROMANUS

Commendatissimis Nobis viris Roger et Chernoviz, bibliopolis parisiensibus, licentiam dedimus typis mandandi Kalendarium perpetuum et Officia propria Sanctorum diœcesi nostræ a SS. Domino Nostro Leone Papa XIII specialiter concessa die 26ª junii 1884.

Cumque Nobis constet per presbyteros a Nobis deputatos Kalendarium istud et Officia propria jam excusa, diligenti collatione facta, cum originali concordare, approbavimus illaque evulgandi licentiam dedimus.

Datum Suessione, sub signo sigilloque Nostris ac Secretarii curiæ Episcopalis Nostræ subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo quinto, die vero mensis Februarii undecima.



† ODO

Episc. Suessionen. et Laudunen.

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi D.D. Episcopi Suessionensis et Laudunensis

LEDOUBLE

Can. hon. secretarius.

KALENDARIUM PERPETUUM

ET PROPRIUM

OFFICIORUM ET MISSARUM

IN USUM

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

A SACRA RITUUM CONGREGATIONE
APPROBATUM ANNO 1884

PARS AUTUMNALIS

AUGUSTUS

29 Decollatio S. Joannis Bapt., *dupl. maj. Comm.* S. Sabinæ M.
30 Rosæ Limanæ Virg., *dupl. Comm.* SS. Felicis et Adaucti Mart.
31 Raymundi Nonnati Conf., *duplex.*

SEPTEMBER

1 Sixti et Sinicii Primor. Ep. Suession., *dupl. I. Cl.*
2 Stephani Regis Hung., *semid.*
3
4 Genebaldi Ep. Laud. Conf., *duplex.*
5 Ansarici Ep. Suess. Conf., *duplex.*
6 Canoaldi Ep. Laud. Conf., *duplex.*
7 Laurentii Justiniani Episc. Conf. (dies aff. è 5 huj.) *semid. Comm.* S. Grimoniæ Virg. M.
8 Nativitas B. M. V. *dupl. II Cl. cum Oct. Comm.* S. Adriani Mart.
9 De Octavâ, *semid. Comm.* S. Gorgonii Mart.
10 Nicolai de Tolentino, Conf., *dupl. Comm.* Oct.
11 De Octavâ, *semid.*
12 De Octavâ, *semid.*
13 De Octavâ, *semid.*
14 Exaltatio S. Crucis, *dupl. maj. Comm.* Oct.
15 Octava Nativitatis B. M. V. *dupl. Comm.* S. Nicomedis M.
16 Cornelii Papæ et Cypriani Episc. Mart., *semid. Comm.* SS. Euphemiæ et Soc. Mm.
17 Impressio Stigmatum S. Francisci, *duplex.*
18 Josephi à Cupertino Conf., *duplex.*
19 Januarii Ep. et Soc. Mm., *duplex.*
20 Eustachii et Soc. Mm., *dupl. Comm.* Vigil.

21 Mathæi Apost. et Evangel., *dupl. II Cl.*
22 Thomæ à Villanovâ Episc. Conf., *dupl. Comm.* SS. Mauritii et Soc. Mm.
23 Lini Papæ et Mart. *semid. Comm.* S. Theclæ Vm.
24 B. M. V. de Mercede, *dupl. maj. Comm.* S. Salabergæ Vid.
25 Principii Episc. Suess. et Conf., *duplex.*
26 Cypriani et Justinæ Mm., *simplex.*
27 Cosmæ et Damiani Mm., *semid.*
28 Wenceslai Ducis Mart., *semid.*
29 Dedicatio S. Michaelis Archang., *dupl. II Cl.*
30 Hieronymi Presb. Conf. et Doct., *duplex.*

FESTA MOBILIA

Dom. infrà Octav. Nativ. SS. Nominis B. M. V. *dupl. maj. Comm.* Dom.

Dom. III septembris. Septem Dolorum B. M. V. *dupl. maj. Comm.* Dom.

OCTOBER

1 Remigii Episc. Rem. et Conf., *dupl. II Cl.*
2 Angelorum Custodum, *dupl. maj.*
3 Leodegarii Episc. Mart., *duplex.*
4 Francisci Assisin. Conf., *dupl. maj.*
5 Divitiani Episcopi Suess. et Conf., *dupl. Comm.* SS. Placidi et Soc. Mm.
6 Brunonis Conf., *duplex.*
7 Marci Pap. Conf., *simpl. Comm.* SS. Sergii et Soc. Martyrum.
8 Birgittæ Viduæ, *dupl. Comm.* S. Benedictæ Virg. et M.
9 Dionysii, Rustici et Eleutherii Martyrum, *semid. Comm.* S. Vulgisi Conf. non Pont.
10 Francisci de Borgia Conf., *semid. Comm.* S. Evodi Conf. Pontif.
11
12
13 Eduardi Regis Conf., *semid.*
14 Callisti Papæ et Mart., *duplex.*
15 Teresiæ Virg., *duplex.*
16 Anstrudis Virg., *simplex.*
17 Hedwigis Viduæ, *semid. Comm.* S. Balduini Mart.
18 Lucæ Evangelistæ, *dupl. II Cl.*
19 Petri de Alcantara Conf., *dupl.*
20 Joannis Cantii Conf., *dupl. Comm.* S. Agricolæ Conf.
21 Ciliniæ Vid., *dupl. Comm.* S. Hilarionis Abb. et SS. Ursulæ et Socior. Virg. Mart.
22 Lupi Episc. Suess. Conf., *dupl.*
23 SS. Redemptoris, *dupl. maj. Comm.* S. Frontonis Ep. Conf.
24 Raphaelis Archangeli, *dupl. maj. Comm.* Vigil.
25 Crispini et Crispiniani Mart., *dupl. I Cl. cum. Octavâ.*
26 De Octavâ, *semid. dupl. Comm.* S. Evaristi Pap. et Mart.

27 De Octavâ, *semid. Comm.* Vigiliæ.
28 Simonis et Judæ Apostolorum, *dupl. II Cl.*
29 De Octavâ, *semidupl.*
30 De Octavâ, *semidupl.*
31 Quintini Mart., *dupl. II Cl. Comm.* Vig.

FESTA MOBILIA

Dom. I octobris. Sacratiss. Rosarii B. M. V. *dupl. maj. Comm.* Dom.

Dom. II octobris. Maternitatis B. M. V. *dupl. maj. Comm.* Dom.

Dom. III octobris. Puritatis B. M. V. *dupl. maj. Comm.* Dom.

Dom. IV octobris. Patrocinii B. M. V. *dup. maj. Comm* Dom.

NOVEMBER

1 Festum omnium Sanctorum, *dupl. I Cl. cum* Oct. *Comm.* Oct. SS. Crispini et Crispiniani
2 Comm. omnium Fidelium Defunctorum, *dupl.* et de Octava omnium Sanctorum, *semid.*
3 De Octavâ, *semid.*
4 Caroli Episc. et Conf., *dupl. Comm.* Octavæ et SS. Vitalis, etc., Mart.
5 De Octavâ, *semid.*
6 De Octavâ, *semid.*
7 De Octavâ, *semid. Comm.* S. Godefridi Ep. et Conf.
8 Octava omnium Sanctorum, *dupl. Comm.* SS. Quatuor Coronatorum, Mart.
9 Dedicatio Basilicæ Salvatoris, *dupl. Comm.* S. Theodori, Mart.
10 Andreæ Avellini Conf., *dupl. Comm.* SS. Tryphonis, etc., Mart.
11 Martini Episc. et Conf., *dupl. Comm.* S. Mennæ, Mart.
12 Martini Papæ et Mart., *semid.*
13 S. Stanislai Kostkæ Conf., *duplex.*
14 Josaphat Episc. Mart., *duplex.*
15 Gertrudis Virginis, *duplex.*
16 Didaci Conf., *semid.*, (dies aff. è 13 huj.)
17 Gregorii Thaumaturgi Episc. et Conf., *semid.*
18 Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli, *dupl. Comm.* S. Momboli Conf.
19 Elisabeth, Viduæ, *dupl. Comm.* S. Pontiani, Papæ et Mart.
20 Felicis Valesii Conf., *duplex. Comm.* S. Autboti Conf.
21 Præsentatio Beatæ Mariæ Virg., *dupl. maj.*
22 Cæciliæ Virg. et Mart., *duplex.*
23 Clementis Papæ et Mart., *dupl. Comm.* S. Felicitatis, Mart.
24 Joannis à Cruce Conf., *dupl. Comm.* S. Chrysogoni, Mart.
25 Catharinæ Virg. et Mart., *duplex.*
26 Petri Alexandrini Episc. et Mart., *simplex.*
27
28
29 Vigilia. *Comm.* S. Saturnini, Mart.
30 Andreæ Apostoli, *dupl. II Cl.*

FESTA MOBILIA

Dom. infrà Oct. omnium Sanctorum, B. M. V. à suffragiis, *dupl. maj. Comm.* Dom. et Oct.

Dom. post Octav. omn. Sanctorum, Anniversarium Dedicationis ecclesiarum diœceseos Suessionensis, *dupl. I Cl. cum Octavâ. Comm.* Dom.

Dom. subsequenti. Octava Dedicationis, *dupl. Comm.* Dom.

DECEMBER

1 Eligii Episc. Noviom. Conf., *dupl. maj.*
2 Bibianæ Virg. Mart., *semid.*
3 Francisci Xaverii Conf., *duplex.*
4 Petri Chrysologi Ep. Conf., et doct., *dupl. Comm.* S. Barbaræ Virg. Mart.

DE SANCTIS PATRONIS

DIŒCESEOS,

IN SUFFRAGIIS.

In Laudibus. Ant. Intercéssio, Dómine, nobis sanctórum Gervásii et Protásii mártyrum tuórum succúrrat, atque nos ubíque prótegat et deféndat, ut ambórum précibus ab ómnibus malis liberémur.

In Vesperis. Ant. Mártyres gloriósi, Gervási et Protási, imploráte pro nobis ut voluntátem Dómini in ómnibus adimplére valeámus; et dum vestram commemoratiónem méntibus devótis celebrámus, vestris quoque précibus, grátiam Dómini ac vitam ætérnam adipísci mereámur.

℣ Justórum ánimæ in manu Dei sunt.

℟ Et non tanget illos torméntum malítiæ.

ORATIO

Deus, qui nos sanctórum Mártyrum tuórum Gervásii et Protásii commemoratióne lætificas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

PARS AUTUMNALIS

FESTA MOBILIA

DOMINICA II OCTOBRIS

MATERNITATIS B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis.

DOMINICA III OCTOBRIS

PURITATIS B. M. V.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis.

DOMINICA IV OCTOBRIS

PATROCINII B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis; scilicet, omnia de Communi Festorum B. M. V. per annum, paucis exceptis : *In antiph.* Sancta Maria *ad cantic.* Magnificat, *et in septimo responsorio Matutini, dicitur* Quicúmque célebrant tuum sanctum patrocíninm.

Ex Indulto Apostolico in perpetuum concesso, festum Patrocinii, quando impeditur die Dominica IV octobris, in primam diem liberam transfertur.

DOMINICA INFR. OCTAV.

OMNIUM SANCTORUM.

IN FESTO

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

A SUFFRAGIIS

Duplex majus.

Omnia ut in festis B. M.

Virginis per annum, præter sequentia.

IN UTRISQUE VESPERIS

Ad Magnif. Ant. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri, quia propter angústias et tribulatiónem géneris tui, subveni̇́sti ruínæ ante conspéctum Dei nostri.

ORATIO

Concede, quæsumus, omnípotens Deus, ut Beátæ Maríæ semper Vírginis suffrágiis intercedéntibus, et fidélium ánimæ indulgéntiam, et nos grátiæ tuæ dona ac ætérnæ vitæ præmia consequámur; per Dóminum nostrum.

Et fit comm. Domin. et Octavæ.

IN II NOCTURNO

De Sermóne Sancti Bernárdi Abbátis.

LECTIO IV

In Assumptione Beatæ Mariæ Virginis.

Hæc est enim, quæ totíus mundi reparatiónem obtínuit, salútem ómnium impetrávit. Constat enim pro univérso génere humáno fuisse sollícitam, cui dictum est : Ne tímeas, María, invenísti grátiam útique quam quærébas. Quis ergo misericórdiæ tuæ, o Benedícta, longitúdinem et latitúdinem, sublimitátem et profunditátem queat investigáre. Nam longitúdo ejus usque in diem novíssimum invocántibus eam súbvenit univérsis. Latitúdo ejus replet orbem terrárum, ut tua quoque misericórdia plena sit omnis terra. Sic et sublímitas ejus civitátis supérnæ invénit restauratiónem, et profúndum ejus sedéntibus in ténebris et in umbra mortis obtínuit redemptiónem. Per te enim cœlum replétum, inférnus evacuátus est, instaurátæ ruínæ cœléstis Jerúsalem, expectántibus míseris vita pérdita data. Sic potentíssima et piíssima cáritas et afféctu compatiéndi, et subveniéndi abúndat efféctu, æque lócuples in utróque.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta* Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnámomum et bálsamum aromátizans. Dedi suavitátem.

LECTIO V

Ad hunc ígitur fontem sitibúnda próperat ánima nostra : ad hunc misericórdiæ cúmulum tota sollicitúdine miséria nostra recúrrat. Ecce jam quibus potúimus votis ascendén-

tem te ad Fílium dedúximus, et prosecúti sumus saltem a longe, Virgo benedícta. Sit deinceps pietátis tuæ ipsam, quam invenísti apud Deum grátiam, notam fácere mundo; reis véniam, medélam ægris, pusillis corde robur, afflíctis consolatiónem, periclitántibus adjutórium et liberatiónem sanctis tuis précibus obtinéndo. In hac quoque die solemnitátis et lætítiæ dulcíssimum Maríæ nomen cum laude invocántibus sérvulis per te, Regína clemens, grátiæ suæ múnera largiátur Jesus Christus, Fílius tuus, Dóminus noster, qui est super ómnia Deus benedíctus in sécula.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tanquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et Beátam dixérunt, et Regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt.

De Sermóne sancti Bernárdi Abbátis.

LECTIO VI

In Domin. infra Octavam Assumptionis, Apocalypsis in verba.

Quod si plena magis ómnia pietátis et grátiæ plena mansuetúdinis et misericórdiæ, quæ ad eam pértinent invéneris; age grátias ei qui talem tibi mediatrícem benigníssima miseratióne provídit, in qua nihil possit esse suspéctum. Dénique ómnibus ómnia facta est, sapiéntibus et insipiéntibus copiosíssima caritáte debitrícem se fecit. Omnibus misericórdiæ sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi; captívus redemptiónem, æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam, dénique tota Trínitas glóriam, Fílii persóna carnis humánæ substántiam, ut non sit qui se abscóndat a calóre ejus.

℟. Ornátam,

IN LAUDIBUS

Ad Bened. Ant. Benedícta tu fília a Dómino, qui hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Oratio ut in I Vesp.

Et fit commem. Domin. et Octavæ.

IN II VESPERIS

Omnia ut in primis et fit commem. Domin. et Octavæ.

DOMINICA POST OCTAVAM

OMNIUM SANCTORUM

ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS OMNIUM ECCLESIARUM DIŒCESEOS

Duplex I Classis cum Octavâ.

Omnia de Communi, in Breviario.

DOMINICA SUBSEQUENTI

OCTAVA ANNIVERS. DEDICAT.

Duplex.

Omnia de Communi, in Breviario.

IN FESTIS

SANCTORUM EPISCOPORUM CONFESSORUM

SUESSIONENSIUM ET LAUDUNENSIUM

Quæ suo loco inter Festa propria reperiuntur.

ORATIO

Omnipotens Deus, qui beátum N... Antístitem nostrum pópulo tuo præésse et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

HYMNUS

Qui dicitur in utrisque Vesperis et Laudibus.

Christe, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis festum veneráta lucem,
Débitis suplex tua templa votis,
Turba frequéntat,

Ille non vano ténuit treméndam
Spíritu sedem, próprio nec ausu;
Sed sacrum jussus, Dómino vocánte,
Sumpsit honórem.

Strenuum bello púgilem supérni
Chrísmatis pleno tuus unxit intus
Spíritus cornu, posuítque sanctam
Páscere gentem,

Fit gregis pastor, pater atque forma,
Lætus impéndit sua seque, servus
Omnium, curis gravis, omnibúsque
Omnia factus.

Pro reis orat, réficit geméntes,
Erigit lapsos, tenebrásque pellit;

Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.

Fac ut illíus précibus juvémur
Christe; fac Patrem paritérque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE I

SS. SIXTI ET SINICII PRIMORUM EPISCOPORUM SUESSIONNENSIUM.

Duplex I Classis.

Omnia de Comm. Conf. Pont. exceptis quæ seq.

AD I VESPERAS

Antiphonæ et Capitulum de Laudibus. Psalmi de Communi.

HYMNUS

Christe, jam longum stériles in agros
Misit optátum tua dextra semen;
Fértilis per te grávidis abúndat
Campus arístis.

Quis tamen fruges Dómino parávit!
Hórreis messor pátriis recóndet?
Quæ manus mixtas ségeti revéllet
Próvida spinas?

Vobis hæc nostri pia cura cessit,
Sixte, dux verbi, cómiti nec impar,
Sínici: tales inaráta poscit
Terra colónos.

Charitas junxit sócios viárum;
Díssitos terris regit unus ardor;
Una vox unum váriis Magístrum
Pérsonat oris.

Jamque quos ritus véteris tenáces
Háctenus lusit male sanus error,
Eluunt, flecti dóciles, amáro
Crímina fletu.

Languet, heu! nostris quoque seminátum
Córdibus verbum; Bone Cultor, imbres
Mitte fecúndos, Deus efficácem
Mitte calórem.

Conditor frugum, Dominúsque messis,
Christus ætérno celebrétur hymno;
Et bonum nostro memor usque servet
Pectore semen.
Amen.

℣. Pópulus qui creábitur laudábit Dóminum.

℟. Quia prospéxit de excélso sancto suo.

Ad. Magnif. Ant. Ecce super montes pedes evangelizántis et annuntiántis pacem : célebra, Juda, festivitátes tuas, et redde vota tua, quia non adjíciet ultra ut pertránseat in te Bélial; univérsus intériit.

ORATIO

Deus, qui nobis per ministérium Beatórum Pontíficum Sixti et Sinícii veritátem Evangélii patefíeri voluísti : concéde, quæsumus; ut quod ab illórum ore didícimus, grátia tua adjúti operári valeámus. Per Dóminum.

Et non fit comm. præcedentis.

AD MATUTINUM

INVITATORIUM

Deum qui de ténebris nos vocávit in admirábile lumen suum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte.

HYMNUS

Vos, o Christíadæ, festa vocat dies :
Per quos sancta fides hic stetit, et sacram
Hic primum státuit Rellígio crucem,
Lætis pángite cántibus

Non hos terrúerant fúnera mártyrum;
Mittit Roma; volant fœdere spléndido
Juráti míseram, sánguine vel suo,
Christo quærere Gálliam

Jam Remos súbeunt : urbs male pértinax
Obláti réfugit múnera lúminis :
Quidquid tentat amor, pérfida súbruit
Cæcis impíetas dolis.

At secréta, Deus, quis tua détegat?
Vix nostris sacra vox insónuit plagis,
Late fana ruunt; Sede nova micat,
Sixto Præsule, cívitas.

Ergo Christiánis spes profúgis redit :
Silvárum látebras, antráque déserunt
Tristes rellíquiæ, quas plácidis bonus
Pastor pórtubus éxcipit.

A quo fonte fluunt semínibus sacris
Increménta, Deo máxima laus Patri;
Par sit, Nate, tibi; par tibi qui moves
Nutu péctora, Spíritus.
Amen.

IN I NOCTURNO

Ant. Dabo vobis Pastóres juxta cor meum et

pascent vos sciéntia et doctrína.

Ant. Sacerdótes Dómini vocabímini, minístri Dei nostri.

Ant. Erat manus Dómini cum eis, multúsque númerus credéntium convérsus est ad Dóminum.

℣. Pópulus qui creábitur laudábit Dóminum.

℟. Quia prospéxit de excélso sancto suo.

De Epístola Beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

LECTIO I, *Cap.* 10 *v.* 9.

Si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, et in corde tuo credíderis quod Deus illum suscitávit a mórtuis, salvus eris. Corde enim créditur ad justítiam; ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra : Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi et Græci; nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℟. Exúrge in gentes, nunc ego mitto te aperíre óculos eórum. * Ut convertántur a ténebris ad lucem et de potestáte Sátanæ ad Deum. ℣. Scient quia ego sum Dóminus Deus eórum; dabo eis cor et intélligent, aures et áudient. Ut.

LECTIO II

Quomodo ergo invocábunt in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt nisi mittántur? Sicut scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu; audítus autem per verbum Christi.

℟. Dixit Dóminus illi : Nolíte timére, sed lóquere et ne táceas propter quod ego sum tecum et nemo apponétur tibi ut nóceat te : * Quóniam pópulus est mihi multus in hac civitáte. ℣. Verbum meum non revertétur ad me vácuum, sed fáciet quæcúmque vólui, et prosperábitur. Quóniam.

LECTIO III

Sed dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico : Numquid Israël non cognóvit? Primus Móyses dicit : Ego ad æmulatiónem

vos addúcam in non gentem; in gentem insipiéntem in iram vos mittam. Isaías autem audet, et dicit : Invéntus sum a non quæréntibus me; palam appárui iis qui me non interrogábant. Ad Israël autem dicit: Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem et contradicéntem.

℟. Incitabátur spíritus ejus in ipso, videns idololátriæ déditam civitátem; * Disputábat ígitur in foro per omnes dies ad eos qui áderant. ℣. Surréxit quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Disputábat. Glória. Disputábat.

IN II NOCTURNO

Ant. Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte et in Spíritu sancto, et in plenitúdine nostra.

Ant. Scitis introítum nostrum ad vos quia non inánis fuit; mémores enim estis labóris nostri.

Ant. Frater et cooperátor et commílito meus, vester autem Apóstolus, omnes vos desiderábat.

℣. Deus Israël ipse dabit virtútem.

℟. Et fortitúdinem plebi suæ.

LECTIO IV

PERACTIS ad Evangélii prædicatiónem Apostólorum pro Christo legatiónibus, cum felíci succéssu christiána relígio magnum in dies susciperet incrémentum, invícti prodiérunt ex urbe Roma fídei propugnátores atque sanctíssimi confessóres qui, per omnes terrárum províncias verbum salútis ætérnæ alácriter prædicárunt. Inter quos invénti sunt ínclyti viri Sixtus et Sinícius quos Póntifex Románus, ut eléctos, Christi mílites, in lege divína instrúctos, cœlésti providéntia cum Mémmio et áliis in Gálliam destinávit.

℟. Pópulus qui ambulábat in ténebris vidit lucem magnam; * habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. ℣. Hic suádens avértit multam turbam dicens : Quóniam non sunt dii qui mánibus fiunt. Habitántibus.

LECTIO V

HI fervénti stúdio hunc labórem pro Christi nómine subíre cupiéntes, per longi itíneris divérticula Christi fidem promulgántes, Remos tandem divína ope appulérunt. Sed postquam ibi prædicatióne Evangélii parum se profícere vidíssent propter pertinácem idolórum cultum, Suessiónem profécti sunt; ubi permúltis ad veram

Dei fidem convérsís sedem suam fixérunt. Suessionénsi Ecclésiæ prímum præfuit Sixtus, sed paulo post Sinício deláta est episcopális auctóritas; Sixtus enim Remos revocátus est, et paráto ad celebránda sacra loco, lectísque minístris, novæ páriter ecclésiæ fecit inítium. Dénique post annos decem in apostolátus ópere consúmptos, de mortis die a Deo præmónitus, in pace requiévit caléndis Septémbris, et a Sinício, cui móriens íterum curam Reménsis Ecclésiæ commendávit, in Ecclésia a se constrúcta sepúltus est.

℟. Cum evangelisássent civitáti illi et docuíssent multos, revérsi sunt. * Confirmántes ánimos discipulórum exhortantésque ut permanérent in fide. ℣. Circuíbant cunctas urbes atque erudiébant pópulum. Confirmántes.

LECTIO VI

Antequam vero Suessióne discéderet Sinícius, suum in locum Divitiánum ordinávit. Postquam uno anno pópulum Reménsem secúndum Deum pávit, uníus ejusdémque templi ac túmuli cum Sixto decessóre méruit consórtium. Hinc sanctæ utriúsque Epíscopi relíquiæ nono sæculo in Ecclésiam beáti Remígii translátæ sunt, ubi post altáre sancti Petri repósitæ, ad séculum usque décimum séptimum magna religióne frequentátæ sunt. Dénique, ad annum millésimum sexcentésimum vigésimum nonum, a Simóne Epíscopo Suessionénsi partim íbidem in capsam pretiosiórem inclúsæ sunt, partim Suessiónem allátæ, in majóri Ecclésia, honorífice asservátæ sunt usque ad finem séculi décimi octávi.

℟. Magnificabátur nomen Dómini Jesu : * Ita fórtiter crescébat verbum Dei et confirmabátur. ℣. Deseréntes cæremónias patrum suórum quæ in multitúdine deórum erant, unum Deum cœli coluérunt. Ita. Glória. Ita.

IN III NOCTURNO

Ant. Nequándo dicant gentes : ubi est Deus eórum? Deus autem noster est in cœlo.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum; facti sumus lætántes.

Ant. Idem Dóminus ómnium; dives in ómnibus qui ínvocant illum.

℣. Non discédimus a te;
℟. Et nomen tuum invocábimus.

Lectio sancti Evangelii secúndum Lucam.

LECTIO VII, *Cap.* 24, 44.

In illo témpore : Dixit Jesus ad discípulos suos : Hæc sunt verba quæ locútus sum ad vos, cum adhuc essem vobíscum, quóniam necésse est impléri ómnia quæ scripta sunt in lege Móysi, et Prophétis, et Psalmis de me. Et réliqua.

Homília Sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 18 *de Civit. Dei. Cap.* 49-50.

Christus semináto, quantum per ejus oportébat præséntiam corporálem, sancto Evangélio, passus est, mórtuus est, et resurréxit : sua passióne osténdens quid sustinére pro veritáte; resurrectióne, quid speráre in æternitáte debeámus. Conversátus est in terra quadragínta dies cum discípulis suis; atque ipsis vidéntibus, ascéndit in cœlum, et post dies decem misit promíssum spíritum sanctum : cujus veniéntis in eos qui tunc credíderant, tunc signum erat máximum et máxime necessárium, ut unusquísque eórum linguis ómnium géntium loquerétur; ita signíficans unitátem Cathólicæ Ecclésiæ per omnes gentes futúram, ac sic linguis ómnibus locutúram.

℟. Debémus grátias ágere Deo semper pro vobis, fratres, quod elégerit vos Deus primítias in fide veritátis, in qua * Vocávit vos per evangélium nostrum in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi. ℣. Vobis junctus est Dóminus et elégit vos, quia diléxit vos. Vocávit.

LECTIO VIII

Deinde, secúndum illam prophétiam: Ex Sion lex pródiet, et verbum Dómini ex Jerúsalem; et secúndum ipsíus Dómini Christi prædícta, primum se ab Jerúsalem diffúdit Ecclésia : et cum in Judæa; et Samaría plúrimi credidíssent, et in álias gentes itum est, annuntiántibus eis Evangélium, quos ipse sicut luminária et aptáverat verbo, et accénderat Spíritu Sancto.

℟. Ut Christi apóstoli * Cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis. ℣, Fortis est ut mors diléctio. Cúpide. Glória. Cúpide.

LECTIO IX

Denique per ipsos non solum qui eum et ante passiónem et post resurrectiónem víderant et audíerant, verum étiam post óbitum eórum, per pósteros eórum prædicátum est toto

orbe Evangélium, contestánte Deo signis et osténtis et váriis virtutibus, et Spíritus Sancti munéribus; ut pópuli géntium ipsíque reges, quorum légibus vastabátur Ecclésia, ei nómini salúbriter subderéntur, quod de terra crudéliter auférre conáti sunt; et falsos Deos incíperent pérsequi quorum causa cultóres Dei veri fúerant ántea persecúti.

Te Deum.

AD LAUDES

Ant. Ecce ego ad gentem quæ non invocábat nomen meum expándi manus meas.

Ant. Repléta est terra ídolis; opus mánuum suárum adoravérunt; exaltábitur autem Dóminus solus.

Ant. Convérsi estis ad Deum a simulácris; servíte Deo vivo et vero.

Ant. Spem quæ repósita est vobis in cœlis, audístis in verbo Evangélii quod pervénit ad vos.

Ant. Non fecit táliter omni natióni et judícia sua non manifestávit eis.

CAPITULUM. *Is.* 66, 19.

MITTAM ex eis qui salváti fúerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam tendéntes sagíttam : in Itáliam et Græciam, ad ínsulas longe, ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam, et annuntiábunt glóriam meam géntibus, et addúcent omnes fratres vestros.

HYMNUS

LATE fama novi Pontíficis volat :
Pastórem cúpiunt, quem modo spréverant,
Remi : tum vácuæ Sinícius comes
Pondus súscipit ínfulæ.

ERGO jam, váriis unánimes locis,
Pascunt ambo gregem : scílicet æmulus
Ambos urget amor, se simul ómnibus,
Se totos dare síngulis.

HÆC inter, médio venit ab æthere
Vox, o Sixte tibi núntia fúneris :
Malles mártyrium : pro grege, pro Deo
Malles, si líceat, mori.

QUIS sensus mémoret péctoris íntimos!
Mortem spe, lácrymis et précibus vocat :
Mortem non réputat, qua datur éxuli
Veram cérnere pátriam.

QUOS vivus dócuit, sic móriens docet :
Flevit Rellígio, turbáque páuperum

Flevit, quos tóties veste, cibis, ope,
Christi membra, leváverat.

Remos hinc ráperis, tu quoque, Sínici;
Rursum desérimur : vestra manet fides
Altis ínsita méntibus.

A quo fonte fluunt semínibus sacris
Increménta, Deo máxima laus Patri :
Par sit, Nate, tibi, qui moves
Nutu péctora Spíritus.
Amen.

℣. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus.

℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

Ad Bened. Ant. In generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus : qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum.

ORATIO

Deus qui nobis per ministérium beatórum Pontíficum Sixti et Sinícii, veritátem Evangélii patefíeri voluísti : concéde, quæsumus; ut quod ab illórum ore didícimus, grátia tua adjúti operári veleámus. Per.

Non fit comm. S. Ægidii Abb., nec SS. Duodecim Fratrum Martyrum (in Breviario).

AD TERTIAM

Ant. Repléta est, *ut in Laud.*

Capitulum *de Laudibus.*

℟. *br.* Pópulus qui creábitur * laudábit Dóminum. Pópulus. ℣. Quia prospéxit de excélso sancto suo. Laudábit, Glória. Pópulus.

℟. Deus Israël ipse dabit virtútem.

℣. Et fortitúdinem plebi suæ.

AD SEXTAM

Ant. Convérsi estis, *de Laud.*

Capitulum. II *Thess.* II, 13, 14.

Vocavit vos Deus per Evangélium nostrum in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi. Itaque, fratres, state et tenéte traditiónes quas didicístis.

℟. *br.* Deus Isráël * Ipse dabit virtútem. Deus. ℣. Et fortitúdinem plebi suæ. Ipse. Glória. Deus.

℣. Non discédimus a te, vivificábis nos.

℟. Et nomen tuum invocábimus.

AD NONAM

Ant. Non fecit táliter, *de Laud.*

Capitulum. *Eph.* II, 21, 22.

In Christo Jesu omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dó-

mino, in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu.

℟. *br.* Non discédimus a te. * Vivificábis nos. Non discédimus. ℣. Et nomen tuum invocábimus. * Vivificábis. Glória. Non discédimus.

℣. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus.

℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

AD II VESPERAS

Antiph. de Laud. Psalmi de Communi.

CAPITULUM *de Laudibus.*

Hymnus : Christe *e I Vesp.*

℣. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus.

℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

Ad Magnif. Ant. Nomen eórum permáneat in ætérnum, pérmanens ad fílios illórum sanctórum virórum glória.

Oratio de Laudibus. Et fit comm. sequentis (in Breviario).

DIE IV

S. GENEBALDI EPISC. LAUD. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Hymnus : Christe Pastórum, *ut in Capite huj. Proprii.*

ORATIO

Omnipotens Deus qui Beátum Genebáldum Antístitem nostrum pópulo tuo præésse et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. ocurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Genebaldus, nóbili génere ortus, sacrísque ac profánis lítteris erudítus, cum neptem sancti Remígii duxísset uxórem, assentiénte sponsa, continéntiam ampléxus, aliénis a séculi négotiis Deo militáre propósuit. Clodovæus Francórum rex, et recens Christo addictus, multa prædia hisce tempóribus Remígio detúlerat, quibus in Província Reménsi dotes Ecclésiis assignaréntur. Ex istis plura Póntifex attríbuit Ecclésiæ civitátis Laudunénsis, in qua fúerat enutrítus, ibíque sedem instítuit Episcopálem in qua sanctitáte præpolléntem jussit sedére Genebáldum.

℟. Invéni David servum

meum, óleo sancto meo unxi eum :* Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

Genebaldus vero, nímium de sua virtúte confídens incáute ab uxóre sua quam pro soróre jamprídem habébat, quasi pro instructióne salutári, frequéntius visitári se permísit. Unde miserabíliter lapsus est. Mox autem in se revérsus, accérsito Remígio, cum multo ejulátu crimen conféssus est. Benígne ab eo consólatus et confortátus pœniténtiam suscépit. Tunc constrúcta mansiúncula, cum léctulo in modum sepúlchri et oratório, in ea Genebáldum reclúdit Remígius, et per septem annos Ecclésiam Laudunénsem simul ac própriam gubernávit, ita ut unam diem domínicam Remis, álteram Laudúni celebráret.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea :* Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

Septimo pœniténtiæ anno, in vigília Cœnæ Dómini, Genebáldus in oratióne pernóctans, doléns que quod is qui in illa die pœniténtes Deo reconciliáre debuísset, ipse pro suis crimínibus ne inter pœniténtes quidem in Ecclésia consístere merebátur, divínitus admonétur sibi dimíssum esse peccátum. At vero e cella égredi nóluit, donec veníret ille a quo inclúsus fúerat. Tunc vero Remígius quasi Spíritu impúlsus Laudúnum ádvenit, et pœniténtis cellám ádiens, illum in ea jacéntem réperit. Quem statim cum gáudio et lácrymis levávit, Dómini misericórdiam laudans, eúmque sedi et offício Episcopáli restitúere non dubitávit. Genebáldus exínde in sanctitáte et justítia omnes vitæ suæ dies perégit, contínuo annúntians quanta sibi fecísset Dóminus.

℟. Iste est,

IN III NOCTURNO

Lect. de Homil. in Evang. Vigiláte, *de Communi.*

In Laudibus hymnus Christe Pastórum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti : Hymnus Christe Pastorum ; *et fit comm. S. Genebaldi cum oratione* Da, quæsumus, *de Communi.*

DIE V

S. ANSARICI. EPISC. SUESS. ET CONF.

Duplex.

(*Transf. S. Laurentius Justinianus in 7 hujus.*)

Omnia de Communi Conf. Ponf. præter sequentia :

ORATIO

OMNIPOTENS Deus, qui beátum Ansáricum Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

ANSARICUS, Espaniáco in pago Suessionénsi, ingénuis ac piis paréntibus natus, jam ab ipsis prope incunábulis quæcúmque laudabília sunt, cúpide appetébat, ac divíni potíssimum cultus incredíbili stúdio flagráre videbátur. Quámobrem Clero adscríptus est, cujus quidem vários gradus ita percúrrit, ut in síngulis claríssima sanctitátis, quæ in eo crescébat in dies, specímina præbéret. Qua enim apud Deum grátia valéret, populáres ejus váriis miráculis sæpe sæpius expérti sunt. Post óbitum Landúlfi Epíscopi, eo ferme témpore quo regnum Austrasiórum Dagobérto junióri a patre fuit transmíssum, uno ómnium consénsu, prætérquam suo, Suessionénsis Ecclésiæ Póntifex creátus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

LECTIO V

NON multo post, in civitáte Reménsi, indíctæ a Sonnátio Archipræsule synodo præsens intérfuit; et canónibus vigínti quinque, quibus in ea multa sapiénter sancíta sunt, sua manu subscrípsit. Hæc vero institúta ut in Ecclésia sua accurátius servaréntur, Clericórum scholam in domo sua eréxit, e qua egrégii discípuli complúres póstea prodiérunt. Sic enim ille primum fratres canónicam vitam agéntes domi habébat ad manum, quos subínde in Ecclésia sancti

Stéphani, quæ póstea in urbe ab illo ædificáta est, Deo famulatúros collocávit. Eódem stúdio cæteras urbis Basílicas, aut situ defor-mátas, aut vetustáte colla-béntes, vel pristínum de-córem restítuit, vel a ruína vindicávit.

℟. Pósui adjutórium su-per poténtem et exaltávi eléctum de plebe mea : *Manus enim mea auxiliá-bitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

Anno Clodovæi regis se-cúndi duodécimo, oc-távo Idus Mártii, córpora sanctórum Crispíni et Cris-piniáni, quibus cultu sin-gulári devótus erat, ex eo loco, ubi longo post ipsó-rum mártyrium témpore jacúerant, solémni apparátu in Basílicam tránstulit eó-rum nómini consecrátam, quam ipse instauráverat a fundaméntis ; sacellúmque illórum, seu Memóriam, uti olim vocábant, Elígii ópera usus, insígni monuménto decorávit. Tum forte mísera ínguinum lues circum ur-bem Suessionénsem, pó-pulum late devastábat : porro per fidem suam non minus quam per Márty-rum eorúmdem opem, vir sanctíssimus effécit ut pe-stis illa divínitus reprime-rétur. Vixit ad summam se-nectútem ; demúmque cu-mulátus virtútibus, anno Episcopátus sui ferme tri-gésimo, Nonis Septémbris, ad Dóminum migrávit, et in ipsa ecclésia sancti Sté-phani sepúltus est, quam ædificáverat.

℣. Iste est,

IN III NOCTURNO

Lect. de Homil. in Evang. Vigiláte, *de Communi.*

In Laudibus hymnus Christe Pastórum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti: Hymnus Christe Pastórum, *et fit comm. S. Ansarici cum oratione* Da, quæsumus, *de Communi.*

DIE VI.

S. CANOALDI EPISCOPI LAUD. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter seq.

ORATIO

Omnipotens Deus, qui Beátum Canoáldum An-tístitem nostrum pópulo tuo præésse et quibus præe-rat, verbo et exémplo pro-désse voluísti : eódem in-tercedénte pastóres Ecclé-siæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cú-

piant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

CANOALDUS sancti Farónis Meldénsis Epíscopi frater, Agnérici vero, Burgúndiæ cómitis, fílius, cum futúræ sanctitátis, adhuc puer, jam præclára præ se ferret indícia, sancto Columbáno créditus est instituéndus. Luxoviénsis Monastérii régulam tanta sedulitáte et proféctu servávit, ut in brevi Clericórum número merúerit adscríbi. Aliquándiu sancti Abbátis peregrinatiónum et miraculórum grátiæ párticeps fuit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum :* Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus, in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

CUM reguláris observántiæ et summæ virtútis ómnibus sese præbéret exémplum, mórtuo Richbérto Laudunénsi Epíscopo, Canoáldus in ejus locum, unánimi Cleri populíque consénsu eléctus est. Ille vero præ humilitáte, onus quidem formidándum refúgiens, látebras quæsívit. Sed divínæ voluntátis cértior factus, regímen hujus Ecclésiæ, tanquam Spíritus Sancti impúlsu sibi delátum, tandem suscépit. Tunc vero, forma factus gregis ex ánimo, et oves suas verbo et exémplo pascens, summam sibi ómnium veneratiónem et obséquium comparávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

SYNODO Reménsi quæ hábita est sub Honório Papa, et Sonnátio Archipræsule, cum Pátribus Galliárum áffuit. Cujus acta et decréta in sua Diœcesi promulgánda curávit et observánda. Multis pro múnere pastorálí perfúnctus labóribus, plenus bonis opéribus, clarúsque miráculis, óbiit, et in commúni Episcopórum et canonicórum sepultúra apud Sanctum Vincéntium honorífice tumulátus est. Cujus patrocínium sæpe váriis in calamitátibus, præsértim vero peste tetérrima grassánte, efficáciter fuit postulátum.

℟. Iste est.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homil. in Evang. Vigiláte, *de Comm.*

In Laudibus, hymnus Christe Pastórum.

In II Vesperis comm. 1° sequentis, ut in Breviario, *sub die* 5 *hujus; 2° S. Grimoniæ Virg. et Martyris, cum oratione* Deus qui inter cætera, *de Communi.*

DIE VII.

S. LAURENTII JUSTINIANI, EPISC. ET CONF.

Semiduplex.

(È die 5 hujus.)

Omnia ut in Breviario *et fit comm. S. Grimoniæ, Virg. et Mart.*

IN III NOCTURNO

LECTIO IX

De S. Grimonia, Virg. et Mart.

Ex antiquíssima traditióne, Grimónia Virgo, e Scótia, nobilíssimo génere oriúnda, Christo únice addícta, ut sponsi sibi destináti núptias declináret, patrísque furóri se subdúceret, látebras quæsívit, et ad oras Gálliæ demum transmeávit. Inde ad locum tunc desértum se contulísse tráditur, quem póstea morte, sepultúra et miráculis fecit illústrem. Ibi enim Grimóniam reperérunt satéllites a patre summíssi, a quibus gládio percússa virginitátem martyrio coronávit. In illíus honórem primum extrúctum fuit in ipso mortis loco oratórium sacris Grimóniæ exúviis ditátum, quod máxima frequéntia adeúntes, pietátis causa, Vallónes Capéllam vocitavére. Hoc nomen retínuit óppidum, quod peregrinórum concúrsu sensim exsurréxit; ipsúmque oratórium fuit eréctum in ecclésiam parochiálem sub patrocínio sanctæ Mártyris quæ ibi máxima cum veneratióne cólitur. In decúrsu témporis et propter várias calamitátes, sanctæ Grimóniæ relíquiæ in Ecclésiam vici cui nomen Scalæ primum translátæ sunt, et deínde circa médium décimi sexti sæculi, una cum córpore sanctæ Probæ in Ecclésiam óppidi Henniáci prope Duácum, ubi étiam nunc asservántur. Quædam tantum minor pars sacrórum pignórum dono restitúta fuit ecclésiis Scalénsi et Capellénsi.

In Laudibus fit comm. S. Grimoniæ.

In I Vesp. Nativitatis B. M. V. non fit commem. S. Laurentii.

DIE XXIV

COMMEM. S. SALABERGÆ, NEO. VIRG. NEO. MART.

Oratio : Exáudi nos, *de Communi.*

LECTIO IX

SALABERGA, in Castro Uternénsi Lingonénsis diœcesis, ineúnte séptimo sæculo, nata, cum propter cæcitátem et sánguinis fluxum a paréntibus negligerétur, utráque infirmitáte sanáta est a sancto Eustásio Abbáte Luxoviénsi. Jam tum pia virgo, eódem suadénte, Deo se vovére institúerat, sed primum a patre coácta, Ricárdo équiti potentíssimo nupsit, qui intra duos menses mortúus est, et íterum, Dagobérto rege jubénte, Bosóni Cómiti, a quo quinque líberos cum suscepísset, tandem, annuénte maríto, sacrum velámen sumpsit, monasteriúmque sanctimoniálium in avíto fundo instítuit. Imminéntibus vero hóstibus, Laudúnum, natúra munítius óppidum, cum centum soróribus profécta est. Cujus in occúrsum procédens Laudunénsis Epíscopus, Attala nómine, Clero populóque comitántibus, eam in hymnis et psalmis suscépit. Ita laudabíliter Salabérga rexit monastérium, ut post plures annos sub illíus disciplína annumeraréntur trecéntæ Vírgines, quæ in choros partítæ sibi succedéntes, láudibus Deo canéndis per dies noctésque sine ulla intermissióne vacábant. Paupertátis, humilitátis charitátisque opéribus júgiter inténta, minus auctoritáte quam exémplo soróribus præerat. Mortem præséntiens, quo libérius mentem Deo inténderet, regéndi monastérii fíliæ suæ Anstrudi commísit offícium. Obiit sancta Abbatíssa anno sexcentésimo quinquagésimo quarto.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Salabergæ.

DIE XXV

S. PRINCIPII, EPISCOPI SUESS. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter seq.

Hymnus : Christe Pastórum, *ut in capite hujus Proprii.*

ORATIO

OMNIPOTENS Deus, qui beátum Principium Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ

tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

PRINCIPIUS, in órdine Suessionénsium Antístitum, quorum nómina nobis innotuérunt, duodécimus, beáti Remígii frater natu major, imperánte cum Placídia matre Valentiniáno tértio, ex Æmílio viro nóbili et Cilínia uxóre natus est. Jam a téneris annis máxima dedit futúræ aliquándo specímina sanctitátis. Illum educávit et instítuit Antiólius ignótæ urbis in Gállia Epíscopus, dignus quondam sanctórum Lupi et Máximi in cœnóbio Lirinénsi sócius. Eo usus magístro, ita profécit Princípius, ut magnam sui in ómnium ánimis admiratiónem et expectatiónem excitáret. Edíbio Epíscopo, qui Attiláni belli tempóribus Suessionénsem Ecclésiam multa cum laude réxerat, suféctus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

LECTIO V

CUM ab ipso Antiólio rescivísset Sidónius Apollináris qualem se Princípius ab adolescéntia ostendísset, qua vitæ innocéntia morúmque integritáte ad Episcopátum pervenísset, tanti eum fecit, ut ejus précibus sese per litteras commendáverit. Ubi primum Epíscopus factus est Princípius, pastorálibus offíciis totum se mancipávit. Non modo gregi suo panem verbi divíni assídue fregit, peccatorésque alléxit ad pœniténtiam, sed plúrimos ab hæresi, multos a schísmate revocávit, nec paucos infidéles, teste eódem Sidónio, ab erróris calígine, ad fídei lumen tradúxit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

LECTIO VI

DEMUM, innúmeris pro Ecclésia Dei perfúnctus labóribus, vitam relíquit ad finem quinti sæculi, séptimo Caléndas Octóbris, acceptúrus a Príncipe pastórum immarcessíbilem

ætérnæ glóriæ corónam. A Remígio fratre Suessióne sepúltus est in æde sanctæ Theclæ, quæ tum extra urbem erécta erat, labénte autem témpore dirúta est. Corpus ejus póstea in Ecclésiam Cathedrálem translátum, magna veneratióne illic asservátum est donec a Calvinístis igni cremándum per impietátem traderétur.

℟. Iste est.

Lect. de Homilia in Evang. Vigiláte, *de Comm.*

In Laud. hymn. Christe Pastórum.

In II Vesp. comm. sequentis (in Breviario).

FESTA OCTOBRIS

DIE I

S. REMIGII, REMENS. EPISC. ET CONF.

Duplex II Classis.

Officium de Comm. Conf. Pont. exceptis quæ sequuntur.

AD I VESPERAS

Antiph. et Capitulum de Laudibus, Psalmi de Communi.

HYMNUS

In tuæ natum pátriæ salútem,
Luce te festa cólimus, Remígi,
Te suum Patrem, simul et Patrónum,
Gens venerátur.

Certa spes cleri téneris ab annis,
Cæteros vincis gravitáte morum;
Et gregem, Pastor júvenis, seníli
Mente gubérnas.

Hoste devícto, Clodovæus audit,
Cum suis turmis, sacra te docéntem;
Victus et dictis, sua seque Christo
Súbjicit uni.

Provides Francis pia jura dici;
Et tuo ductu monitísque princeps
Curat, ut secum speciósa Christi
Sponsa triúmphet.

Grandibus firmas documénta signis,
Mors tibi cedit dócilis jubénti:
Reddit et cæco fídei simúlque
Múnera lucis.

Pontifex inter Súperum catérvas,
Nunc adhuc charæ memor esto plebis;
Et tua semper prece, Galliárum
Prótege cives.

Summa laus Patri, Genitóque summa,

Laus tibi compar, utriúsque Nexus,
Ad tuam laudem, Deítas supréma,
Réspice Clerum.
Amen.

℣. Potens in terra erit semen ejus :

℟. Generátio rectórum benedicétur.

Ad Magnif. Ant. Notum fecit regi, et osténdit illi finem vitæ suæ, et exaltávit vocem suam de terra in prophétia delére impietátem gentis.

ORATIO

Deus, qui per beáti Remígii documénta, Francórum tibi corda subdidísti; largíre supplícibus; ut per iter salútis quo sanctus Pastor incéssit, ad te pervenire valeámus; Per Dóminum.

Comm. præcedentis (in Breviario).

AD MATUTINUM

Invitat. Dóminum qui mirificávit sanctum suum; * Veníte, adorémus.

HYMNUS

Jam castra Christum bárbara pérsonant,
Servíre spurcis dæmóniis pudet,
Et regis exémplum secúti,
Arma duces posúere Christo.

O quanta victis glória Gálliis!
Quæ Christiánis légibus óbligant
Docéndo victóres, vicíssim
Chrístiadum pietáte victos.

Tales triúmphos, Máxime Remígi,
Asserta per te Rellígio tulit :
Quam prædicásti, comprobátam
Prodígiis super astra tollis.

Tu, quam tot annos, alme senex regis,
Adhuc benígnus réspice Gálliam;
Fac nos paréntum cor fidéle,
Progénies dócilis, sequámur.

Laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Et tibi compar glória, Spíritus,
Tu qui poténti magna regum
Corda tenes, subigísque dextra.
Amen.

IN I NOCTURNO

Ant. Natus est homo, princeps fratrum, firmaméntum gentis, stabiliméntum pópuli.

Psalmi de Communi.

Ant. Elégit eum Deus ex omni carne; audívit enim eum et vocem ípsius.

Ant. Dedit illi coram præcépta et legem vitæ et disciplínæ, docére testaméntum suum et judícia sua.

℣. Beátus quem elegísti et assumpsísti, Dómine.

℟. Inhabitábit in átriis tuis.

Lectiones : Fidélis sermo, *de Communi*, 1° *loco.*

℟. I. Exúltat gáudio pater justi; qui sapiéntem génuit, lætábitur in eo. * Gáudeat pater tuus et mater tua, et exúltet quæ génuit te. ℣. Bonus eris miníster Christi Jesu, enutrítus verbis fídei et bonæ doctrínæ. Gáudeat.

℟. II. Implébitur benedictiónibus et vidéntes illum laudábunt. * In pópulo hæreditábit honórem et nomen illíus erit vivens in ætérnum. ℣. Justus et timens Deum, et testimónium habens ab univérsa gente. In pópulo.

℟. III. Cum sumpsísset cor ejus audáciam propter vias Dómini, * Etiam excélsa et lucos ábstulit. ℣. Multus númerus credéntium convérsus est ad Dóminum. Etiam. Glória. Etiam.

IN II NOCTURNO

Ant. Congregávit congregatiónem fidélium, et Ecclésiam secum.

Ant. Dóminus augébat qui salvi fíerent quotídie in idípsum.

Ant. Ad regem se cóntulit, commúnem utilitátem apud semetípsum univérsæ multitúdinis considérans.

℣. Lingua ejus loquétur judícium.

℟. Lex Dei ejus in corde ipsíus.

LECTIO IV

Remigius cujus ortum prædíxerat solitárius quidam cœcus, Montánus nómine, in agro Laudunénsi natus est paréntibus Æmílio et sancta Cilínia jam ætáte provéctis. Annos natus duos et vigínti, ob seníles in adolescéntia mores, ad Episcopátum Reménsem præter voluntátem raptus est. Cum autem Francórum rex Clodovæus, Gallórum victor, Alamánnos Tolbiáci, invocáto Christi nómine, debellásset; et instánti Remígio, ut fidem profiterétur, respondísset, veréri se ut per pópulum sibi licéret; ubi id rescívit pópulus, statim acclamávit : Mortáles deos abígimus, pie rex; et Deum quem Remígius prædícat immortálem, sequi paráti sumus.

℟. Erudítus omni sapiéntia * Erat potens in verbis et in opéribus suis

℣. Accéptus regi, minister intélligens. Erat.

LECTIO V

Tum Remígius Clodovæum quem fídei documéntis imbúerat, baptizávit ipso die Natális Dómini, his eum verbis allocútus : Mitis depóne colla, Sicámber; adóra quem incendísti, incénde quod adorásti. Baptizátum sacro inúnxit Chrísmate cum signáculo crucis Christi. De exércitu autem ejus ter mille et ámplius baptísmo initiáti sunt; simul et Albofledis soror Clodovæi : quæ cum paulo post decessísset, Remígius per lítteras regem consolátus est. Lanthíldis quoque, áltera ejus soror, ab Ariána hæresi revocáta, sacro Chrísmate reconciliáta est Ecclésiæ. Cum autem Clodovæus, ad bellum Góthicum se accíngeret, epístolam hortatóriam ad eum scripsitRemígius plenam utilíssimis regno administrándo consíliis; regi étiam auctor fuit ut Concílium Aurelianénse indíceret.

℟. Cum credidíssent evangelizánti de regno Dei, * In nómine Jesu Christi baptizabántur viri et mulíeres. ℣. Pavit eos in innocéntia cordis sui et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos. In nómine.

LECTIO VI

Mira erat eloquéntia, et sciéntia divínæ Scriptúræ, cujus multos libros interpretátus est; cleméntia étiam in pœniténtes singulári; neque enim, inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam, sed ad hóminum curam. Novos Episcopátus instítuit, Teruannénsem, Atrebaténsem et Laudunénsem, quibus sanctos Antimúndum, Vedástum et Genebáldum præfécit. Sub finem vitæ, oculórum usu orbátus est, quem tamen paulo ante mortem recuperávit. Sénio tandem conféctus, postquam ámplius quam septuagínta annos summa cum laude Reménsem Ecclésiam administrásset, óbiit die décima tértia Januárii. Inter alia, quæ édidit mirácula, mórtuam puéllam oratióne suscitávit. Méminit Gregórius Turonénsis festivitátis sancti Pontíficis quæ jam suo témpore Caléndis Octóbris celebrabátur : qua die in magnificentióri basílica a Leóne Papa Nono dicáta, corpus ejus collocátum est.

℟. Deseréntes cœremónias patrum suorum quæ in multitúdine deórum erant, * Unum Deum cœli coluérunt. ℣. Multi credéntium veniébant confiténtes et

annuntiántes actus suos. Unum. Glória. Unum.

IN III NOCTURNO

Ant. Princeps et claríssimus et magnus in hac civitáte, et ornátus fílius.

Ant. Homo Dei, noli despícere ánimam meam et ánimas servórum tuórum.

Ant. Ora pro servis tuis ad Dóminum Deum tuum ut non moriámur.

℣. Tríbuat tibi Dóminus secúndum cor tuum.

℟. Et omne consílium tuum confírmet.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII, *Cap.* 24, 42.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte quia néscitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi. *Comm. in Matth. cap.* 26.

Quanquam in commúne nos ad indeféssam vigilántiæ curam adhortétur Christus, speciálem tamen pópuli Princípibus, id est Epíscopis, in expectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudéntem, præpósitum famíliæ signíficat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem.

℟. In lege Dómini congregatiónem judicábat * Et in fide sua probátus est prophéta. ℣. Suscipiébat omnes prædícans regnum Dei. Et in fide.

LECTIO VIII

Qui si dicto áudiens, et præcéptis obédiens erit, id est si doctrínæ opportunitáte et veritáte infírma confírmet, disrúpta consólidet, depraváta convértat, et verbum vitæ in æternitátis cibum aléndæ famíliæ dispéndat, atque hæc agens hisque ímmorans deprehendátur, glóriam a Dómino tanquam dispensátor fidélis, et víllicus útilis consequétur, et super ómnia bona constituétur, id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultra quod mélius sit.

℟. Vir amátor civitátis et bene áudiens. * Pro afféctu pater appellabátur. ℣. Exémplum fidélium in verbo, in conversatióne, in charitáte, in fide. Pro. Glória. Pro.

LECTIO IX

Quod si cóntuens longam Dei patiéntiam, quæ in proféctum humánæ salútis exténditur, advérsum convérsos insoléscat, et séculi malis vitiísque se tradat, præséntium tantum curam in cultu ventris exércens : desperáta die Dóminus ad-

véniet, eúmque a bonis quæ spopónderat dividet, portionémque ejus cum hypócritis in pœnæ æternitáte constituet, quia advéntum desperáverit, quia mandátis non obtemperáverit, quia præséntibus studúerit, quia vita géntium víxerit, quia desperatióne judícii commissam sibi famíliam fame, siti, cæde vexáverit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. Ipse erit in pastórem et princeps in médio eórum.

Ant. Propter grátiam labiórum suórum habébit amícum regem.

Ant. Diléctus a Dómino Deo suo, prophéta Dómini, renovávit impérium et unxit príncipes in gente sua.

Ant. Pépigit fœdus inter Dóminum et inter regem et inter pópulum, ut esset pópulus Dómini.

Ant. Abstulit rex ídola, dedicávit altáre Dómini, et simulácrum omne contrívit et in frusta commínuens combússit.

CAPITULUM, *Eccl.* 39.13.14.

Non recédet memória ejus, requirétur a generatióne in generatiónem: sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

HYMNUS

Cœcos pande sinus, terra, nimis diu
Demérsum ténebris ínvida détines
Urbis præsidium : redde peténtibus
Sancti pígnora Præsulis

Servat, ne péreant dextra Dei potens
Dulces exúvias : dente nec ímprobo
Lædet dira lues, nec penetrábili
Rodet tempus edax situ.

Huic quantam túmulo vim Deus índidit!
Quot firmat tímidam prodígiis fidem!
Imploráta salus corpóribus redit;
Mitéscunt ánimæ febres.

Nos Patrem fídei, nunc juvet æmulis
Certátim mémores tóllere láudibus;
Sed cultus pótior, quam dócuit fidem,
Puris réddere móribus.

A quo cuncta fluunt, sit tibi laus, Deus :
Sacros qua décuit dum reveréntia
Artus nos cólimus, tota refúnditur.
Summo glória vértici.
Amen.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, Dómine.

℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Ad. Bened. Ant. Quis potest simíliter sic gloriári tibi, qui ungis reges ad pœniténtiam, et prophétas facis successóres post te?

ORATIO

Deus, qui per beáti Remígii documénta, Francórum tibi corda subdidísti: largíre supplícibus; ut per iter salútis quo sanctus Pastor incéssit, ad te perveníre valeámus; Per Dóminum.

AD TERTIAM

Ant. Propter grátiam.

Capitulum *de Laudibus.*

℟. *br.* Memor sit Dóminus * Omnis sacrifícii tui. Memor. ℣. Et holocáustum tuum pingue fiat. * Omnis. Glória. Memor.

℣. Lætábimur in salutári tuo.

℟. Et in nómine Dei nostri magnificábimur.

AD SEXTAM

Ant. Diléctus a Dómino.

Capitulum *Eccl.* 45.

Glorificavit illum Dóminus in conspéctu regum et jussit illi coram pópulo suo et osténdit illi glóriam suam.

℟. *br.* Lætábimur * In salutári tuo. Lætábimur. ℣. In nómine Dei nostri magnificábimur. * In salutári. Glória. Lætábimur.

℣. In memória ætérna erit justus.

℟. Et ab auditióne mala non timébit.

AD NONAM

Ant. Abstulit Rex.

Capitulum *III Reg.* 4.

Erat nominátus in univérsis géntibus per circuítum, et veniébant de cunctis pópulis ad audiéndam sapiéntiam ejus.

℟. *br.* In memória ætérna * Erit justus. In memória. ℣. Ab auditióne mala non timébit. * Erit. Glória. In memória.

℣. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

℟. Cornu ejus exaltábitur in glória.

IN II VESPERIS

Psalmi de Comm. Antiph., Capit. et Hymnus ut in I Vesp.

℣. Curávit gentem suam.

℟. Et liberávit eam a perditióne.

Ad Magnificat. Ant. Hic est fratrum amátor et pópuli Israël; hic est qui multum orat pro pópulo et univérsa civitáte.

DIE III

S. LEODEGARII EPISC. MART.

(Fuit 2 huj.)

Duplex.

Omnia de Communi Unius Mart. Pontif. præter sequentia :

Oratio : Infirmitátem, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Leodegarius, primum Pictaviénsis Archidiáconus, deínde monastérii sancti Maxéntii Abbas, postrémo Augustodunénsium Episcopus creátus est; cui Ecclésiæ decem annis præfuit. Cum autem Childéricum secúndum, qui in regni administratióne illíus ópera utebátur, argúeret quod antíquas regni leges rescidísset, filiámque avúnculi duxísset uxórem, in Luxoviénse monastérium, quo relegátus ántea fúerat Ebroínus Major Palátii, amándatus est. Utérque, Rege mórtuo in prístinum gradum est restitútus. Sed Ebroínus se, Leodegário auctóre, in monastérium detrúsum fuísse ratus, exércitum Augustodúnum misit, qui sanctum Epíscopum comprehénderet. Re cógnita, Leodegárius, erogátis in páuperes facultátibus, triduáno jejúnio indícto, et factis circum urbis mœnia cum Cruce et Relíquiis Sanctórum supplicatiónibus, Christi Córpore præmunítus, ne quid detriménti cívitas sui causa paterétur, sponte se trádidit inimícis.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

LECTIO V

Illi statím sanctum Præsulem, váriis cruciátum torméntis, érutis demum óculis, in monastérium conjecérunt. Insuper Cómitem Guarínum fratrem ejus, palo alligántes lapídibus obruérunt. Nec irárum satis; eo enim immanitátis devenére, ut captívi lábia et linguam præcíderent, sicque mútilum in cœnóbium Fiscannénse sub arctióri custódia asservándum detrusérunt. Tunc témporis, sanctus ille vir, ad Sigradam matrem, quæ Religiónis hábitum indúerat in monastério beátæ Maríæ Suessionénsis, tantis affli-

ctátam dolóribus, consolatórias, quæ adhuc extant, misit litteras, in quibus, Ebroíni inhumanitátis ne levi quidem mentióne facta, totus in eo est ut matrem ad feréndam patiénter fratris mortem, ad amórem inimicórum retinéndum, et ad vitæ religiósæ propósitum fidéliter exequéndum adhortétur. Ductus deinde in palátium, quo nonnúlli Epíscopi convénerant, cum linguæ offício nihilosécius uterétur, discíssa túnica, Episcopáli dignitáte spoliátus, conjéctus est in cárcerem; ex quo in sylvam ejus póstea nómine insignítam, a quátuor sicáriis abdúctus, in território Atrebaténsi cápite truncátus est, anno sexcentésimo septuagésimo octávo.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte lábiorum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

LECTIO VI

Corpus ejus ibídem sepúltum est: inde post biénnium ad Píctones non sine multis miráculis delátum, et honoríſice in Basílica sancti Maxéntii cónditum: ex qua sumptæ sunt Relíquiæ, quæ Leodegárii et Guaríni fratris inscríptæ nomínibus, in Ecclésia beátæ Maríæ Suessiónis olim colebántur, et ad Sígradam ambórum matrem fuísse allátæ credúntur. Extat ibídem sub invocatióne sancti Leodegárii célebris ecclésia prius parochiális, dein étiam abbatiális, quam témporum calamitáte profánis úsibus mancipátam, Suessionénsis Epíscopus súmptibus própriis, necnon Clero populóque fidéli juvántibus, recuperávit, et pari munificéntia instaurátam cúltui divíno restítuit, anno Christi millésimo octingentésimo quinquagésimo primo.

℟. Stola jucunditátis índuit.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Si quis venit ad me, *de Communi.*

DIE V

S. DIVITIANI
EPISCOPI SUESS. ET CONFESS.

Duplex.

Omnia de Comm. Confess. Pont., præter sequentia.

Hymnus: Christe Pastórum, *in capite huj. Proprii.*

ORATIO

Omnipotens Deus, qui beátum Divitiánum An-

359

tístitem nostrum pópulo tuo præésse et, quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

Commemor. præcedentis ac SS. Placidi et Soc. Mart. (in Breviario).

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

DIVITIANUS inter Suessionénses epíscopos tértius, sancto Sinício pátruo suo succéssit, imo ab ipso ordinátus est. Enim vero mórtuo Sixto, qui Reménsem Ecclésiam regébat, illíus Ecclésiæ curam, prima sede relícta, suscípere coáctus Sinícius, in suum locum Divitiánum suffécit; qui quamvis onus tantum reformidáret, et a pátruo divélli se ægérrime paterétur, ne tamen pópulus ille quem Sixtus per multos labóres Deo lucrátus erat, forte periclitarétur, Suessionénsium votis ultro cessit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

UBI Pontificátum adéptus est Divitiánus, omnem ratiónem adhíbuit, ut ipsa Religiónis sémina quæ Sixtus et Sinícius per agrum Suessionénsem spárserant, non tantum adoléscerent, sed étiam perféctam assequeréntur maturitátem. Divitiáni memória jam a multis séculis tértio Nonas Octobris Suessióne cólitur, corpúsque ejus in ea civitáte, in ecclésia quæ póstea fuit sancti Crispíni Majóris, usque ad finem séculi décimi octávi quiévit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

Sermo S. Maximi Episcopi : Ad sancti et beatissimi, *in Communi* 1° *loco.* ℟. Iste.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Vigiláte *de Comm.*

Lect. IX *de SS. Martyr.* (in Breviario).

In Laudibus, Hymnus : Christe Pastórum.

Vesperæ a Capit. de seq. (in Breviario), *et fit comm. S. Divitiani.*

DIE VIII

COMMEMORATIO S. BENEDICTÆ VIRG. ET MART.

Oratio : Indulgentiam, *de Communi.*

LECTIO IX

BENEDICTA virgo in villa Auriníaca ad Isaram in território Laudunénsi mártyrium passa esse fertur, et sepúlta. Ibi Cárolus Calvus accedénte ad Hermintrúdis Regínæ preces, Párduli Laudunénsis Epíscopi consílio, puellárum cœnóbium in honórem sancti Petri Apóstoli et sanctæ Benedíctæ ædificávit. Sanctæ Vírginis Relíquiæ a Garniéro Laudunénsi Epíscopo in capsa argéntea depósitæ primum sunt, ac póstea in áliam deaurátam, multóque pretiosiórem translátæ.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Benedictæ.

DIE IX

COMMEMORATIO S. VULGISI CONF. NON PONT.

Oratio : Deus qui nos, *de Communi.*

LECTIO IX

VULGISUS, in Província Reménsi nóbili família natus, sancti Remígii discípulus, et ab eo Présbyter ordinátus, ómnium ejus labórum aliquándiu párticeps et sócius fuit. Verum solitúdinis amóre veheménter incénsus, ut totum se Jesu Christo tráderet, secéssit in eum sylvæ Rhétiæ locum, quem Troínas vocant, ubi cum multos annos victu ásperam, sed meditatiónibus cœléstibus suávem, vitam duxísset, sanctitáte illústris migrávit in cœlum. Miráculis vivus et mórtuus flóruit. Ejus corpus ibídem sepúltum, póstea a Milóne viro potentíssimo, in Castrum, quod ab eo Fírmitas Milónis appellátur, translátum est; ubi usque ad finem séculi décimi octávi servabátur; at, sacris Relíquiis in perturbatiónis tempóribus dispérditis, sancti Confessóris memória non minóri veneratióne cólitur.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Vulgisi.

DIE X

COMMEMORATIO S. EVODI CONF. PONT.

Oratio : Da quæsumus, *de Communi.*

LECTIO IX

EVODUS Ecclésiæ Rhotomagénsi a púero addíctus, in sede Episcopáli

succéssit Innocéntio, qui sanctum Victrícium hábuit antecessórem. Sanctitátis fama conspícuus, óbiit Andeliáci, unde corpus ejus Rhotómagum relátum est, in ecclésia majóri sepeliéndum. Una cum óssibus sancti Victrícii translátum est Branam, Suessiónum óppidum. Locus obscúrus ántea, ádeo miraculórum fama fuit illustrátus, ut frequénti hóminum cœtu, qui eo concúrrerant, dilatátus deínceps fúerit, et ab íncolis auctus. Século duodécimo ibídem constrúctum est Canonicórum cœnóbium, nómine sancti Evodi insignítum, in cujus ecclésia quæ nunc est parochiális, pars ejus córporis summa veneratióne recólitur : áliæ sancti Pontíficis insígnes Relíquiæ in Ecclésia cathedráli requiéscunt.

Te Deum laudámus.

In Laud. commem. S. Evodi.

DIE XVI

S. ANSTRUDIS VIRG.

Oratio : Exáudi, *de Communi.*

LECTIO III

Anstrudis sancti Bosónis et sanctæ Salabérgæ fília, a téneris annis futúræ sanctitátis præclára dedit indícia. Adolescéntior facta, cum a viro conspícuo ad núptias postularétur invíta, Laudúnum cónfugit ad matrem, et brevi témpore, áliis soróribus in religiónis observántia ita antecélluit, ut Salabérga, morti próxima, monastérii curam ipsi crédere non dubitáverit. Post matris óbitum, in Abbatíssam anno ætátis vigésimo elécta, summa vigilántia et pietáte functa est offício. Per dies et noctes a divínis collóquiis non recedébat; nihil cibi vel potus súmere assuéverat, nisi prius Psaltérium per órdinem persolvísset; in conversatióne casta, mitis in collóquio, erga páuperes, præcípue peregrínos et captívos liberális, eo sibi plus víluit quo magis áliis et dignitáte et virtútibus præfulgébat. Calúmnias quibus fuit impetíta, sola vitæ innocéntia fácile confutávit. Alias tribulatiónes non paucas mira semper ánimi mansuetúdine et patiéntia tolerávit. Diem sui óbitus soróribus prænuntiávit, cumque ab illis demíssa mente postulásset indulgéntiam, méritis plena, obdormívit in Dómino, circa annum sexcentésimum octogésimum octávum.

Te Deum laudámus.

DIE XXVII

COMMEMORATIO S. BALDUINI, MARTYRIS.

Oratio : Præsta, quæsumus, ut qui, *de Communi.*

LECTIO IX

Balduinus, sanctæ Salabérgæ filius, ad liberáles disciplínas, præcípue vero ad virtútem, cura piæ matris fuit informátus. Jam ígitur christiánis dótibus eminébat, cum Laudúnum advénit, sanctíssimæ matris et sorórís Anstrúdis fama addúctus, ibíque máximam existimatiónem et probórum ómnium commendatiónem brevi sibi conciliávit. Talis viri nomen et virtus exímia statim innotuérunt Serúlpho Laudunénsi Epíscopo, sanctitáte claro, qui Balduínum sacris ordínibus initiátum, Archidiáconi dignitáte decorávit et in partem labórum ascivit. Tunc Balduínus omnes hujúsce múneris partes studióse adimplévit. Æquitátis et justítiæ vindex acérrimus, ómnium jura tuítus est. At dum improbórum molitiónes omnes evértere conátur, ab ipsis insidióse et violénter appetítus, pro justítia Martyr occúbuit.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Balduini.

DIE XX

COMMEMORATIO S. AGRICOLÆ CONFESS.

Oratio : Adésto, *de Communi.*

LECTIO IX

Agricola pátruum hábuit beátum Remígium apud quem adolévit, ab eóque propter morum sanctitátem ad presbyterátum promótus est. Inter plúrima amóris pígnora, Remígius ipsi máxima benefícia vineásque testaménto legávit, ea conditióne ut diébus festis et ómnibus Domínicis ipsíus Remígii nómine sacra oblátio in altári conficerétur. Post Remígii mortem, Suessiónem venit, cum beáto Lupo actúrus qua ratióne legáta sibi bona ex pátrui votis dispensáret. Ibi dum ministério suo vacáret, et consanguíneo suo útilem in administránda Ecclésia naváret óperam, virtútibus et méritis clarus, in Dómino obdormívit. Ejus corpus ibídem sepúltum, póstea una cum corpóribus sanctórum Gaudíni, Princípii Lupíque, e terra elátum, summa in veneratióne hábitum est; quod a Calvinístis anno post Christum natum millésimo quingentésimo sexagésimo séptimo igni tráditum est.

Te Deum laudámus.
In Laud. comm. S. Agricolæ.

DIE XXI

S. CILINIÆ, VIDUÆ.

Duplex.

Omnia de Communi præter ea quæ sequuntur.

ORATIO

Propitiare nobis, Dómine, fámulis tuis, per sanctæ Ciliniæ mérita gloriósa : ut ejus pia intercessióne; ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum.

In I Vesp. comm. 1° præcedentis, 2° S. Hilarionis Conf. non Pont., 3° SS. Ursulæ et Soc., Virg. et Mart. (in Breviario).

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Cilinia, illústri génere orta, Æmílio, viro dignitáte Cómitis insígni, in matrimónium trádita est. Statim a primis nuptiárum annis gémino partu édidit, áltero quidem Princípium, qui póstea Suessiónum Ecclésiæ summa cum laude præfuit; áltero autem fratrem ejus, qui pater fuit beáti Lupi, ejúsdem póstea Princípii in Suessionénsi Episcopátu successóris.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere, procéde, et regna. Et dedúcet.

LECTIO V

Jampridem párere desíerat Cilínia, ipsíque novæ prolis suscipiéndæ spem provéctior ætas adémerat, cum sanctus eremíta Montánus tértium ex ea fílium nascitúrum prædixit, qui Remédii vel Remígii nómine appellátus, Dei miníster ad multórum salútem foret : vaticinióque áddidit, nato púero se lacte puérperæ oculórum usum, quo dudum orbátus erat, recuperatúrum.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

LECTIO VI

Promissionis a sancto viro factæ veritátem probávit evéntus. Cilínia quippe intra decem menses fílium péperit cui Remígii nomen datum est; Montánus vero matris lacte óculis perúnctis, visum recépit. Infántem suum Deo óbtulit pia mater, in eóque christiáne instituéndo nihil omísit ut

vocatióni divínæ digne aliquándo respondéret. Sic Cilínia e virtúte in virtútem profécit, ac sanctitáte in dies illústrior, demum méritis plena, ad Dóminum migrávit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Simile est regnum, *de Communi.*

Lectio IX (*ex duabus una*) *de S. Hilarionis* (in Breviario).

In Laud. commem. S. Hilarionis, et SS. Ursulæ, et Soc. (in Breviario).

Vesperæ sunt a Capitulo de sequenti et fit commem. S. Ciliniæ.

DIE XXII

S. LUPI EPISC. SUESS. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

Hymmus : Christe Pastórum, *ut in capite hujus Proprii.*

ORATIO

Omnipotens Deus, qui beátum Lupum Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo, prodésse voluísti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Lupus, qui inter Suessionénses Epíscopos, quorum nómina nobis innotuérunt, tértium décimum locum óccupat, a sanctis Princípio et Remígio quos pátruos hábuit, institútus educatúsque est. Sanctissimórum magistrórum virtútem sic imitátus est discípulus, ut post Princípii mortem, in locum ejus a Remígio sit inaugurátus. Sensit brevi Suessionénsis pópulus Lupum, ut avúnculi sedis, sic et charitátis hærédem esse; ac sensére præsértim páuperes patrem álterum sibi esse rédditum; tanta illi erat ad sublevándas egenórum misérias sollicitúdo!

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo

unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

Synodo quam rex Clodovæus Auréliis Remígii consílio convocáverat, intérfuit, eíque inter primos Gálliæ Antístites, non tam ætátis prærogatíva quam doctrínæ et sanctitátis subscrípsit. Suessiónem revérsus, leges in ea Synodo sancítas, ad ecclesiásticæ disciplínæ quæ fere collápsa erat instauratiónem, non promulgávit modo, sed étiam ut a Cléricis servaréntur studióse curávit. Pópulo sibi commísso ut minístros divíderet ad animárum regímen idóneos, Clericórum institutióni diligentíssime studébat, multósque suis súmptibus, in loco qui dícitur Basílica, alébat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

Remigius, morte imminénte, cum testaméntum scríberet, Lupum quem plúrimi faciébat ad se accersívit, eúmque simul cum Ecclésia Reménsi hærédem suum ac suprémæ voluntátis minístrum elégit. Lupus pátrui sui mandáta execútus, et virtútes toto quo supérstes fuit témpore egrégie imitátus, ad cœléstem pátriam, cujus ardénti desidério tenebátur, jam senex migrávit décimo tértio Caléndas Novémbris, et in Ecclésia Suessionénsi sepúltus est.

℟. Iste est.

IN III NOCTURNO

Lect. de Homilia in Evang. Vigiláte, *de Comm.*

Vesper. de seq. in Supplem. pro aliquibus locis, et fit comm. 1° præc. et 2° S. Frontonis. Episc. Conf.

Oratio : Exáudi, quæsumus, *de Communi.*

DIE XXIII

IN FESTO SS. REDEMPTORIS.

Duplex majus.

Omnia ut in Suppl. pro aliquibus locis.

De S. Frontone.

LECTIO IX

In Castro Diœcesis Suessionénsis, quod Negolíacum nuncupátur, célebris est memória sancti Frontónis qui a beáto Petro Apóstolo Epíscopus ordinátus, cum Geórgio presbýtero Petragóricis in Gállia fidem

prædicávit, et magnam illíus gentis multitúdinem ad Christum convértit. Deínde ad fines Suessionénses perrexísse, et cum rari illic essent christiáni, apud Castrum Negoliácum Evangélium prædicásse fertur. In ejus honórem consecráta est ibídem parochiális ecclésia quæ magno populórum concúrsu frequentátur ; unde oppídulum Negoliácum a sancto Frontóne cognómen accépit. Sanctus Epíscopus Petragóricis miráculis clarus in pace quiévit.

In II Vesperis, fit commem. sequentis.

DIE XXIV

S. RAPHAELIS ARCHANGELI.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis.

Pro commem. Vigiliæ Sanctorum Crispini et Crispiniani, Mart. Suess., dicitur Lectio quæ sequitur.

Léctio sancti Evangelii secúndum Matthæum.

LECTIO IX, *Cap.* 10. 7.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes prædicáte, dicéntes : Quia appropinquávit regnum cœlórum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

Lib. 18. *de Civ. D. Cap.* 50.

PRIMUM se ab Jerúsalem diffúdit Ecclésia, et cum in Judæa, atque Samaría plúrimi credidíssent, et in álias gentes itum est, annuntiántibus eis Evangélium, quos Christus sicut luminária et aptáverat verbo, et impléverat Spíritu sancto. Dénique per ipsos non solum qui eum et ante passiónem et post resurrectiónem víderant et audíerant, verum étiam post óbitum eórum, per pósteros eórum inter horréndas persecutiónes et vários cruciátus ac fúnera mártyrum, predicátum est Evangélium, contestánte Dómino signis, et porténtis, et váriis virtútibus, et Spíritus sancti munéribus : ut pópuli géntium, credéntes in eum qui pro eórum redemptióne crucifíxus est, christiáno amóre veneraréntur sánguinem mártyrum, quem diabólico furóre fudérunt.

In Laudibus fit comm. Vigiliæ (Ant. et ℣ Feriæ occurrentis).

ORATIO

PRÆSTA, quæsúmus, omnípotens Deus, ut pópulus tuus ad plenæ devotiónis afféctum beatórum

Mártyrum Crispíni et Crispiniáni natalítiis præparétur; et eórum patrocínio promerénte, plenæ cápiat securitátis augméntum. Per Dóminum.

Vesperæ de Festo sequenti, et non fit commem. S. Raphaelis.

DIE XXV

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI

MART. SUESSIONNENSIUM.

Duplex I Classis cum Octava.

De Communi plurimorum Martyrum, exceptis quæ sequuntur.

AD I VESPERAS

Capitulum. *Is.* 66. 19.

Mittam ex eis qui salváti fúerint ad gentes in mare, in Africam, et Lydiam tendéntes sagíttam, in Itáliam, et Græciam, ad ínsulas longe, ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam. Et annuntiábunt gloriam meam géntibus, et addúcent omnes fratres vestros.

HYMNUS

Quæ mortis umbris exitiálibus
Olim jacébas, nunc tibi, Gállia,
Auróra surgit, mox diéi
Conspícuum paritúra lumen.

Crispine, nostris tu regiónibus
Noctem fugásti; vox tua, præferens
Facem salutárem, profúndas
Luce nova pépulit ténebras.

Par ille tanto par óperi comes,
Fratri nec impar frater; ubi pedem
Tulére terris, cedit error,
Impíetas furiósa cedit.

Ubi parábant assíduo sibi
Labóre victum, plebs húmilem casam
Adíbat: ædes prima Christo
Artíficum fuit officína.

Huc ardet omnis cúrrere cívitas,
Intérque fletus, grandíloquo pii
Ab ore pendéntes magístri,
Aure bibunt ávida salútem,

Christo docébant vívere; jam docent
Christo fidéles discípulos mori;
Et morte spreta, victimárum
Primítiæ rémeant Olympum.

Cruore fuso qua præeunt Patres,

Da, Christe, natos sponte
viam sequi :
Si morte non fas, ah! litémus
Innócua tibi, Christe,
vita.

Laus summa Patri, summáque Fílio,
Sanctóque compar Spirítui
decus,
Quo flante, fecundátur orbis,
Christe, tibi nova gens
creátur.
Amen.

℣. Pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum.

℟. Quia prospéxit de excélso sancto tuo.

Ad Magnif. Ant. t. 7. g Ecce super montes pedes evangelizántis et annuntiántis pacem. Célebra, Juda, festivitátes tuas, et redde vota tua, quia non adjíciet ultra ut pertránseat in te Bélial : univérsus intériit.

ORATIO

Deus, qui nobis per Beátos Mártyres tuos Crispínum et Crispiniánum veritátem Evangélii patefíeri voluísti : concéde, quæsumus; ut quod ab eórum ore didícimus, grátia tua adjúti operári valeámus. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Deum qui de tenebris nos vocávit in admirábile lumen suum, * Veníte, adorémus.

Hymnus : Quæ mortis... *ut supra.*

IN I NOCTURNO

℣. Dómini est assúmptio nostra, ℟. Et sancti Isráel regis nostri.

De Epístola prima Beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

LECTIO I, *Cap.* 1. 2-7.

Gratias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fídei vestræ, et labóris, et caritátis, et sustinéntiæ, spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum : sciéntes fratres dilécti a Deo, electiónem vestram; quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos. Et vos imitatóres nostri facti estis, et Dómini excipiéntes verbum in tribulatióne multa, cum gáudio Spíritus sancti; ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus.

℟. In lætítia egrediémini, et in pace deducémini,

montes et colles cantábunt coram vobis laudem, et ómnia ligna regiónis plaudent manu. * Pro saliúnca ascéndet ábies, et pro úrtica crescet myrtus : et erit Dóminus nominátus in signum ætérnum quod non auferétur. ℣. Pósui vos ut eátis, et fructum afferátis et fructus vester máneat. Pro saliúnca.

LECTIO II

℣. 8 *ad fin. et cap.* 2. 1-2.

In omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, proſécta est, ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annúntiant qualem intróitum habuérimus ad vos, et quómodo convérsi estis ad Deum a simulácris, servíre Deo vivo et vero, et expectáre Fílium ejus de cœlis, quem suscitávit ex mórtuis, Jesum, qui erípuit nos ab ira ventúra. Nam ipsi scitis, fratres, introítum nostrum ad vos, quia non inánis fuit : sed ante passi, et contuméliis affécti, sicut scitis.

℟. Incurvábitur sublímitas hóminum, et humiliábitur altitúdo virórum; et elevábitur Dóminus solus in die illa; * Et idóla pénitus conteréntur. ℣. Notum ergo sit vobis quóniam géntibus missum est hoc salutáre Dei, et ipsi áudient. Et idóla.

LECTIO III, *V*. 2-9.

Fiduciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo, sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium; ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis; neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est : nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse, ut Christi Apóstoli, sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tanquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras; quoniam caríssimi nobis facti estis. Mémores enim estis, fratres, labóris nostri et fatigatiónis; nocte ac die operántes ne quem vestrum gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei.

℟. Dabo opus eórum in veritáte, et fœdus perpé-

tuum fériam eis : et scient in géntibus semen eórum, et germen eórum in médio populórum : * Omnes qui víderint eos, cognóscent illos; * Quia isti sunt semen cui benedíxit Dóminus. ℣. Ego claritátem quam dedísti mihi, Pater, dedi eis ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Omnes. Glória. Quia.

IN II NOCTURNO

℣. Laudáte Deum, omnes pópuli. ℟. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

LECTIO IV

Crispinus et Crispiniánus fratres, nóbiles románi, propagándæ fídei stúdio una cum beáto Quintíno et sóciis in Gállias advenérunt. Dum álii álias in regiónes dispergúntur, Crispínus et Crispiniánus cum Valério et Rufíno ad Suessiónum fines venére, salutémque a Christo Jesu allátam illic prædicavérunt. Urbem póstea ingréssi, ne cuíquam forent óneri, labóre mánuum victum sibi paráre, períndе ac Paulus Apóstolus, constituérunt. Itaque sutóriam artem, quam quidem, útpote húmilem et quiétam, suo aptiórem esse ministério putábant, statim didicére; ac cum in ea cǽteris antecelluíssent artifícibus, levíque mercéde conténti essent, frequéntem ad se paulátim pópulum allexére; veniéntique pro occasióne verbum Dei annuntiábant. Erat ergo eórum domus non modo officina labóris, sed et schola doctrínæ et salútis. Deo dante voci eórum virtútem et benedictiónem, plúrimis persuasére, ut, relícto idolórum cultu, Deo vero servírent. Augebátur in dies credéntium númerus, et dum pax et tranquíllitas a princípibus erat, in fide neóphyti confirmabántur.

℟. Diláta locum tentórii tui (Jerúsalem), et pelles tabernaculórum tuórum exténde; ne parcas. * Longos fac funículos tuos, et clavos tuos consólida : ad déxteram enim et ad lævam penetrábis; et semen tuum gentes hæreditábit. ℣. Deus visitávit súmere ex géntibus pópulum nómini suo, et huic concórdant verba prophetárum. Longos.

LECTIO V

Dudum jam erat ex quo Crispínus et Crispiniánus erróris ténebras, sparsa Evangélii luce, depellébant, cum pacem qua simul cum nova sóbole ab ipsis Christo parta perfruebántur, Maximiáni Hérculis advéntus perturbávit. Cru-

délis hic Imperátor, qui quacúmque transíret, sui in Christum Christianósque ódii cruénta vestígia relinquébat, commorátus in Gálliis, Suessiónem venit. Ibi, dum bellum advérsus bárbaros parat, jubet more suo diligénter conquíri Christiános, quorum intéritum et interneciónem magis quam hóstium império Románo infensissimórum cupiébat. Insito ejus ánimis furóri ignem facésque admovébat mira quam Thebæi mílites præ se túlerant in profiténda Christiána fide libértas. Ad eum deláti sunt Crispínus et Crispiniánus tanquam Christiáni; quos statim comprehénsos jussit ad se addúci. Ubi ad tribúnal perdúcti sunt, eos ille tam promíssis quam minis et pœnárum metu a propósito deterrére tentávit. Sed cum sancti Fratres Christum intrépide confiteréntur, et profána sacrifícia constánter respúerent, eos efficacióri ratióne ággredi ac superáre constítuit. Aderat tunc témporis Rictiovárus, nímium fidélis imperatóriæ crudelitátis minister, Christiáno sánguine quem in Gálliis passim effúderat, adhuc cruentátus : huic Crispínum et Crispiniánum tradi ímperat, sævíssimis quibúsque supplíciis excruciándos, ac tetérrima morte mactándos.

℟. Vicérunt propter sánguinem Agni, et propter verbum testimónii sui; * Et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem : proptérea lætámini, cœli, et qui habitátis in eis. ℣. Imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. Et non.

LECTIO VI

Itaque Rictiovárus ingénium longo jam usu ad inhumanitátem exercitátum in omnes versávit partes, ut in Crispínum et Crispiniánum nova torménta inveníret. Eos tróchleis exténdi, ac fústibus cædi, súbulas étiam carnem inter et ungues intromítti, pellémque e dorso détrahi jubet. Quamvis autem Mártyrum córpora jam non essent nisi vulnus, nihil tamen de sua in confiténda Christo libertáte remittébant. Ad álios ígitur cruciátus confúgit devícta Præsidis rábies; sed ab ipsis cruciátibus novos ánimos novásque vires ducébant qui torquebántur; ádeo ut eórum cédere patiéntiæ coácta fúerit omnis júdicis tortorúmque immánitas . Quápropter

cum ii omne suppliciórum genus frustra consumpsíssent, tandem fortíssimis Christi pugílibus caput amputárunt. Sub invocatióne sanctórum Crispíni et Crispiniàni Suessióne tres erant Ecclésiæ, quæ ad finem usque séculi décimi octávi extitérunt: quarum una, Sancti Crispíni in Cavéa dicta, ad ripam Axónæ, juxta locum ubi passi sunt: áltera, ubi primum abscóndita fuérunt et sepúlta Mártyrum córpora, quæ póstea fuit sanctimoniálium Congregatiónis Beátæ Maríæ Vírginis; tértia, sub título Abbátiæ Sancti Crispíni Majóris, in quam beatórum Mártyrum Relíquiæ antíquitus translátæ sunt et in crypta cónditæ. Nunc autem insígnia ipsórum pígnora in Cathedráli Ecclésia religióse asserváta, piæ fidélium veneratióni quotánnis in die festo et per octávam exponúntur.

℟. Salus et glória, et virtus Deo nostro est; quia vera et justa judícia sunt ejus. * Qui judicávit de meretríce magna quæ corrúpit terram in prostitutióne sua. * Et vindicávit sánguinem servórum suórum de mánibus ejus. ℣. Hic est Deus noster, et non æstimábitur álius advérsus eum. Qui judicávit. Glória. Et vindicávit.

IN III NOCTURNO

℣. Ecce sic benedicétur homo. ℟. Qui timet Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

LECTIO VII, *Cap.* XVI. 15.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 29, in Evang.

Potest, omnis creatúræ nómine, omnis nátio géntium designári. Ante enim dictum fúerat: In viam géntium ne abiéritis; nunc autem dícitur: prædicáte omni creatúræ: ut scílicet prius a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio, tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide. Neque enim in univérso mundo tanta fidélium messis exúr-

geret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non vénissent.

℟. Numquam legístis in Scriptúris : Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli? A Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris. * Ideo dico vobis; quia auferétur a vobis regnum Dei, et dábitur genti faciénti fructus ejus. ℣. Non me invocásti, Jacob; nec laborásti in me, Israël, non obtulísti mihi aríetem holocáusti tui et víctimis tuis non glorificásti me. Ideo.

LECTIO VIII

Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat : Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet : vera étenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit : Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant. Quod cum ita sit, fídei nostræ consideratióne debémus agnóscere. Tunc enim veráciter fidéles sumus, si quod verbis promíttimus, opéribus implémus. In die quippe baptísmatis, ómnibus nos antíqui hostis opéribus atque ómnibus pompis abrenuntiáre promísimus. Itaque unusquísque vestrum ad consideratiónem suam mentis óculos redúcat; et si servat post baptísmum quod ante baptísmum spopóndit, certus jam quia fidélis est, gáudeat.

℟. Isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. * Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum. ℣. Per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes. Qui.

LECTIO IX

Signa autem eos qui creditúri sunt, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient : linguis loquéntur novis : serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, mi-

ráculis fúerat nutriénda. Quia et nos, cum arbústa plantámus, tándiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluísse videámus; at si semel radícem fíxerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit : Linguæ in signum sunt, non fidélibus, sed infidélibus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

ET PER HORAS

Ant. t. 8. Omnes sancti, * quanta passi sunt torménta, ut secúri pervenírent ad palmam mártyrii.

Psalmus, Dóminus regnávit, *cum reliquis*.

Ant. t. 8. Cum palma * ad regna pervenérunt sancti, corónas decóris meruérunt de manu Dei.

Ant. t. 1. Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt : et vivent nómina eórum in ætérnum.

Ant. t. 4. Mártyres Dómini *, Dóminum benedícite in ætérnum.

Ant. t. 8. *f.* Mártyrum chorus * laudáte Dóminum de cœlis, allelúia.

CAPITULUM. *Is.* 66. 19-20.

MITTAM ex eis qui salváti fúerint ad gentes in mare, in Africam et Lydiam tendéntes sagíttam, in Itáliam et Græciam, ad ínsulas longe, ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam. Et annuntiábunt glóriam meam géntibus, et addúcent omnes fratres vestros.

HYMNUS

AD sanctos cíneres (pígnora Mártyrum.
Sunt hæc plena Deo) cúrrite, cívitas :
Hic cunæ fídei : fúneris in sinu
Vitam plénius háusimus.

HIC quot prodígiis se Deus ásserit!
Hic surdi pátulis áuribus áudiunt :
Cæcis hic sua lux rédditur, et suus
Contráctis vigor ártubus.

HIC supplex gemat urbs : seu cálamo seges
Arescénte perit, seu mádido natat;
Imbres mox dócilis sol dabit úberes,
Aut pellet nócuos procul.

ULTOR nempe Deus, non méritæ necis
Sacris oppróbrium pensat honóribus :
Claros prodígiis ac venerábiles
Ipsos vel túmulos facit.

Patri máxima laus, máxima Filio,
Amborúmque sacro máxima Flámini,
Fulti cujus ope prælia sústinent
Contémpta nece, Mártyres.
Amen.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus.

Ad Bened. Ant. t. 1. d. Corpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem : sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

ORATIO

Deus, qui nobis per beátos mártyres tuos Crispínum et Crispiniánum veritátem Evangélii patefíeri voluísti; concéde quæsumus; ut quod ab eórum ore didícimus, grátia tua adjúti operári valeámus. Per Dóminum.

AD TERTIAM

Capitulum *de Laudibus*.

℟. *br.* Dómini est * Assúmptio nostra. Dómini. ℣. Et sancti Israel Regis nostri. Assúmptio nostra. Glória. Dómini.

℣. Laudáte Deum, omnes pópuli. ℟. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

AD SEXTAM

Capitulum. *I Thess* III. 7-8.

Ipsi scitis quemádmodum opórteat imitári nos; quóniam non inquiéti fúimus inter vos, neque gratis panem manducávimus ab áliquo; sed in labóre et in fatigatióne, nocte et die operántes ne quem vestrum gravarémus.

℟. *br.* Laudáte Deum, * Omnes pópuli. Laudáte. ℣. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus. Omnes pópuli. Glória. Laudáte Deum.

℣. Ecce sic benedicétur homo. ℟. Qui timet Dóminum.

AD NONAM

Capitulum. *I Thess* III. 3-4.

Nemo moveátur in tribulatiónibus istis; ipsi enim scitis quod in hoc pósiti sumus. Nam et cum apud vos essémus, prædicebámus vobis passúros nos tribulátiones, sicut et factum est, et scitis.

℟. *br.* Ecce sic * Benedicétur homo. Ecce. ℣. Qui timet Dóminum. * Benedicétur homo. Glória. Ecce.

℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti. ℟. Annis quibus vídimus mala.

AD VESPERAS

Ant. t. 2. Isti sunt sancti, qui pro testaménto

Dei sua córpora tradidérunt, et in sánguine Agni lavérunt stolas suas.

Psalmus, Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica, ultimo excepto, cujus loco dicitur* Crédidi.

Ant. t. 2. Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

Ant. t. 8. Sanctórum velut * áquilæ juvéntus renovábitur : florébunt sicut lílium in civitáte Dómini.

Ant. t. 7. Abstérget Deus * omnem lácrymam ab óculis sanctórum : et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor : quóniam prióra transiérunt.

Ant. t. 8. In cœléstibus regnis * sanctórum habitátio est, in ætérnum réquies eórum.

Capitulum, ut in Laudibus.

HYMNUS

Ex quo Magíster péndulus in cruce
Terris salútem partúriit Deus,
Verbo poténtes efficáci
Discípuli domuére terras

Fundata Christi sánguine, Mártyrum
Fecúnda crevit supplíciis fides :
Et mors paréntum germinávit
Multíplicem generósa prolem.

Sic vos opímas dum ségetes metit
Impúra sævi carníficis manus,
Cruóre vestro mille natas
Rellígio videt aucta fruges.

Antiqua divum fana ruunt, frequens
Jam turba lymphis ablúitur sacris;
Et plebs adorátas tot annos
Igne pio cremat ipsa quercus.

Tyranne demens, quo récidit furor?
Quot ense mactas, ímpie, víctimas,
Cœlo recéptos tot favéntes
Suppéditas fídei patrónos.

Vos ergo lecti primítiæ gregis,
Vos ergo nostræ gentis Apóstoli,
Adéste, fratres, ferte vestræ,
Ferte Deo pia vota prolis.

Laus summa Patri, súmmaque Fílio,

Sanctóque compar Spirítui decus,
Quo flante fecundátur orbis,
Christe, tibi nova gens creátur.
Amen.

℣. Quanta audívimus et cognóvimus ea. ℟. Et patres nostri narravérunt nobis!

Ad Magnif. Ant. t. 7. d. Sit memória illórum in benedictióne; et ossa eórum púllulent de loco suo, et nomen eórum pérmaneat in ætérnum, pérmanens ad fílios illórum, sanctórum virórum glória.

DIE XXVI

DE DIE II INFRA OCTAV. SS. CRISPINI ET CRISPINIANI MARTYRUM

Omnia ut in die Festi, exceptis quæ sequuntur.

IN I NOCTURNO

℣. Dómini est assúmptio nostra. ℟. Et sancti Isráël regis nostri.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

℣. Laudáte Deum omnes pópuli. ℟. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

LECTIO IV

Sermo sancti Máximi Episc. *De SS. Octava.*

Cum ómnium sanctórum Mártyrum, fratres, devotíssime natálem celebráre debeámus; tum præcípue eórum solémnitas tota nobis veneratióne curánda est, qui in nostris domicíliis próprium sánguinem profudérunt. Nam, licet univérsi sancti ubíque sint et ómnibus prosint; speciáliter illi tamen pro nobis intervéniunt, qui et supplícia pertulére pro nobis. Martyr enim cum pátitur, non sibi tantum pátitur, sed et cívibus. Sibi enim pátitur ad præmium, cívibus ad exémplum. Sibi pátitur ad quiétem, cívibus ad salútem. Exémplo eórum didícimus Christo crédere, didícimus contuméliis vitam ætérnam quærere, mortem didícimus non timére.

℟. Diláta locum tentórii tui (Jerúsalem), et pelles tabernaculórum tuórum exténde; ne parcas, * Longos fac funículos tuos et clavos tuos consólida: ad déxteram enim et ad lævam penetrábis; et semen tuum gentes hæreditábit. ℣. Deus visitávit súmere ex géntibus pópulum nómini suo, et huic concórdant verba prophetárum. Longos.

LECTIO V

Beati Mártyres non sibi solum vixérunt, non sibi solum mórtui sunt: exémplum enim nobis dedérunt, bene vivéndo, conversátiónis, tolerándo fór-

liter, passiónis. Nam ídeo Dóminus per totum mundum divérsis in locis pati Mártyres vóluit, ut tanquam idónei testes, præsénti quoque fidéles exémplo suæ confessiónis urgérent; ut fragílitas humána, quæ prædicatióni domínicæ, áditu longióre vix credit, velut præsénti Mártyrum testimónio créderet.

℟. Vicérunt propter sánguinem Agni, et propter verbum testimónii sui; * Et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: proptérea lætámini, cœli et qui habitátis in eis. ℣. Imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. Et non.

LECTIO VI

Cuncti ígitur Mártyres recoléndi sunt devotíssime; sed speciáliter ii venerándi sunt a nobis, quorum Relíquias possidémus: illi enim oratiónibus ádjuvant; isti étiam ádjuvant passióne. Cum is autem nobis familiáritas est; semper enim nobíscum sunt, nobíscum morántur: hoc est, et in córpore nos vivéntes custódiunt, et de córpore recedéntes excípiunt; hic, ne peccatórum nos labes assúmat; ibi ne inférni horror invádat. Nam ídeo hoc a majóribus provísum est, ut Sanctórum óssibus nostra córpora sociémus; ut dum illos Christus illúminat, a nobis tenebrárum calígo diffúgiat. Cum sanctis ergo Mártyribus quiescéntes, evádimus ínferi ténebras, eórum própriis méritis áttamen consócii sanctitáte.

℟. Salus, et glória, et virtus, Deo nostro est; quia vera et justa judícia sunt ejus. * Qui judicávit de meretríce magna quæ corrúpit terram in prostitutióne sua. * Et vindicávit sánguinem servórum suórum de mánibus ejus. ℣ Hic est Deus noster, et non æstimábitur álius advérsus eum. Qui judicávit. Glória. Et vindicávit.

IN III NOCTURNO

℣. Ecce sic benedicétur homo. ℟. Qui timet Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

LECTIO VII, *Cap.* 16. 15.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 29 *in Evangelia.*

Quod resurrectiónem Domínicam discípuli tarde

credidérunt, non tam illórum infírmitas, quam nostra, ut ita dicam, futúra fírmitas fuit. Ipsa namque resurréctio illis dubitántibus per multa arguménta monstráta est: quæ dum nos legéntes agnóscimus, quid áliud quam de illórum dubitatióne solidámur? Minus enim mihi María Magdaléne præstitit, quæ cítius crédidit, quam Thomas, qui diu dubitávit. Ille étenim dubitándo vúlnerum cicatríces tétigit, et de nostro péctore dubitatiónis vulnus amputávit.

℟. Nunquam legístis in Scriptúris: Lápidem quem reprobavérunt ædificántes hic factus est in caput ánguli? A Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris. * Ideo dico vobis; quia auferétur a vobis regnum Dei, et dábitur genti faciénti fructus ejus. ℣. Non me invocásti, Jacob; nec laborásti in me, Israël, non obtulísti mihi aríetem holocáusti tui et víctimis tuis non glorificásti me. Ideo.

LECTIO VIII

Ad insinuándam quoque veritátem Domínicæ resurrectiónis, notándum nobis est quid Lucas réferat, dicens: Convéscens præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent. Et post pauca: Vidéntibus illis elevátus est, et nubes suscépit eum ab óculis eórum. Notáte verba, signáte mystéria. Convéscens elevátus est. Comédit, et ascéndit: ut vidélicet per efféctum comestiónis véritas patésceret carnis. Marcus vero, priúsquam cœlum Dóminus ascéndat, cum de cortis atque infidelitátis durítia increpásse discípulos mémorat. Qua in re quid considerándum est, nisi quod idcírco Dóminus tunc discípulos increpávit, cum eos corporáliter relíquit, ut verba quæ recédens díceret, in corde audiéntium árctius impréssa remanérent.

℟. Isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. * Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum. ℣. Per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes. Qui. Glória. Qui.

LECTIO IX

De sancto Evaristo, cujus commem. in Laud. (in Breviario)

DIE XXVII

DE DIE III INFR. OCTAV. SS. CRISPINI ET CRISPINIANI. MARTYRUM

Omnia ut in die Festi, exceptis quæ sequuntur.

IN I NOCTURNO

℣. Dómini est assúmptio nostra. ℟. Et sancti Israël regis nostri.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

℣. Laudáte Deum omnes pópuli. ℟. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

LECTIO VI

De epístola S. Cypriáni Epíscopi et Mártyris ad Mártyres.

Epist. 76.

Imposuerunt cómpedes pédibus vestris, et membra felícia ac Dei templa infámibus vínculis ligavérunt; quasi cum córpore ligétur et spíritus, aut aurum vestrum ferri contagióne maculétur. Dicátis Deo homínibus, et fidem suam religiósa virtúte testántibus, ornaménta sunt ista, non víncula; nec Christianórum pedes ad infámiam cópulant, sed clarificant ad corónam. O pedes felíciter vincti, qui non a fabro, sed a Dómino resolvúntur. O pedes felíciter vincti, qui itínere salutári ad paradísum dirigúntur. O pedes in século ad præsens ligáti, ut sint semper apud Dóminum liberi.

℟. Diláta locum tentórii tui (Jerúsalem), et pelles tabernaculórum tuórum exténde; ne parcas. * Longos fac funículos tuos, et clavos tuos, consólida : ad déxteram et ad lævam penetrábis; et semen tuum gentes hæreditábit. ℣. Deus visitávit súmere ex géntibus pópulum nómini suo, et huic concórdant verba prophetárum. Longos.

LECTIO V

Quis non libénter et prompte cálicem salútis accípiat? Quis non áppetat gaudibúndus et lætus, in quo áliquid et ipse Dómino suo retríbuat? quis non pretiósam in conspéctu Dómini mortem fórtiter et constánter excípiat; placitúrus ejus óculis, qui nos in congressióne nóminis sui désuper spectans, voléntes cómprobat, ádjuvat dimicántes, vincéntes corónat, retributióne bonitátis ac pietátis patérnæ remúnerans in nobis quidquid ipse præstítit, et honórans quod ipse perfécit?

℣. Vicérunt propter sánguinem Agni, et propter verbum testimónii sui; * Et non dilexérunt ánimas suas

usque ad mortem : proptérea lætámini, cœli, et qui habitátis in eis. ℣. Imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. Et non.

LECTIO VI

Qui nunc vobis, dilectíssimi frates, consciéntiæ victrícis vigor? quæ sublímitas ánimi? quæ in sensu exultántia? qui triúmphus in péctore? unumquémque vestrum stare ad promíssum Dei præmium; de judícii die esse secúrum, ambuláre in metállo, captívo quidem córpore, sed corde regnánte; scire Christum secum esse præséntem, gaudéntem tolerántia servórum suórum per vestígia et vias suas ad regna ætérna gradéntium? Expectátis quotídie læti profectiónis vestræ salutárem diem, et jamjamque de sæculo recessúri ad mártyrum múnera, et domicília divína properátis; post has mundi ténebras visúri candidíssimam lucem, et acceptúri majórem passiónibus ómnibus et conflictatiónibus claritátem, Apóstolo contestánte et dicénte : Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis, ad superventúram claritátem quæ revelábitur in nobis. Plane quia nunc vobis in précibus efficácior sermo est, et ad impetrándum quod in pressúris pétitur facílior orátio est : pétite impénsius et rogáte, ut confessiónem ómnium nostrum dignátio divína consúmmet; ut de istis ténebris et láqueis mundi, nos quoque vobíscum íntegros et gloriósos Deus líberet; ut qui hic caritátis et pacis vínculo copuláti, contra hæreticórum injúrias et pressúras gentílium simul cœléstibus gaudeámus.

℟. Salus et glória, et virtus Deo nostro est; quia vera et justa judícia sunt ejus. * Qui judicávit, de meretríce magna quæ corrúpit terram in prostitutióne sua. * Et vindicávit de mánibus ejus. ℣. Hic est Deus noster, et non æstimábitur álius advérsus eum. Qui judicávit. Glória. Et vindicávit.

IN III NOCTURNO

℣. Ecce sic benedicétur homo. ℟. Qui timet Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

LECTIO VII, *Cap.* 16, 15.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

De Homília S. Gregórii Papæ.

Ex eadem Homilia 29.

Qui crediderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat: Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ id quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit: Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Joánnes ait: Qui dicit se nosse Deum, et mandáta ejus non custódit, mendax est.

℟. Numquam legístis in Scriptúris: Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli? A Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris. * Ideo dico vobis; quia auferétur a vobis regnum Dei, et dábitur genti faciénti fructus ejus. ℣. Non me invocásti, Jacob; nec laborásti in me, Israël, non obtulísti mihi aríetem holocáusti tui et víctimis tuis non glorificásti me. Ideo.

LECTIO VIII

Quod cum ita sit, fídei nostræ veritátem in vitæ nostræ consideratióne debémus agnóscere. Tunc enim veráciter fidéles sumus, si quod verbis promíttimus, opéribus complémus. In die quippe baptísmatis ómnibus nos antíqui hostis opéribus, atque ómnibus pompis abrenuntiáre promísimus. Itaque unusquísque vestrum ad consideratiónem suam mentis óculos redúcat, et si servat post baptísmum quod ante baptísmum spopóndit, certus jam quia fidélis est, gáudeat.

℟. Isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. * Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum. ℣. Per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes. Qui. Glória. Qui.

LECTIO IX

De Vigilia SS. Simonis et Judæ, cujus comm. in Laud. (in Breviario).

DIE XXVIII

In Festo SS. Simonis et Judæ Apostolorum non fit commem. SS. Martyrum, nisi in II Vesperis, quando de Octavâ fit die sequenti.

DIE XXIX

DE DIE V INFRA OCTAV. SS. CRISPINI ET CRISPINIANI, MARTYRUM.

Omnia ut in die Festi, exceptis quæ sequuntur :

IN I NOCTURNO

℣. Dómini est assúmptio nostra. ℟. Et sancti Israël regis nostri.

Lect. de Script. ocurr.

IN II NOCTURNO

℣. Laudáte Deum omnes pópuli. ℟. Quóniam confirmata est super nos misericórdia ejus.

LECTIO IV

Sermo S. Basílii Epíscopi.

In Psalm. 115, *circa finem.*

PRETIOSA est mors sanctórum ejus, quum vidélicet ánima per vitæ istíus currículum expurgáta, ab omni elúvie et inquinaménto carnis emancipáta ac libertáti réddita, nullam in se rétinens máculam aut rugam, duris pro pietáte agónibus jam exantlátis probáta, insigníta coróna justítiæ, perque hæc ómnia admirábili decóre virtútis interlúcens dómino suo, atque ómnium júdici se præsentárit lápide omni pretióso longe rutilántior, Dei múnere eam indépta claritátem; quonam pacto non censéri débeat pretiósa hóminis istíus mors in conspéctu Dómini?

℟. Diláta locum tentórii tui (Jerúsalem), et pelles tabernaculórum tuórum exténde : ne parcas. * Longos fac funículos tuos, et clavos tuos consólida: ad déxteram enim et ad lævam penetrábis; et semen tuum gentes hæreditábit. ℣. Deus visitávit súmere ex Géntibus pópulum nómini suo. Longos.

LECTIO V

EXITUS ítaque sanctórum virórum e vitæ istíus stádio ne lugeámus, imo fletu magis proséquenda venit ipsa natívitas et ex útero in hanc vitam progréssio. Iste enim in mundum ingréssus noster per ignomíniam fit sordéntis eluviéi ac fœdi odóris, et quorum nec prospéctum quidem unus eórum qui nos in vivis præíerit, fácile tóleret. Natúræ étenim necéssitas per ejúsmodi præscrípsit nobis et sanxit carnális generatiónis ingréssum : contra, éxitus atque hinc emigrátio pretiósa est et illústris, neque ínterim ómnium talis est, sed eórum qui vitam hanc suam sancte et juste traduxérunt. Itaque pretiósa est mors, non item pretiósa natívitas. Nam, teste Apóstolo, semi-

nátur in ignobilitáte, surgit in glória : seminátur in corruptióne, surgit in incorruptióne.

℟. Vicérunt propter sánguinem Agni, et propter verbum testimónii sui; et * Non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem : proptérea lætámini, cœli, et qui habitátis in eis. ℣. Imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. Non.

LECTIO VI

Pro legis Judáicæ ritu si qui moriebántur, horum morticínia habebántur abominatióni : contra, mors si cuípiam irrogátur pro Christi nómine, pretiósæ censéntur relíquiæ sanctórum ejus. In prióri lege dicebátur sacerdótibus et Nazaræis illud : Non contaminábitur super ullo mórtuo. Et : Si quis tetígerit cádaver, immúndus erit. Et hoc: Lavábit vestiménta sua. Nunc e divérso, Mártyris ossa quisquis attígerit, ob grátiam córpori insidéntem fit quadántenus sanctificatiónis párticeps. Quare pretiósa est in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

℟. Salus et glória, et virtus Deo nostro est; quia vera et justa judícia sunt ejus * Qui judicávit de meretríce magna, quæ corrúpit terram in prostitutióne sua; * Et vindicávit sánguinem servórum suórum de mánibus ejus. ℣. Hic est Deus noster, et non æstimábitur álius advérsus eum. Qui. Glória. Et vindicávit.

IN III NOCTURNO

℣. Ecce sic benedicétur homo. ℟. Qui timet Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

LECTIO VII, *Cap.* 16, 15.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

De Homília S. Gregórii Papæ.

Signa autem eos qui creditúri sunt hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda : quia et nos, cum arbústa

plantámus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluisse videámus; et si semel radícem fixerint, irrigátio cessábit. Hinc enim est quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus.

℟. Numquam legístis in Scriptúris: Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli? A Dómino factum est istud et est mirábile in óculis nostris? * Ideo dico vobis, quia auferétur a vobis regnum Dei, et dábitur genti faciénti fructus ejus. ℣. Non me invocásti, Jacob; nec laborásti in me Israël. Ideo.

LECTIO VIII

Habemus de his signis atque virtútibus, quæ adhuc subtílius consideráre debeámus. Sancta quippe Ecclésia quotídie spiritáliter facit, quod tunc per Apóstolos corporáliter faciébat. Nam sacerdótes ejus cum per exorcísmi grátiam manum credéntibus impónunt, et habitáre malígnos spíritus in eórum mente contradícunt, quid áliud fáciunt, nisi dæmónia ejíciunt? Et fidéles quique, qui jam vitæ véteris seculária verba derelínquunt, sancta autem mystéria ínsonant, conditóris sui laudes et póteutiam, quantum prævalent, narrant: quid áliud fáciunt, nisi novis linguis loquúntur? Qui dum bonis suis exhortatiónibus malítiam de aliénis córdibus áuferunt, serpéntes tollunt.

℟. Isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. * Qui de illis nati sunt, reliquérunt nómen narrándi laudes eórum. ℣. Per fidem vicérunt regna, operáti sunt repromissiónes. Qui. Glória. Qui.

LECTIO IX

Et dum pestíferas suasiónes áudiunt, sed tamen ad operatiónem pravam mínime pertrahúntur: mortíferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocébit. Qui quóties próximos suos in bono ópere infirmári conspíciunt, dum eis tota virtúte concúrrunt, et exémplo suæ operatiónis illórum vitam róborant, qui in própria actióne títubant, quid áliud fáciunt, nisi super ægros manus impónunt ut bene hábeant? Quæ nimírum mirácula tanto majóra sunt, spiritália: tanto majóra sunt, quanto per hæc non córpora, sed ánimæ suscitántur.

Te Deum laudámus.

DIE XXX

DE DIE VI INFRA OCTAV. SS. CRISPINI ET CRISPINIANI MARTYRUM

Omnia ut in die Festi exceptis quæ sequuntur.

IN I NOCTURNO

℣. Dómini est assúmptio nostra. ℟. Et sancti Isráël regis nostri.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO

℣. Laudáte Deum omnes pópuli. ℟. Quoniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

LECTIO IV

Sermo S. Máximi Epíscopi.

De SS. Octava.

Exemplo Mártyrum didícimus Christo crédere, didícimus contuméliis vitam ætérnam quærere, mortem didícimus non timére. Vidéte ergo quid martyribus debeámus : in quo alter tortus est, ut álius salvarétur : alter carníficem pértulit, ut Christum alter agnósceret : alter morti addíctus est, ut álius vita potirétur ætérna : et ad postrémum sanctus occísus est, ut peccátor eváderet. Beáti ígitur mártyres nec sibi vixérunt, nec sibi sunt mórtui; exémplum enim nobis reliquérunt bene vivéndo, conversatiónis, tolerándo fórtiter, passiónis.

℟. Diláta locum tentórii tui (Jerúsalem), et pelles tabernaculórum tuórum exténde; ne parcas. * Longos fac funículos tuos, et clavos tuos consólida : ad déxteram enim et ad lævam penetrábis; et semen tuum gentes hæreditábit. ℣. Deus visitávit súmere ex géntibus pópulum nómini suo, et huic concórdant verba prophetárum. Longos.

LECTIO V

Nam ídeo Dóminus per totum mundum divérsis in locis pati mártyres vóluit, ut tanquam idónei testes nos præsénti quodam fídei exémplo suæ confessiónis urgérent; ut humána fragílitas, quæ prædicatióni domínicæ audítu longióre vix credit, vel præsénti oculórum testimónio, mártyrio créderet beatórum. Cuncti ígitur Mártyres devotíssime percoléndi sunt, sed speciáliter ii venerándi sunt a nobis, quorum relíquias possidémus. Illi enim nos oratiónibus ádjuvant, ísti étiam ádjuvant passióne; cum his autem nobis familiáritas est; semper enim nobíscum sunt, nobíscum moránlur, hoc est, et in córpore nos vivéntes custódiunt, et de córpore recedéntes excípiunt.

℟. Vicérunt propter sán-

guinem Agni, et propter verbum testimónii sui; *Et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem : proptérea lætámini cœli, et qui habitátis in eis. ℣. Imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. Et non.

LECTIO VI

Cum sanctis ergo mártyribus quiescéntes evadámus ínferi ténebras, eórum própriis méritis, áttamen consócii sanctitáte. Ait enim Dóminus Petro : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam; et portæ ínferi non prævalébunt ei. Si ergo Apóstolo et Mártyri Petro inférni porta non prævalet, quisquis sociátur mártyri tártaro non tenétur. Mártyres enim inférni porta non póssidet, quóniam eos Paradísi regna suscípiunt. Nam vidémus eos hic útique jam regnáre; cérnimus enim ab eis obséssos immundíssimis dæmónibus hómines liberári; ita ut cœlésti medicína et captíva ánima de diáboli láqueis eruátur, et ipse diábolus vínculis ígneis alligátus producátur de sua captivitáte captívus; ut qui prædam paulo ante céperat, ipse subdátur in pœnam. Hæc et ália potióra mirabília per sanctos fíeri ómnibus notum est. Et ídeo, fratres venerémur eos in século quos defensóres habére póssumus in futúro.

℟. Salus et glória; et virtus Deo nostro est; quia vera et justa judícia sunt ejus. * Qui judicávit de meretríce magna quæ corrúpit terram in prostitutióne sua. * Et vindicávit sánguinem servórum suórum de mánibus ejus. ℣. Hic est Deus noster, et non æstimábitur álius advérsus eum. Qui. Glória. Et.

IN III NOCTURNO

℣. Ecce sic benedicétur homo. ℟. Qui timet Dóminum.

Illa Homilia ex præcedentibus, quæ non fuerit lecta usque adhuc.

Si sit e die XXVI, *Lectio* IX *erit sequens.*

Increpata ígitur eórum durítia, quid admonéndo dicat, audiámus : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Numquid, fratres mei, sanctum Evangélium vel insensátis rebus, vel brutis animálibus fúerat prædicándum, ut de eo discípulis dicátur : Prædicáte omni creatúræ? Sed omnis creatúræ nómine signátur homo. Omnis autem creatúræ áliquid habet homo. Habet namque commúne

esse cum lapidibus, vívere cum arbóribus, sentíre cum animálibus, intellígere cum ángelis. Si ergo commúne habet áliquid cum omni creatúra homo, juxta áliquid omnis creatúra est homo. Omni ergo creatúræ prædicátur Evangélium, cum soli hómini prædicátur.

Te Deum laudámus.

Si vero e die XXVII *sumatur Homilia, hæc erit Lectio* IX.

SED ecce si quod promísit mínime servávit, si ad exercénda prava ópera, ad concupiscéndas múndi pompas dilápsus est; videámus si jam scit plángere quod errávit. Apud misericórdem namque júdicem, nec ille fallax habétur, qui ad veritátem revértitur, étiam postquam mentítur, quia omnípotens Deus dum libénter nostram pœniténtiam súscipit, ipse suo judício hoc quod errávimus abscóndit.

Te Deum laudámus.

Vesperæ de sequenti Festo, ut infrà, et non fit comm. SS. Martyrum, neque in Laudibus.

DIE XXXI

S. QUINTINI, MART.

Duplex II Classis.

AD I VESPERAS

Psalmi de Comm. Unius Mart.; Antiph. et Capitulum de Laudibus.

HYMNUS

CIVEM Roma suum jam sibi víndicet,
Clarum patríciis dicat honóribus;
Quintínum répetit, jure vocat suum
Felix Gállia Mártyrem.

LECTA cum júvenum vénerat huc manu;
Desérta pátria, ceu tot Apóstoli,
Cæsis in stygia nocte jacéntibus
Portant lúmina Gálliis.

ILLIS ludus erant propósitæ neces :
Audébant vel oves crédere se lupis;
Omnes unánima terríbiles fide
Christo sub duce mílitant.

URBES per médias, sævit ubi furor,
Ardent ire; novos ipsa perícula
Ollis dant ánimos, quis téneat duces
Vitam fúndere pródigos?

QUINTINUS sócios férvidus émicat
Inter : Christíferi dux erat ágminis;
Vertunt, ædíficant, et bona sémina

Spargunt et simul írrigant.

Patri máxima laus, máxima Fílio,
Ambórum tibi par laus quoque, Spíritus;
Præsens Mártyribus, qui velut ébriis
Christi sánguine das mori.

Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine.

℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnificat. Ant. In confessióne vera fídei Quintínus constánter persevérans suscépit gládium et cum palma triúmphi Martyr Christi aulam cæli penetrávit.

ORATIO

Omnipotens sempitérne Deus, qui per gloriósi bella certáminis ad immortáles triúmphos Beátum Quintínum Mártyrem tuum extulísti; da córdibus nostris dignam pro ejúsdem passióne lætítiam, ut quem pio amóre ampléctimur, ejus suffrágiis adjuvémur. Per Dóminum.

In Civitate Sanquintinensi.

ORATIO

Deus qui nos, beáti Quintíni Mártyris tui ministério, Ecclésiæ tuæ fíliis aggregásti; concéde, quæsumus, ut fidem quam nobis annuntiávit, piis opéribus profiténtes, cœléstis étiam glóriæ quam torméntis pro confessióne tui nóminis hodiérna die promeruit fácias nos esse partícipes. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invitator. Regem ætérnum qui mártyrem suum in cœlis hódie corónavit Quintínum, * Veníte, adorémus.

Hymnus : Civem, Roma suum *è primis Vesperis.*

IN I NOCTURNO

Ant. Beátus Quintínus, Roma oriúndus, Dómino inspiránte, Evangélii fidem prædicatúrus, in hanc venit regiónem.

Ant. Signis et virtútibus potens, efficáci etiam sermóne multum Christo pópulum felíciter acquisívit.

Ant. Præses hunc ímpius statim apprehénsum catenísque constríctum férreis detrúdit in cárcerem.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine,

℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Lect. de Comm. Unius Mart. 1° loco.

℟ I. Dum in cárcerem traherétur, sanctus Quintínus orábat ad Dóminum, dícens: Cogitavérunt advérsum me

Deus inimíci tui mala, ne derelínquas me, Dómine, * Ne forte exalténtur. ℣. Custódi me, Dómine, de manu peccatóris, et ab homínibus iníquis erípe me. Ne forte.

℟ II. In equúleo exténsus, scorpionibúsque flagellátus, supplícia constantíssime sustinébat, * Cæsúsque Deum glorificábat. ℣ Et ad minas sæviéntis præsidis impertérritus ipse étiam torménta despiciébat. Cæsúsque.

℟ III. Membra distórta tróchleis, rostris laceráta férreis et flammis adústa non querebátur Christi miles, * Parátus ad extréma quæque pro Dei nómine perferénda : ℣. Oleo, picéque fervénti perfúsus, et acéto, calce, sinapíque potátus, non obmurmurávit. Parátus. Glória. Parátus.

IN II NOCTURNO

Ant. Quintínus ingréssus cárcerem, ángelum Dei méruit consórtem habére.

Ant. Præses Christi mílitem terrére nítitur, sed constánter ille respóndet : Minas tuas non tímeo, quia Christus mihi refrigérium præstábit.

Ant. Tum Rictiovárus excandéscens jussit eum duríssimis torméntis crudelíssime lacerári.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus.

℟ Corónam de lápide pretióso.

LECTIO IV

SANCTUS Quintínus, Romæ senatória stirpe progénitus, imménso Christi amóre quo intérius ardébat, pátriam et paréntes sponte deséruit, ac simul cum Luciáno, aliísque nonnúllis, Ambiánum Gálliæ civitátem mártyrii desidério se contulit. Luciáno itaque Bellóvacum profécto, ipse Ambiáni agónis sui tempus expectábat, Christi nomen cunctis annúntians; nec solum doctrína et verbo, sed váriis étiam miraculórum testimóniis ejus fidem confírmans. Quibus audítis, Rictiovárus Galliárum Præféctus, immáni furóre corréptus, Quintínum caténis vinctum in cárcerem misit, moxque sequénti die constantíssime respondéntem, ac Christum apérte confiténtem, duríssimis flagéllis cædi, iterúmque horréndum in ergástulum addúci mandávit. Nocte vero sequénti, ab Angelo vínculis eréptus, per médias cárceris custódias illæsus tránsiit, rectáque ad urbis forum conténdit : ubi, advocáta concióne, de Christiánæ Religiónis fideíque mystériis luculén-

ter disserens, ingéntem pópuli multitúdinem, imo et ipsos cárceris custódes, de ténebris in admirábile Christi lumen tradúxit.

℟. Beáto Quintíno súbulis extrémi dígiti configúntur, et augétur constántia; taríngis húmeri transfodiúntur. * Et in gratiárum actióne persevérat. ℣. Caténis ignítis sublímis librátur. Et in.

LECTIO V

Quod animadvértens Præféctus, tróchlea eum torquéri jussit tanta crudelitáte, ut membra suis solúta junctúris, ingéntem spectántibus horrórem incúterent. Mártyre vero in eádem fídei confessióne alácriter exultánte, Præféctus restículis férreis eum cædi, óleo candénti, pice et ádipe ferventíssimo perfúndi, faces dénique ardéntes applicári jussit : ut vel flammis coáctus sibi asséńsum aliquándo præbéret. Cumque in Augústam Veromanduórum póstea crudéliter pertráctus fortis Athléta Christi in propósito perseveráret, Rictiovárus duábus súdibus férreis a cervíce ad crura usque transfígi eum imperávit, paritérque decem clavis dígitos omnes, inter ungues et carnem terebrári, ut vel immódico dolóre defíceret, vel céderet superátus. Ad extrémum invíctus Martyr, cápitis a Præfécto damnátus, mártyrii certámen felíciter absólvit prídie caléndas Novémbris.

℟. Mártyrem Dómini non ignes aut gládii nec torménta víncere potuérunt, * Quia illum firmáverat Spíritus sanctus. ℣. In fide Christi constánter persevérans, cum pœnis vicit et tyránnum. Quia.

LECTIO VI

Corpus ejus in Suminam projéctum Eusébia pia múlier, post annos quinquagínta quinque, Angelo reveláňte, invénit, in monte juxta urbem sepelívit, sacellúmque túmulo superstrúxit. Cum autem ob Vandalórum, Hunnorúmque infestatiónes, ignótus fuisset sepúlcri locus, beáto Elígio Epíscopo Novioménsi Deus patefécit. Hic edúctas in lucem Relíquias honestióri loco pósuit, tumulúmque miro ópere désuper fabricávit, ex auro, argénto, et gemmis, auxítque ecclésiam Quintíni nómine olim ædificátam; quæ póstea in insígnem exsurréxit Basílicam in qua illústre canonicórum collégium usque ad finem séculi décimi octávi flóruit. In hac eádem Basílica, hucúsque asservántur pre-

tiósæ sancti Mártyris Relíquiæ, et magno populórum concúrsu religióse celebrántur.

℟. A Præside damnátus ad mortem, velut agnus ad locum immolatiónis prosperávit : * Et secúri cervícem submíttens extrémum agónem et ánimam Deo commendávit. ℣. Afflíctus autem multis et acérrimis pœnis resolutíonem sui córporis postulábat. Et secúri. Glória. Et secúri.

IN III NOCTURNO

Ant. In pœnis hujus mártyris, non carcer caténas; nec ignis ferrum exclúdit, sed ómnia ei torménta páriter adhibéntur.

Ant. Sanctus vero Christi fámulus nullum dolórem sentiébat, nam Spíritus sanctus divíno eum protegébat auxílio.

Ant. Quintínus ígitur ómnia pro Christi nómine patiénter tólerans, regna cœléstia coronátus introívit.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo.

℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII, *Cap.* 10.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere. Et réliqua.

Homília sancti Augústini Epíscopi.

Serm. 227, nº 2.

Ecce hoc atténdite, et fidem vestram interrogáte. Sanctus martyr, si formídine tormentórum negáret Christum, viderétur córpori pepercísse, quadam autem conditióne mortáli, córpore solverétur. Quid ágeret in resurectióne cum in ætérnum ignem præcipitarétur a Christo. Qui negáverit me, inquit, coram homínibus, negábo eum coram Patre meo qui est in cœlis. Ecce negáret, quiéscerent illi tortóres, et vulneráto ánimo sanum esset corpus. Quid prodésset in ætérnum mórtuo brevis córporis vita? Veníret dies quam commémorat Dóminus, quando omnes qui in monuméntis sunt, áudient vocem ejus, et procédent, sed cum magna differéntia. Omnes procédent, sed non omnes ad eámdem rem procédent. Omnes surrectúri, sed non omnes immutándi. Qui enim bene fecérunt, inquit, in resurrectiónem vitæ; qui autem male, in resurrectiónem judícii.

℟. Vox de cœlo audíta

intónuit super sanctum mártyrem: * Quintíne, serve fidélis, veni et áccipe corónam tibi præparátam. ℣. Prostrátus autem gládio beátus Quintínus sic ad cœlos de terris vocátus est. Quintíne.

LECTIO VIII

Judicium autem cum audis, ne tibi tanquam de temporáli judício blandiáris; pónitur judícium pro pœna ætérna. Secúndum hoc dictum est. Qui autem non credit, jam judicátus est. Hæc ergo differéntia separatúra est justos ab injústis, fidéles ab infidélibus, confessóres a negatóribus amatóres vitæ peritúræ, ab amatóribus vitæ ætérnæ. * Separatúra est illa discrétio; et ibunt justi in vítam ætérnam, ímpii vero in ignem ætérnum. Ibi cum córpore torquebúntur, qui córpori pepercérunt. Timéndo enim torménta córporis, córpori pepercérunt, et parcéndo córpori, Christum negavérunt, et negándo Christum pœnas ætérnas étiam córpori distulérunt. Si distulérunt, numquid abstulérunt?

℟. Solémnis nobis illúxit dies beatíssimi Quintíni passióne consecrátus, qui pro Christo móriens in cœléstis aulæ glóriam introívit * Cum sanctis regnatúrus in perpétuum. ℣. Ora ergo pro nobis, invícte Martyr, Dóminum Jesum Christum a quo hódie gloriósi certáminis corónam accepísti. Cum sanctis. Glória. Cum sanctis.

LECTIO IX

De Vigilia Omnium Sanctorum (in Breviario). *Ubi S. Quintinus est patronus et celebratur sub ritu duplici I Classis non legitur Homilia Vigiliæ cujus nulla fit commemoratio, sed Lectio* VIII *in duas partes dividitur ad signum* *

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. Sanctus Quintínus, Christi Martyr, qui nec blandiméntis, nec terróribus cessit; cunctis ígnibus et torméntis insuperábilis éxtitit.

Ant. Ardens namque miles Christi flamma divíni Spíritus, córporis contémpsit cruciátus.

Ant. Dixítque Quintínus ad ímpium Præféctum: numquid scis, o sæve Præses, quia quæ pátior, non pœnas sed refrigérium æstimo?

Ant. Dum autem Christo immolándus ducerétur, benedicébat Dóminum dicens: Dómine Jesu Christe, Deus de Deo, súscipe

jam ánimam quam dedísti.

Ant. Et vox de cœlo audíta est dicens : Quintíne, serve fidélis, veni et áccipe corónam quam tibi preparávi.

CAPITULUM *de Communi.*

BEATUS vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

HYMNUS

QUINTINUS rápitur, dux gregis et caput;
Qualis pompa necis! párcite, bárbari;
An tot supplíciis débitus ínnocens?
An tot præda leónibus?

LENTIS diláccrat vimínibus cutem.
Costas éffera gens vérbere détegit :
Sulcant corpus; arant déntibus ásperis
Rubri sánguine péctines.

ICTUS ingéminant, scissa volat caro :
Per partes lácerum corpus abit, feræ
Gentis ludíbrium : mens manet íntegra,
Torti córporis ímmemor.

ADDUNT vulnéribus dum nova vúlnera,
Unum vulnus erat; víscera Mártyris
Quando nuda patent, illíus íntimam
Riméris pénitus fidem.

ET nos, christíadæ, blanda per ótia,
Vitæ delícias quærimus ánxii!
Nostram segnítiem dúrius íncrepant,
Fuso sánguine, Mártyres

PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Ambórum tibi par laus quoque Spíritus,
Præsens mártyribus, qui velut ébriis
Christi sánguine das mori.
Amen.

℣. Justus ut palma florébit.
℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Benedictus. Ant. Mílites autem districto gládio caput ejus amputavérunt, et statim visa est ejus ánima spécie colúmbæ cándidæ ad cœlos evoláre, Allelúia.

ORATIO

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui per gloriósi bella certáminis ad immortáles triúmphos Beátum

Quintinum Mártyrem tuum extulísti; da córdibus nostris dignam pro ejúsdem passióne lætítiam, ut quem pio amóre ampléctimur, ejus suffrágiis adjuvémur. Per Dóminum.

In Civitate Sanquintinensi.

ORATIO

Deus qui nos, beáti Quintíni Mártyris tui ministério, Ecclésiæ tuæ fíliis aggregásti; concéde, quæsumus, ut fidem quam nobis annuntiávit, piis opéribus profiténtes, cœléstis étiam glóriæ, quam torméntis pro confessióne tui nóminis hodiérna die proméruit, fácias nos esse partícipes. Per Dóminum.

Et fit comm. Vigiliæ tantum, per ant. et ℣ de fer. occurr. et orat. seq.

ORATIO

Domine Deus noster, multíplica super nos grátiam tuam: et quorum prævénimus gloriósa solémnia; tríbue súbsequi in sancta professióne lætítiam. Per Dóminum.

AD TERTIAM

CAPITULUM Beátus vir, *de Laudibus.*

℟. *br.* Glória et honóre * Coronásti eum, Dómine, Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória. Glória et honóre.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus.

℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM

CAPITULUM. *Eccli.* 15. 3.

Cibavit illum pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum Dóminus Deus noster.

℟. *br.* Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM

CAPITULUM. *Eccli.* 39. 6.

Justus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. *br.* Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna est. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári. Glória. Magna est.

℣. Justus ut palma florébit.

℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Vesperæ sunt de Festo Omnium Sanctorum, etiam in Ecclesiis quarum

S. Quintinus est Patronus, et fit commemoratio S. Quintini :

Ant. Sanctus vir Quintinus, martyr Dómini, qui pro ejus amóre sánguinem suum fudit. Beátus miles Christi corónatus jam gaudet in regnis cœléstibus.

℣. Justus ut palma florébit.

℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio ut in Laudibus.

Deinde fit commem. Octavæ SS. Crispini et Crispiniani ut in I Vesperis festi.

Ant. t. 7. g. Ecce super montes pedes evangelizántis et annuntiántis pacem. Célebra, Juda, festivitátes tuas, et redde vota tua? quia non adjíciet ultra ut pertránseat in te Bélial : univérsus intériit.

℣. Pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum.

℟. Quia prospéxit de excélso sancto tuo.

ORATIO

Deus, qui nobis per Beátos Mártyres tuos Crispínum et Crispiniánum veritátem Evangélii patefíeri voluísti; concéde, quæsumus, ut quod ab eórum ore didícimus, grátia tua adjúti operári valeámus. Per Dóminum.

FESTA NOVEMBRIS

DIE I

IN FESTO SANCTORUM OMNIUM

Ad Laudes et Vesp. fit comm. Octavæ SS. Crispini et Crispiniani.

IN LAUDIBUS

Ant. t. 1 d. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem : sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini.

℟. Mors sanctórum ejus.

Oratio : Deus, *ut supra.*

IN VESPERIS

Ant. t. 7. d. Sit memória illórum in benedictióne et ossa eórum púllulent de loco suo et nomen eórum permáneat in ætérnum, pérmanens ad fílios illórum, sanctórum virórum glória.

℣. Quanta audívimus et cognóvimus ea.

℟. Et patres nostri narravérunt nobis.

Oratio ut supra.

DIE VII

COMMEM. S. GODEFRIDI EPISC. ET CONF.

Oratio : Exáudi, *de Communi.*

LECTIO IX

Godefridus in Molicúrte, pagi Suessionénsis prædio, ingénuis paréntibus natus, statim ab ortu ad Godefrídum Abbátem Sancti Quintíni prope Perónam delátus, ab eo baptísmum et nomen accépit. Inter mónachos ascríptus, brevi æquáles sciéntia, sanctitáte, ingénii morúmque maturitáte superávit. Vix quintum et vigésimum annum attígerat, cum ad presbyterátum evéctus et monastério Novigenténsi, in pago Laudunénsi, præpŏsitus est. Monastérium porro, eo regénte, intra paucos annos sic reflóruit, ut plures quoque Abbátes eo recésserint, sanctíssimi Abbátis disciplínæ obtemperáre maléntes, quam in suis monastériis imperáre. Non multo post, commúnibus Cleri populíque Ambianénsis suffrágiis in Antístitem est eléctus, nec nisi Concílii Trecénsis império coáctus, lacrymántibus ubértim óculis, delátam sibi dignitátem acceptávit. Ubi primum Ambiános venit, pascéndo gregi totum se devóvit, aléndis paupéribus, víduis ac pupíllis tuéndis, móribus tam Cleri quam pópuli reformándis assídue occupátus, multis intérea óbvius perículis e quibus divínitus est liberátus. Viennénsi concílio præfuit. Post annos áliquot, relíctis ómnibus ut uni Deo vacáret, Carthúsiam magnam pétiit, ibíque mansísset, nisi tum per synódicas Suessionénsis Concílii lítteras, tum Ludovíci sexti jussu, ad suam sedem revocátus fuísset. Tandem plenus méritis et opéribus bonis, cum sedis suæ abdicatiónem postulatúrus Remos péteret, in monastério Sancti Crispíni Suessionénsis, quinquagenárius obdormívit in Dómino, sexto Idus Novémbris, anno Episcopátus sui undécimo.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Godefridi.

DIE XIII

S. STANISLAI KOSTKÆ CONF.

Duplex.

(*Transf. S. Didacus in* 16 *huj.*)

Omnia ut in Breviario *aut in Supplem. pro aliquibus locis.*

DIE XVI

S. DIDACI CONF.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario, *sub die* 13 *huj.*

DIE XVIII

COMM. S. MOMBOLI CONF.

Oratio : Intercéssio, *de Communi.*

LECTIO IX

Mombolus, qui et Mumbolénus, postquam a Latiniacénsi monastério cum paucis frátribus decéssit, in quemdam locum pagi Novioménsis, Gundarínum vocábulo, super flúvium Isaram venit. Is a beáto Elígio présbyter consecrátus, facultátem prædicándi per totam illam Diœcesim accépit. Apud Gundarínum mórtuus est décimo quarto kaléndas Decémbris, ibíque sepúltus est. Corpus ejus póstea translátum fuit ad cœnóbium Fontis Sancti Elígii prope Calniácum ad Isaram, ubi usque ad finem séculi décimi octávi honorífice asservátum, religióse colebátur.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Momboli.

DIE XX

COMM. S. AUTBOTI, CONF. NON PONT.

Oratio : Deus qui, *de Communi.*

LECTIO IX

Autbotus, religióni amplificándæ studióse incúmbens, in Atrébatum fínibus, unde oriúndus créditur, Evangélium gentílibus annuntiávit, e quibus multos Christo lucrári méruit. Máximis illústris virtútibus, Laudúnum se cóntulit, ut Vírgini Deíparæ labórum suórum fructus offérret in basílica ad ejus honórem nuper eréeta, quæ fidélium úndique confluéntium frequéntia jam célebris eváserat. Ibi ánimam Deo réddidit servus Dei, ante et post mortem miráculis clarus. Insígnes sancti Confessóris Relíquiæ in Ecclésia Burgi Petrapóntis quiéscunt, ubi fidélium veneratióne frequentántur.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Autboti.

FESTA DECEMBRIS

DIE I

S. ELIGII PONT. ET CONF.

Duplex majus.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

ORATIO

Deus qui beátum Elígium, paúperum patrem et glóriæ sanctórum zelatórem exímium in Ecclésia tua suscitásti : da quæsumus; ut pietátem et charitátem ejus

æmulántes, ætérnam cum ipso mercédem obtinére mereámur. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO

Lect. de Communi Conf. Pont.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Eligius, Lémovix, aurífaber indústrius, relícta pátria, in Fránciam se cóntulit, ubi, perítiæ suæ fama, Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram sacerdóte; et perácta gravi pœniténtia, de reconciliatióne sua divínitus cértior factus est. Ex eo témpore, in ópera pietátis omni stúdio incúbuit; nam étiam cum artem exercébat subínde in sacros códices intendébat óculos, ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébant hnmánis. Quidquid vero arte sua comparábat, illud totum fovéndis egénis et captívis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio rediméndis, erogábat. Hinc tantus ad eum páuperum concúrsus, ut quærénti domum Elígii dicerétur : Ubi páuperum cœtum conspéxeris, illic et Elígium repéries. Intra domum autem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera canónicum cursum fidéliter adimplébant.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V

Clotario accéptus fúerat; non minus accéptus fuit et Dagobérto, a quo ad Aremoricórum regem, pacis componéndæ causa, missus, reges ambos felíci fœdere sociávit. Vária ejus hortátu et impénsis extrúcta sunt templa et monastéria. Solemniacénse in Lemovícibus cœnóbium cóndidit; Parísiis monastérium vírginum, ad quarum córpora sepeliénda Ecclésiam sancti Pauli contrúxit. Instaurávit ibídem basílicam beáti Martiális, in quam cum sancti Epíscopi relíquiæ deportaréntur, procederéntque juxta cárcerem ex Elígii consílio psalléntium chori, óstia obseráta vinctis cœlitus patuérunt. Plúrima divérsis tempóribus auro, argénto et gemmis ornávit sepúlcra sanctórum, Germáni vidélicet, Severíni Agaunénsis, Martíni, Quintíni, Crispíni et Crispiniáni,

Genovéfæ et aliórum; et mausolæum imprímis mártyris Dionysii miro artifício decorávit. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoníacam labem quæ altas in Gállia radíces égerat, junctis cum Audoéno stúdiis, extirpávit; effecítque cum eo, ne quis deínceps epíscopus eligerétur, nisi qui integritáte morum céteris præfúlgeret.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI

TOT in Ecclésiam méritis clarus, mórtuo Achário, diœcesi Novioménsi præpósitus est. In eo órdine non modo salúti gregis sibi commíssi consúluit, sed et Flandros ac Frísios aliósque ad Septentriónem pópulos, non sine magno labóre, et vitæ discrímine ad Christum addúxit. Noviómi extrúxit monastérium, ubi et congregatiónem magnam, et vitæ institutiónem distríctam índidit. Sed et ália multa monastéria, tum ejus ópere, cum a discípulis ejus constrúcta intra Gállias noscúntur. Sedit in concílio Cabilonénsi secúndo. Multa præclare scripsit; ejécit dæmónes, futúra prædíxit; áliis miráculis illústris, Noviómi óbiit septuagenárius. Ejus funus Regína Bathíldis, pedes nec sine lácrymis, cum líberis et tota família prosecúta est.

℟. Iste est qui.

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII, *Cap.* 24.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Elígii Epíscopi.

S. Aud. in ejus vita. Lib. 2, *c.* 15.

CONSIDERATE, fratres, quia opórtet me sine cessatióne vestros ánimos ad treméndum Dei judícium, et ad desiderándum cœléste præmium excitáre, ut vobíscum páriter mérear in Angelórum consórtio, perpétua pace gaudére : ideóque rogo ut diem judícii semper pertimescátis, diem mortis suspéctum quotídie ante óculos habeátis. Consideráte quales éritis præsentándi conspéctibus Angelórum, vel qualem pro méritis vicissitúdinem receptúri : si potuéritis in illo die illibátum reférre quod

in baptísmo promisístis. Mementóte quia tunc pactum cum Deo fecístis, atque abrenuntiáre vos diábolo et ómnibus opéribus ejus in ipso Baptísmi sacraménto promisístis.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et.

LECTIO VIII

Ecce prædíxi vobis simplíciter, ut intellígere possítis quæ sunt unicuíque ventúra. Nemo jam se de ignorántia excusáre póterit, quóniam vita et mors vobis prænuntiáta sunt. Jam vero in arbítrio vestro consístit elígere quod teneátis : unusquísque enim quod hic concupíverit et assecútus fúerit, hoc útique illic possidébit. Vitam ergo ætérnam toto nisu concupíscite : nec emendatiónem vestram diútius differátis, sed ad lucránda cœléstia regna ultro ipsi relínquite, quod in lucis istíus fine perdéndum est. Surgat, jam quæso, quicúmque peccáti caténa astríctus tenétur; et expergefáctus a somno suæ mortis, evígilet : recúrrat ad confessiónem, et agat pœniténtiam.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

LECTIO IX

Hæc nos, fratres, diébus ac nóctibus memória refóveat : hæc nos præcépta frequénter sollícitent. Débitum vitæ finem jamjámque affutúrum putémus ; vicinúmque sperémus mortis diem, quem longínquum esse nescímus. Modo emendémus quod delíquimus, ne tunc pœnitére incipiámus, quando jam non valébimus. Erit quidem et in inférno pœniténtia, sed omníno infructuósa. Erit ibi pœniténtia dolórem habens, sed jam medicínam non habens : ibíque nullátenus póterit a Deo promeréri quod petit, qui hic nolúerit audíre quod Deus jussit.

Te Deum laudámus.

In II Vesp. comm. sequentis (in Breviario).

APPENDIX DE SANCTIS

ECCLESIARUM AUT PARŒCIARUM PATRONIS

FESTA AUGUSTI

DIE XXVIII

S. JULIANI MART.

Omnia de Communi Unius Mart. præter seq.

Oratio : Præsta, quæsumus... ut intercedénte, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi Plurim. Martyr. 1° *loco :* Fratres debitóres.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Ex libro sancti Greg. Tur. de Miraculis.

Lib. 2. *Cap.* 1.

JULIANUS, Viennénsi ortus urbe, cum esset apud Beátum Ferréolum, cujus in milítia comes erat, jam tunc martyrii ardóre flagrábat. Relíctis divítiis ac propínquis, ob solíus amórem martyrii, cóntulit se in Arvérnum territórium, ut facílius perveníret ad palmam; metuébat enim ne ei paréntes essent óbvii, si inter eos hoc certámen iniísset, et pérderet miles Christi corónam glóriæ, si legítime non certásset.

LECTIO V

IGITUR, instánte persecutióne, ad Brivaténsem vicum, in quo fanátici erróris næniæ colebántur, advénit. Et cum ínsequi adversários nutu Dei sensísset: Nolo, ait, diútius commorári in hoc sæculo, quia sítio tota ánimi aviditáte jam Christum. At illi, edúctam vibránti déxtera frámeam, deciso cápite, in tres, ut ita dicam, partes, gloriósus divíditur Martyr. Nam caput Viénnam defértur, artus Briváte recondúntur, felix ánima a Christo conditóre suscípitur.

LECTIO VI

De expositione S. Ambrosii Episcopi in Psalmum centesimum decimum octavum : Principes persecúti sunt, *de Communi,* 2° *loco.*

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII, *Cap.* 10. 26.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis :

Nihil est opértum, quod non revelábitur, et occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

LECTIO VII

Comm. in Mat. cap. 10 *post medium.*

Dominus diem judícii osténdit, quæ abstrúsam voluntatis nostræ consciéntiam prodet : et ea, quæ nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicæ déteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántium monet esse metuéndas : quia dies judícii nulla hæc fuísse atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dicite in lúmine : et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Non légimus Dóminum sólitum fuísse nóctibus sermocinári, et doctrínam in ténebris tradidísse : sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebræ sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

LECTIO VIII

Itaque id, quod a se dictum est, cum libertáte fídei et confessiónis vult esse loquéndum. Idcírco quæ in ténebris dicta sunt prædicári jussit in lúmine ut quæ secréto aúrium commíssa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium præcónio audiántur. Constánter enim Dei ingerénda cognítio est, et profúndum doctrínæ Evangélicæ secrétum in lúmine prædicatiónis Apostólicæ reveländum : non timéntes eos, quibus cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est : sed timéntes pótius Deum, cui perdéndæ in gehénna et animæ et córporis sit potéstas.

LECTIO IX

Nolite timére eos qui occídunt corpus. Nullus ígitur córporum nostrórum casus est pertimescéndus, neque ullus interiméndæ carnis admitténdus est dolor, quando pro natúræ suæ atque oríginis conditióne resolúta, in substántiam spirituális ánimæ refundátur. Et quia doctrínis tálibus confirmátos opórtet líberam confitendi Dei habére constántiam, étiam conditiónen, qua tenerémur, adjécit : negatúrum se eum Patri in cœlis, qui se homínibus in terra negásset; eum porro, qui conféssus coram homínibus se fuísset, a se in cœlis confiténdum : qualésque nos nóminis sui testes homínibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimónio ejus usúros.

DIE XXIX

S. THEODULPHI EPISC. CONF.

Omnia de Communi Confess. Pontif. præter seq.

Oratio : Exáudi, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi, 2° *loco* : Laudémus víros gloriósos.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

THEODULPHUS, Laubacénsi in Hannónia monastério tértius post sanctum Ermínum fuit præféctus; quo in múnere et consummátæ prudéntiæ et perféctæ sanctitátis dedit specímina, sub Pippíno príncipe et Cárolo rege. Is sicut quidam decessóres ejus, Episcopáli dignitáte, absque diœcesi, fuit decorátus. Obiit anno septuagésimo sexto. Corpus ejus e terra levátum est circa annum millésimum centésimum tértium, et ad Ercliam in pago Laudunénsi, ob fidem suscitándam allátum. Sacræ relíquiæ per vicos istíus regiónis circumdúctæ ubíque miráculis claruérunt; unde una ex Ecclésiis Ercliæ, nunc sancti Ermíni dictæ, beáti Theodúlphi patrocínio se commísit. Póstea vero corpus ejus Laubácum redúctum est, et postrémo in Ecclésia canonicórum Laubacénsium urbis Bínchii depósitum.

LECTIO V

Beáti Patris, *ut in Comm.* 2° *loco.*

LECTIO VI

Quantis, *ex eodem loco.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium Vigilate, *de Comm.*, 2° *loco.*

DIE XXX

S. FIACRII CONF. NON PONT.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter seq.

Oratio : Adésto, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi : Beátus vir, 2° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

FIACRIUS, qui et Fefrus, in Hybérnia nobílibus paréntibus ortus, Meldos ad sanctum Farónem solitáriæ vitæ desidério cum áliquot sóciis venit. Cujus votis ánnuens beátus Póntifex, locum a turbis remótum et silvis circumtéctum e património suo, nomine Brógilum, illi concéssit. Ibi Fiácrius, evúlsis arbóribus, monastérium in honórem sanctíssimæ Vírginis constrúxit in quo peregrínos et hóspites excipiébat, exígua

sibi, seórsum ædificáta domo. Cum autem virtútum ejus fama longe diffunderétur, undequáque ad eum adducebántur infírmi quos sola mánuum impositióne sanitáti restituébat. Mulíeres oratórii sui áditu omníno prohíbuit; miráculis illústris, labénte séptimo sæculo, vita functus est.

LECTIO V

Deridétur justi simplícitas, *de Communi*, 2° *loco*.

LECTIO VI

At contra, *ex eodem loco*.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangel. Nolite timére, 2° *loco*.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE I VEL II

Juxta Ecclesiarum consuetudinem.

S. LUPI EPISCOPI CONF.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter seq.

Oratio : Da quæsumus, *de Communi*.

IN I NOCTURNO

Lectiones Fidélis Sermo, *de Communi*, 1° *loco*.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Lupus in território Aurelianénsi ex nóbili génere ortus, ab Epíscopis Aurelianénsi et Autissiodórensi avúnculis suis, propter déditos religióni mores, adhuc puer in Clerum cooptátus est. Cum ætate crescéntibus sciéntia meritísque, Artémio in Cáthedra Senonénsi suffectus est. Quo in múnere admirándis tum pietátis, tum sollicitúdinis pastorális, tum patiéntiæ opéribus elúxit. Váriis calúmniis impétitus in aula Theodórici Burgundiórum regis, contra detrahéntes hoc reponébat : Nihil aliórum dicta nocent ei quem própria non máculat consciéntia.

LECTIO V

Post Theodórici mortem Sanctus Póntifex, serváta Sigebérto, fílio ejus, intemeráta fide, missas a Clotário Secundo contra Sénones cópias suis ad Deum précibus répulit. Unde Clotárius Burgundiórum regno potítus, invísum sibi Præsulem in Néustriam relegávit. Ibi cum multos infidéles Lupus ad veri Dei cultum adduxísset, cógnita tandem ejus innocéntia, Clotárius eum ab exilio revocávit, et ad pedes ejus advolútus véniam deprecátus est.

LECTIO VI

In prædio Briennonénsi suæ Diœcesis óbiit Lupus vitæ sanctitáte et miráculis clarus. Sepúltus est, ut ipse jússerat, sub stillicídio véteris Basílicæ san-

ctæ Colúmbæ, quam singulári cultu semper fúerat prosecútus. Inter paróchias quæ patrónum habent beátum Lupum una est in agro Laudunénsi, in qua ejus memória magno peregrinórum præsértim epilépsi correptórum concúrsu quotánnis per novem contínuos dies celebrátur.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evang. Homo perégre, *de Communi, 1° loco.*

DIE IV

S. MARCELLI MARTYRIS

Omnia de Comm. Unius Mart. præter seq.

Oratio : Præsta, quæsumus... ut qui, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Comm. Fratres, debitóres, *de Communi Plurim. Mart. 1° loco.*

IN II NOCTURNO

MARCELLUS in persecutióne Antoníni Veri, unus ex quinquagínta Mártyribus qui in ergástulis Lugdúni sub arcta custódia detinebántur, patefácto divínitus cárcere, una cum Valeriáno aufúgit. Cumque Latínum quemdam, a quo Cabilóne hospítio suscéptus fúerat, cum omni domo sua convertísset ad Christum, Argentomagénsis ágeris vicum pétiit. Ibi forte in Priscum Præsidem diis suis immolántem incúrrens, ab eóque ad profánum convívium invitátus, non ábnuit modo, sed étiam convívas ácriter reprehéndit. Quámobrem irátus veheménter Præses, inaudíto supplícii génere, vivum in terram ad renes usque défodi jussit, sicque rectum stare. In hunc modum, secúndo a Cabilóne milliário, tértio die, in Dei láudibus persevérans, réddidit spíritum. Guntchrámnus rex super ejus túmulum basílicam cum monastério extrúxit.

LECTIO V

De expositione S. Ambrosii Episcopi in Psalmum 119 : Príncipes persecúti sunt, *de Communi 2° loco.*

LECTIO VI

Vere frustra, *ex eodem loco.*

IN III NOCTURNO

Léctio Sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII

IN illo témpore, dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbritrári quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homília S. Joannis Chrysóstomi.

LECTIO VII

(*Hom.* 36 *in Math.*).

Non dixit bellum, sed quod atrócius est, gládium. Quod si acérbius hæc et minus compósite dicta tibi videántur, nequáquam miréris. Nam ne suspicári quis posset verbórum lenocíniis alléctos a Christo fuísse Apóstolos; ac étiam ut asperitáte verbórum ad injústas contumélias audítum præparet, non jucúnde rem ásperam, sed aspérrime atque duríssime prótulit.

LECTIO VIII

Nec ista sibi suffecérunt, sed látius natúram istíus belli ac síngulas partes amplíficans, omni bello intestíno atque civíli multo magis pestíferum osténdit, dicens : Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum et fíliam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suum et inimíci hóminis doméstici ejus.

LECTIO IX

Magnum enim omníno ac super hóminem ést, quod qui primi hæc audiérint, libénter suscípere et áliis persuadére potúerant, et quanquam non ipse, sed hóminum impróbitas horum ómnium causa futúra esset, se tamen factúrum ómnia dicet; talis quippe scripturárum est consuetúdo, ut enim étiam alibi dícitur : Dedit ipsis Deus óculos ne vídeant; sic étiam in hoc loco : et quemádmodum díximus, hæc ómnia præmeditáti atque his verbis stabilíti, cum oppróbriis et contuméliis peteréntur, minus turbári possent.

DIE XV

S. LEOBINI EPISCOPI CONF.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter seq.

Oratio : Exáudi, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Comm. 2° *loco.* Laudémus viros.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Beatus Léobinus in Pictavórum urbe, ineúnte século sexto, natus, témpore Childebérti, Regis Francórum, cláruit. Prima ab infántia summum discéndi stúdium prætulit, vixque adúltus, monásterium ingréssus est in quo, depósita coma, assídue oratióni et lectióni vacábat. Octo vero post annos, pietátis et sciéntiæ augendárum causa, Lirinénse monastérium pétere incípiens, in ínsula Bárbara, juxta Lugdúnum, apud beátum Lupum, cujus fama in dies crescébat, humíliter se recépit. Cum

Francórum exércitus Burgundiónum genti bellum attulísset, bárbari mílites prædíctam ínsulam invasérunt, et monásterio díruto sanctum monáchum váriis sævitiárum genéribus exercuérunt. Inde cum duóbus frátribus beátus Leóbinus Sanctum Avítum ádiit in vasta Pértici solitúdine vitam eremíticam agéntem, et post ejus mortem, in locum Carbonáriam dictum secéssit; hoc fere témpore, ab Ethério, Carnuténsi Epíscopo, présbyter ordinátus est, et post plures annos illi mórtuo succéssor suffféctus, rege Childebérto et pópulo unánimi voce suffragántibus. Qui quidem gregem suum pascens, omni virtútum génere, sequéntibus etiam signis, incláruit. Tandem meritórum et diérum plenus, nonagesimúmque tértium, ut ferunt plúrimi, annum agens, obdormívit in Dómino.

LECTIO V

Sermo S. Maximi Episcopi : Beáti patris *de Comm. 2 loco.*

LECTIO VI

Quantis hic cœcis, *ex eodem loco.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium Vigiláte, *de Communi, 2° loco.*

EADEM DIE XV

S. BALDI CONFESSORIS

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio : Deus qui nos, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Libro Ecclesiastici : Beátus vir, *de Comm., 2° loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

BALDUS ob parricídii crimen ex Hispánia pátria sua profúgus, in peccáti expiatiónem primum Hierosólymam ad loca sancta, deínde Romam ad Apostolórum límina proféctus, demum Senónas ad beátum Arthemísium, tunc Senonénsis ecclésiæ epíscopum, venit. Illi autem peccátum confiténti et pœniténtiam obníxe postulánti, sanctus Póntifex injúnxit ut virgam quam manu gerébat in vértice montis vicíni plantáret et támdiu rigáret aqua flúminis quod ipsíus montis radíces ábluit, donec ipsa floréret.

LECTIO V

HOC mandátum summa cum spe suscípiens, Baldus vile tugúrium in monte ædificávit ubi réliquum vitæ suæ tempus crudis gramínibus, pane secúndario et aqua víctitans, cilícium

etiam indútus, injúnctum opus assídue curábat. Ecce vero grande miráculum! Post áliquot annos, virga viráre atque floráre visa est, nec multo post, Baldus non modo a peccáto purgátus, sed mira étiam sanctitáte et miráculis clarus, præséntis vitæ labórem cum ætérna réquie commutávit.

LECTIO VII

BEATI Baldi corpus in vértice prædícti montis sepúltum est; ubi póstea sub ejus invocatióne extrúcta ecclésia, sanctæ ejúsdem relíquiæ frequénti populórum concúrsu olim colebántur. Desinénte vero sæculo décimo octávo, dum fúreret in Gállia impíetas, destrúcta quidem fuit hæc Sancti Baldi ecclésia; at non ídeo, erépta lugémus sacra pígnora; nam insáno malórum furóri pie subláta, post várias translatiónes, étiam nunc fere íntegra in Ecclésia parœciáli Paradónis religióse asservántur.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium Sint lumbi vestri *de Comm. 1° loco.*

DIE XVI

S. LAMBERTI EPISC. MART.

Omnia de Comm. Unius Martyris præter seq.

Oratio : Deus qui nos, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. Fratres debitóres sumus *de Comm. Plurim. Mart. 1° loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO VI

LAMBERTUS, Trajécto ad Mosam oriúndus, génere clarus, sed sanctitáte clárior, primo ætátis témpore lítteris apprime erudítus, piéque ádmodum educátus, ob insígnem morum vitæque præstántiam ab ómnibus exímie celebrabátur. Quare post Theodárdum Trajecténsem Epíscopum et Mártyrem, sub cujus disciplina ipse prius adoléverat, ad Pontifíciam Sedem non sine multo reluctámine promótus est. Sed paulo post, quorúmdam invídia et ártibus, útpote justítiæ et libertátis públicæ vindex acérrimus, Episcopátu pulsus est.

LECTIO V

CEDENDUM témpori ratus, in monastérium Stabulénse se recépit, ubi singulárem humilitátis et obediéntiæ præstitit observántiam. Post septénnium a Pippíno Cároli Martélli patre revocátus, ac sedi suæ restitútus, Toxándriæ incolis Evangélii lucem íntulit. Cum vero Lambértus Pippínum ob quamdam pélli-

cem quam apud se habébat, gráviter reprehénderet, Dodo, Pippíni doméslicus et meretrícis frater, collécta improbórum manu, beátum Epíscopum redeúntem e matutínis Láudibus aggrédiens, domum ejus circumquáque óbsidet, eúmque, dum intra cubículum in oratióne perseveráret, unus e Dodónis satellítibus crudéliter telo confódit, anno Christi septingentésimo octávo.

LECTIO VI

Corpus ejus Trajécti sepúltum, inde Leódium una cum Episcopáli sede translátum, multis miráculis cláruit. Ejus memória olim erat celebérrima apud quemdam vicum agri Laudunénsis, in capélla véteris castélli, cui ipsiúsmet sancti Lambérti nomen; et etiámnum, post dírutam exeúnte último século capéllam, in parochiáli Ecclésia ejúsdem vici, singulári peregrinórum concúrsu ac veneratióne recólitur.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evang. Si quis vult, *de Comm.* 2° *loco.*

DIE XVIII

S. FERREOLI MARTYRIS

Omnia de Comm. Unius Mart. præter seq.

Oratio : Præsta quæsumus... ut qui, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. Fratres debitores *de Comm. Plurimor. Mart.* 1° *loco.*

LECTIO IV

Ferreolus, mílitum tribúnus in civitáte Viennénsi, sub militári sago Christo serviébat. Forte tanquam Christiánus ad tribúnal Crispíni júdicis tradúctus, cum ab illo jussus esset, étiam mortis intentáto metu, régiis obtemperáre mandátis, tum inquit : Christiánus sum; diis sacra fácere mihi non licet. Imperatóribus, quámdiu salva pótui religióne, huc usque militávi. Jam si mihi non licet vívere Christiáno, certe parátus sum mori. Equidem Creatórem ipsum adóro, non creatúram. Conféstim judex imperávit ut Ferréolus cruciáretur; cumque constántem ejus ánimum neque a tortóribus sibi mútuo ad cruciándum succedéntibus frangi vidéret, ingénti catenárum póndere onerátum in cárcerem detrúsit.

LECTIO V

Tertia autem die, cadéntibus ultro caténis, apertóque sponte cárcere, Ferréolus egréssus est, Rhodanúmque natándo trajécit, et

ad Jarem usque flúvium pervénit. Illic vero, comprehénsus íterum, revínctis post tergum mánibus, redúctus ad locum est civitáti vicínum, repentináque immanitáte interféctus. Corpus ejus in eo ipso loco sepúltum est, ubi in honórem sancti Mártyris erécta est insígnis basílica. Cujus relíquiis et patrocínio Sosménsis Ecclésia prope Theodórici-Castrum, olim abbatiális, nunc parochiális, gloriátur.

LECTIO VI

De expositione S. Ambrosii Episc. in Psalm. 119 : Príncipes persecúti sunt, *de Comm.* 2° *loco.*

IN III NOCTURNO

Homil. in Evang. Nolíte arbitrári, *in Festo S. Marcelli, die 4 hujus mensis* in Appendice.

FESTA OCTOBRIS

DIE III

S. JUVINI CONFESSORIS

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio : Deus qui nos, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Libro Ecclesiastici : Beátus vir, *de Comm.* 2 *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

In Campánia natále sancti Juvíni confessóris et eremítæ, qui ex agro Reménsi oriúndus, servíli sorte, per sincérum Dei famulátum, ad libertátem, quam intúitu pietátis et insígnium grátiæ ei cóntulit Marcus Comes Dulcómensis, pervénit. Hacque, ut Apóstolus monet, bene usus, multos e servitúte peccáti ad Dei filiórum libertátem strénuo conátu perdúxit. Deínde cum in secéssu multa mira patrásset, plácido excéssu perréxit ad Dóminum. Corpus ejus post édita illíus in fúnere multa prodígia, tandem in ipso oratório céllulæ quam incolúerat sepúltum est, ubi, crebrescéntibus signis, insígnis cóndita est Basílica, cui adjúnctus vicus, propter tanti Conféssoris opitulatiónem jam ipsíus nómine conspícuus. Extat étiam in Diœcesi Suessionénsi parœcia, Juviníacum nuncupáta, quæ tanto nómine et patrocínio gloriátur.

LECTIO V

Deridétur justi simplícitas, *de Comm.* 2° *loco.*

LECTIO VI

At contra *de eodem loco.*

IN III NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi, *de Communi*, 1° *loco.*

DIE XV

S. BASOLI CONF.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Oratio : Intercéssio, *de Comm. Abbatum.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Libri Eccles. Beátus vir, *de Comm. Conf. non Pont. 2° loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Basolus sexto século in pago Lemovicénsi ex piis et nobílibus paréntibus natus est. A téneris christiánæ disciplínæ præcéptis imbútus, spretis mundi illécebris, Deo únice adhærére státuit amplísque facultátibus quæ ipsi hæreditário jure mox obventúræ erant, renuntiávit. Egréssus ígitur de domo patris, Remos se cóntulit, sancti Remígii túmulum veneratúrus. Ægídio Archiepíscopo apéruit magno se afféctum vitæ solitáriæ desidério. Quámobrem sanctus Præsul ei locum in sua diœcesi, quemcúmque vellet, eligéndum dedit. Básolus in cœnóbium Verziácum divértit. Sed paulo post, cum ad monastérii regímen propter exímias dotes a frátribus destinarétur, in solitúdinem se recépit, quam magis ac magis anhelábat. In monte sibi construxit céllulam, ubi per quadraginta fere annos vitæ genus duxit aspérrimum. Pœniténtiæ labóribus non minus quam ætáte conféctus, migrávit ad Dóminum, ante et post mortem miráculis clarus.

LECTIO V

Deridétur justi simplícitas, *de Comm. Conf. non Pont. 2° loco.*

LECTIO VI

At contra, *de eodem loco.*

IN III NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia, *de Comm. Abbatum, 1° loco.*

DIE XXII

S. CAPRASII EPISC. ET MART.

Omnia de Communi Unius Martyris præter sequentia.

Oratio : Infirmitátem, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Act. Apostol. A Mileto, *de Comm. 1° loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Caprasius, nóbilis Aginnénsis, Evangélicam lucem quam háuserat in civitátem suam addúcere sollícitus, prædicatióne et miráculis plúrimos ad Christi fidem amplecténdam tradúxit, iisdemque cooperánte

sibi Vincéntio, salútis subsídia sédulo ministrávit. Cui quidem propósito invídens de more dæmon omnem invídiam suam furorémque manifestávit ut christiánam religiónem vel ab ipsis incunábulis Agínni extíngueret et evérteret omníno. Immanissimus síquidem præféctus Agínnum advéniens, spirans minárum et cædis in Christiános, in ipso inquírere aggréditur, et sævam adórsus est persecutiónem. Pusíllus fidélium grex terróre corréptus clam ab urbe secéssit ac per erémi abrúpta et fragósos convállium colles dispérsus, in spelúncis delítuit. Sollícitus vero gregem suum séquitur Caprásius, bonus équidem pastor, ómnia circumquáque scopulórum diversória perágrat, síngulos érigit exémplo, ac pœnis et præmiis propósitis ætérnis, ad martyrium fórtiter subeúndum præparat atque dispónit.

LECTIO V

Dum vero prídie Nonas Octóbris excélso e monte cui nomen hódie a Sancto Vincéntio, Caprásio in urbem patéret aspéctus, illústre ante óculos ejus se offert spectáculum. Vidit enim in plátea Fidem, Vírginem digníssimam, pro evangélicæ veritátis defensióne viríliter decertántem; de ejus constántia non dúbitat, dum intuétur ingéntem rogum incéndi et cratículam super ipsum exténdi, ad quam ultro occúrrens Virgo mente et córpore intemeráta, longum et acerbíssimum sústinet supplícium; de ejus triúmpho congáudet, dum ínterim deprehéndit ab ángelo, in colúmbæ spécie, ipsam coróna splendidíssima donári et, holocáusto jam consummáto, ad Christum sponsum ejus ánimam evoláre.

LECTIO VI

Hæc síngula aspíciens Caprásius, intentiórem in se expéritur divínæ charitátis ardórem, et Martyrii desidério exæstuans, magis Deum precátus est ut sibi in adjutórium inténderet, imo festináret ad adjuvándum cor suum in asserénda evangélicæ legis veritáte, quæcúmque demum super ipso decerneréntur ab ímpiis torménta. Fertur vivum derepénte elicuísse fontem mirabíliter ab Omnipoténti Deo edúctum et aquam jugem abúnde suppeditántem. Quo quidem miráculo secúrior rédditus Caprásius, Agínnum revértitur, Christum líbera voce prædícat, fidém-

que evangélicam palam asseréndo, vanum idolórum cultum detestátur invícte. Illico deprehénsus, ad prǽsidis tribúnal addúcitur, ubi alacrióri étiam ánimo Christiánam fidem profitétur, júdicis ac tortórum minas contémnit, donec invíctus in confessióne Christi cápite truncátur, ac Martyr gloriosíssimus ad Deum ascéndit, confessiónis suæ consecutúrus glóriæ corónam. Præter cathedrálem ecclésiam in qua ejus caput religiosíssime asservátur, sunt in território Aginnénsi áliæ ecclésiæ Deo in honórem sancti Caprásii dicátæ.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evang. Si quis venit, *de Communi*, 1° *loco.*

FESTA NOVEMBRIS.

DIE III

S. HUBERTI EPISC. CONF.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter seq.

Oratio : Da quæsumus, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Comm. 1° *loco*, Fidélis sermo.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

HUBERTUS Aquitánus, nóbili prosápia ortus, sprétis aulæ honóribus et delíciis, sancto Lambérto Trajecténsi Epíscopo discípulum se trádidit. Sub tális magístri disciplína, in omni virtútum génere ita prófecit, ut Lambérto ímpia cæde trucidáto, commúnibus votis Cleri ac pópuli suffféctus fúerit. Tunc prædecessóris sui corpus Trajécti sepúltum, sua cum Episcopáli sede Leódium tránstulit. Omnem substántiam distríbuit paupéribus, et se suo gregi totum mancipávit. In sylva Arduénna, quam non sine vitæ discrímine plúries peragrávit, multos qui superérant infidéles convértit.

LECTIO V

TANDEM e Brabántia rédiens, ubi novam consecráverat Ecclésiam in itínere morbo corréptus, felíciter in Dómino quiévit anno salútis septingentésimo vigésimo séptimo, in vita et post mortem miráculis clarus. Sacræ ejus Relíquiæ, centum círciter post óbitum annis, translátæ sunt in Abbátiam Andaginénsem, in qua religióse asservántur, atque inde sancti Hubérti nomen sortíta est. Ad hanc Abbátiam, undécimo século ineúnte, contra rabidórum animálium morsus jam

percélebris erat et frequens peregrinátio.

LECTIO VI

Sermo S. Maximi Episcopi : Ad sancti ac beatíssimi Patris nostri Hubérti *de Comm.* 1° *loco.*

IN III NOCTURNO

Hom. in Evang. Homo perégre, *de Comm.* 1° *loco.*

DIE VI

S. VINOXII, CONF.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio : Intercéssio, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Libro Ecclesiastici : Beátus vir, *de Communi Conf. non Pont.* 2° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Vinoxius in Británnia minóri natus, mundi malítiam fúgiens, cum tribus sóciis in Sithivénse monastérium se recépit. Eórum in virtúte progréssus agnóscens Bertínus, primus Abbas Sithivénsis brevi, locum ipsis assignávit, ubi novi cœnóbii fundaménta jácerent. Ibi exstrúcto oratório, conditísque céllulis, vitam egérunt aspérrimam, circumvicínæ regióni virtútibus prælucéntes.

LECTIO V

Tali spectáculo permótus vir dives Herémus, Vinóxio et sóciis prædium seu villam nómine Vormhútum óbtulit, ad eórum propósitum máxime accommodátam. Ibi monastérium construxére, adjúncto páuperum hospítio, cui Vinóxius primus Abbas a sancto Bertíno præféctus, pietátis fama innúmeros ascívit discípulos quibus semper præíre stúduit austeritáte et humilitátis exémplo. Tandem annis matúrus et méritis, ad Dóminum migrávit circa annum septingentésimum décimum séptimum, octávo Idus Novémbris. Ad ejus sepúlchrum piæ populórum peregrinatiónes Castro Vinoxbérgæ ortum dedérunt.

LECTIO VI

Deridétur justi simplícitas, *de Communi Conf. non Pont.* 2° *loco.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangel. : Ecce nos relíquimus ómnia, *de Communi Abbatum,* 1° *loco.*

DIE XIII

S. BRICTII EPISC. CONF.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter seq.

Oratio : Da quæsumus, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lectiones de Communi, Fidélis sermo, 1° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Ex Historia ecclesiastica Francorum sancti Gregorii Turonensis Episcopi.

L. 2, *c.* 1, *L.* 10, *c.* 31.

Brictius, civis Turónicus cum esset primævæ ætátis júvenis, sancto Martíno multas tendébat insídias. Quadam autem die Bríctium Diáconum vir beátus allóquitur : En ego, Bricti, delírus tibi vídeor? Amen dico tibi quia obtínui apud Deum, ut post meum tránsitum, ad Pontificátus honórem accédas; sed nóverís te in Episcopátu multa advérsa passúrum. Adéptus ergo, consentiéntibus cívibus, anno Arcádii et Honórii secúndo, Pontificátus offícium, oratióni vacábat. Anno autem ordinatiónis ejus trigésimo tértio, óritur contra eum lamentábilis causa pro crímine, illo viríliter negánte.

LECTIO V

Illis vero non credéntibus, sed contradicéntibus, tráhitur, calumniátur, ejícitur, ut sermo Sancti adimplerétur. Hoc enim ejécto, Justiniánum in Episcopátu constítuunt. At Bríctius Epíscopus Romam véniens, cuncta quæ pertúlerat Papæ refert : ibíque plerúmque Missárum solémnia célebrans, quidquid in sanctum Martínum delíquerat, defléndo díluit. Séptimo ígitur anno, immúnis invéntus a crímine, ad urbem suam redíre jussus est. Fuerúntque omnes anni episcopátus ejus quadragínta septem; obiítque, et sepúltus est in basílica quam super sanctum Martínum ædificávit.

LECTIO VI

Sermo S. Maximi Episcopi : Ad sancti ac beatíssimi Patris nostri Bríctii, *de Communi,* 1° *loco.*

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangelium : Homo perégre, *de eodem Communi,* 1° *loco.*

DIE XV

SANCTÆ EUGENIÆ VIRG. MART.

Omnia de Comm. Virg. Mart. 1° *loco.*

Oratio : Deus qui inter cætera, *de Communi.*

DIE XVII

SANCTI ANIANI EPISC. CONF.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter seq.

Oratio : Exáudi, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Libro Ecclesiastici : Laudémus viros, de *Comm. 2° loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

ANIANUS Præsul Aurelianénsis, Germáno et Lupo coætáneus, ipsísque nec zelo nec doctrína fuit inférior. Multa jam senex in Ecclésiæ suæ administratióne exímiæ non solum sanctitátis, sed étiam sapiéntiæ specímina déderat, cum Attíla ad devastándas Gállias Rhenum transgréssus est. Nec multo post Aureliánis præcípue incúbuit hæc tempéstas, imo pótius ira indignatiónis Dei quam précibus suis différre decertábat Aniánus; ut pópulum interim ad pœniténtiam revocáret. Nec negléxit Arelátem usque ad Aétium pérgere, ut festínum urbi periclitánti auxílium impetráret. Jam áderat Attíla, totáque vi Aureliános impugnábat.

LECTIO V

CUMQUE inclúsi pópuli suo Pontífici, quid ágerent, acclamárent; ille fisus in Deo, monet omnes in oratiónem prostérni, et cum lácrymis præsens semper auxílium Dómini imploráre. Factum id iterum ac tértio, ardentióri semper desidério ac uberióri fletu, donec post tértiam oratiónem, de muro juxta senis impérium aspiciéntes, vidérunt a longe quasi nébulam de terra consúrgere. Quod ut renuntiavérunt, ait Epíscopus : Dómini auxílium est. Interim expugnáta civitáte, ingréssi Hunnórum Próceres, ad eámdem diripiéndam sese accingébant, cum ecce Románi Gothíque ex improvíso supervéniunt, imparatósque ex urbe expéllunt. Biénnio post, Aniánus, plenus bonis opéribus, obdormívit in Dómino, anno salútis quadringentésimo quinquagésimo tértio.

LECTIO VI

Sermo Sancti Maximi Episcopi : Beáti Patris, *de Comm. 2° loco.*

IN III NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte, *de eodem Comm. 2° loco.*

DIE XXIV

S. GOBERTI CONF.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio : Adésto, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Libri Eccless.

Beátus vir, *de Comm.* 2° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

GOBERTUS, nobilíssimis natálibus, mentis perspicácia, morum urbanitáte, et liberálium ártium sciéntia præclárus fuit. Locórum sanctórum ab infidélium tyránnide vindicandórum zelo accénsus, sacræ milítiæ nomen dedit, et Fredérico imperatóri cómitem se adjúnxit, tam religiósæ expeditiónis glóriam et præmium cum eo partitúrus. Bello cum Saracénis compósito, Gobértus loca sacra, ut vóverat, invísit, urbémque Jerosólymam, nudis pédibus ingréssus est. Voti compos factus, gravi crúrium infirmitáte corréptus est, qua ad últimum vitæ labórans, probatíssimæ patiéntiæ dedit indícia.

LECTIO V

AD própria revérsus, et séculi curárum pertæsus, in Villariénse cœnóbium Leodiénsis diœcesis sese recépit, pretiósam secum gemmam ásferens, illibátam tot inter opes, tot inter mundi illécebras castitátem. Tantæ pietátis erat, ut per noctes in vigíliis et oratióne constánter perseveráret. In páuperes effúsus thesáurum invénit in cœlo, quo tandem plenus méritis ábiit, médio círciter século décimo tértio, miraculórum glória clarus. Sancti Gobérti patrocínio gloriátur una pagi Laudunénsis paróchia, nómine ejus insignita.

LECTIO VI

Sermo S. Joannis Chrysostomi : Beáti Gobérti dies, *de Comm.* 1° *loco.*

IN III NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, *de Comm.* 1° *loco.*

EXTRA OFFICIUM

Recitari aut cantari permittitur sequens

HYMNUS

VIRGINEIS títulis quæ matris jungis honóres,
Hac natos fóveas nocte benígna tuos.

Fúlgida stella maris, secli dum mérgimur undis;
Sis lux in ténebris et bene fida quies.

SI sopor obrépit, casti fac mater amóris,
Cor vígilans uno spiret amóre Dei.

VIRGO Dei génitrix, pró-

pius res áspice nostras;
Dicáris pópuli vita salusque tui.

Glória summa Patri, compar sit glória nato;
Par tibi laus, Flamen, quo pia Virgo parit. Amen.

Oratio : Exáudi, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Libro Ecclesiastici : Laudémus viros, de *Comm. 2° loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Anianus Præsul Aurelianénsis, Germáno et Lupo coætáneus, ipsisque nec zelo nec doctrína fuit inférior. Multa jam senex in Ecclésiæ suæ administratióne exímiæ non solum sanctitátis, sed étiam sapiéntiæ specímina déderat, cum Attíla ad devastándas Gállias Rhenum transgréssus est. Nec multo post Aureliánis præcípue incúbuit hæc tempéstas, imo pótius ira indignatiónis Dei quam précibus suis differre decertábat Aniánus; ut pópulum ínterim ad pœniténtiam revocáret. Nec negléxit Arelátem usque ad Aétium pérgere, ut festínum urbi periclitánti auxílium impetráret. Jam áderat Attíla, totáque vi Aureliános impugnábat.

LECTIO V

Cumque inclúsi pópuli suo Pontífici, quid ágerent, acclamárent; ille fisus in Deo, monet omnes in oratiónem prostérni, et cum lácrymis præsens semper auxílium Dómini imploráre. Factum id íterum ac tértio, ardentióri semper desidério ac uberióri fletu, donec post tértiam oratiónem, de muro juxta senis impérium aspiciéntes, vidérunt a longe quasi nébulam de terra consúrgere. Quod ut renuntiavérunt, ait Epíscopus : Dómini auxílium est. Interim expugnáta civitáte, ingréssi Hunnórum Próceres, ad eámdem diripiéndam sese accingébant, cum ecce Románi Gothíque ex improvíso supervéniunt, imparatósque ex urbe expéllunt. Biénnio post, Aniánus, plenus bonis opéribus, obdormívit in Dómino, anno salútis quadringentésimo quinquagésimo tértio.

LECTIO VI

Sermo Sancti Maximi Episcopi : Beáti Patris, *de Comm. 2° loco.*

IN III NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte, *de eodem Comm. 2° loco.*

DIE XXIV

S. GOBERTI CONF.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio : Adésto, *de Communi.*

IN I NOCTURNO

Lect. de Libri Eccless.

Beátus vir, *de Comm.* 2° *loco.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV

Gobertus, nobilíssimis natálibus, mentis perspicácia, morum urbanitáte, et liberálium ártium sciéntia præclárus fuit. Locórum sanctórum ab infidélium tyránnide vindicandórum zelo accénsus, sacræ milítiæ nomen dedit, et Fredérico imperatóri cómitem se adjúnxit, tam religiósæ expeditiónis glóriam et præmium cum eo partitúrus. Bello cum Saracénis compósito, Gobértus loca sacra, ut vóverat, invísit, urbémque Jerosólymam, nudis pédibus ingréssus est. Voti compos factus, gravi crúrium infirmitáte corréptus est, qua ad últimum vitæ labórans, probatíssimæ patiéntiæ dedit indícia.

LECTIO V

Ad própria revérsus, et séculi curárum pertæsus, in Villariénse cœnóbium Leodiénsis diœcesis sese recépit, pretiósam secum gemmam ásferens, illibátam tot inter opes, tot inter mundi illécebras castitátem. Tantæ pietátis erat, ut per noctes in vigíliis et oratióne constánter perseveráret. In páuperes effúsus thesáurum invénit in cœlo, quo tandem plenus méritis ábiit, médio círciter século décimo tértio, miraculórum glória clarus. Sancti Gobérti patrocínio gloriátur una pagi Laudunénsis paróchia, nómine ejus insignita.

LECTIO VI

Sermo S. Joannis Chrysostomi : Beáti Gobérti dies, *de Comm.* 1° *loco.*

IN III NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, *de Comm.* 1° *loco.*

EXTRA OFFICIUM

Recitari aut cantari permittitur sequens

HYMNUS

Virgineis títulis quæ matris jungis honóres,
Hac natos fóveas nocte benígna tuos.

Fúlgida stella maris, secli dum mérgimur undis;
Sis lux in ténebris et bene fida quies.

Si sopor obrépit, casti fac mater amóris,
Cor vígilans uno spiret amóre Dei.

Virgo Dei génitrix, pró-

pius res áspice nostras;
Dicáris pópuli vita salusque tui.

Glória summa Patri, compar sit glória nato;
Par tibi laus, Flamen, quo pia Virgo parit.
Amen.



